
Digitized by Google



FCC
123. 8. 18 780
P 11

Digitized by Google

Digitized by Google


18780

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

271
Am 7

ANNI M. D. XCVI.

Ad Patres, & Fratres eiuſdem Societatis.




BIBLIOTECA

NEAPOLI, Ex Typographia Tarquinij Longi. 1605.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google



Digitized by Google

ANNVAE LITTERAE SOCIETATIS IESV

ANNI M. D. XCVI.

PATRIBVS FRATRIBVSQVE SOCIETATIS IESV

Gratia & pax Christi D.



ENIO ad scribendas annuas vltimas. Vtinam sine reprehensionibus ijs, quas superioribus annis periti rores vitare nequiuerunt, tamen, quantum humana diligentia effici poterit, dabo operam, vt omnium querimoniarum caussa præcidantur. Sed fieri vix potest: ita multa sunt impedimento; vt in re, æstimatione omnium facillima, difficillima sit experientia. De qua re tota video mihi pauca esse proponenda; quibus & superiorum annorum culpam, si qua fuit, excusem, & mei consilij reddam rationem. Illud precipue ijs, qui supe-

Digitized by Google

riores annos scripserunt obijcitur ; quod aliter multa narrarunt, quam facta sunt : vt cum ea in prouincijs legerentur, aut non agnoscerentur, aut narrationum facta mutatio irrideretur ; persæpe etiam, id quod necesse fuit, cum stomacho exciperetur. Primum si mutatio facta est in stylo, & oratione (vt ego quoque vinetis consulam meis) non est cur quisquam quæratur, res aliter narrari, quam factæ sunt. deinde, à viris eruditis, & disertis, qui Prouinciarum annuas scripserunt, & mihi, & illis hanc veniam petam ; nobis vt liceat ; in ijs, quæ nostro nomine perferuntur, nostro vti iudicio, nostris coloribus, nostro penicillo. neque nos ad eam adigant necessitatem, vt quod ipsi ingenioſe, docteq. elaborarunt, in nostra scripta inseramus. Hanc nobis remitti necessitatem, & styli dare libertatem, multis de causſis est æquum. Primum, ne dictionis appareat dissimilitudo : deinde vt quicquid commodi, siue incommodi prouenerit, id totum in nos redundet. accedit & illud absurdum multo maius ; quod si nostræ litteræ è prouincialium litterarum fragmentis constent, quamuis optimis, cum suas repetitum venerit grex auium plumas, non ne furtiuis nudata coloribus moueat cornicula risum? Decet enim vnumquemque in ijs, quæ scribit, suum promere ingenium, non aliorum laudes compilare. Ego vt de me loquar, quæ in litteras conïcerem, non vt ea meliora faciam, sed vt quicquid esset, meu esset, statui omnino mea complecti oratione, & meo illa stylo delineare. neque puto esse, quod in ea re, quisquam iure offendatur. Quod si nulla sit huius rei querimonia, consequens est, vt crimen totum in rerum mutatione, non in oratione, aut scriptione versetur. Quod de industria factum esse neminem sane, suspicari arbitror. Sed tamen videor nonnullas ob

causſas id potiſſo contingere. Primum illorum culpa, qui in Prouincijs ſcripſerunt; non quidem omnium, ſed paucorum, qui dum conſectantur elegantia, locutionium dulcedine illecti ſæpe de via deducuntur. Qui inde ſumunt, quid faciant? Multa ſcio in litteris huius anni aliter narrari, quam ab iis accepi, qui è Prouincijs Romam venerunt, & ipſi rebus ijs, aut interfuerunt, aut præfuerunt. Quam multa alia aliter ſe habebunt, quæ cognoſcere non potui, & Prouincialium litterarum ſequi fidem opus fuit? ergo mea culpa eſt, ſi quid mihi ſecus, quam factum eſt, ea littera proponunt? De me nihil dicam: Sed qui ſuperiores annos ſcripſerunt, conſtat certe viros fuiſſe eruditos, qui ſi hiſtoria veritatem non viderunt, ridiculum ſit dicere, illos exemplaria, vnde ſumpſerunt non intellexiſſe. Quod ſi illi in otio, & in ſummo ſtudio, vt indicant illorum accuratæ ſcriptiones, minime tamen rei veritatem attigerunt, quanto minus eam aſſequentur alij non æque periti, & in curſu pene tumultuariæ lectionis? Non me pudebit illud de me fateri: multa omiſiſſe me, quæ intelligere non potui; multa initio aliter intellexiſſe, & ſcripſiſſe, quæ poſtea correxi: vtrum vere, incertus ſum; ſed ambiguo certe ſenſu ſcripta ſunt: multa vt iutelligerem diu, multumq. laboraſſe. quorum partim de induſtria, laudis ſcilicet cauſſa obſcurata erant, & ænigmatum ſimilia; partim vt vere dicam non diſſertiſſime conſcripta: multa etiam amanuenſium feſtinata opera, aut deprauata, aut mutilata. Et hæc inter cænandum, animis alia voluptate occupatis, intelligentur, quæ ne contento quidem ſtudio, & in otio poſſunt intelligi? Accidit nonnumquam, vt in magna obſcuritate rei veritatem odorarer: tamen quia coniecturam periculoſam eſſe videbam, ſtatui ſic referre, vt in

vt in Prouincialibus litteris inuani videbitur error: sed non meus. Accedit & illud incommodum, quod aliqui ita non mali sunt in scribendo, vt existiment in vltimis terris quo sunt hae litterae perferendae, nihil esse ignotum eorum, quae ipsi in sua patria vident quotidie. ita primarios viros, templa, loca alia indicant nulla eorum addita interpretatione, vt si eos alloquerentur, qui in eorum suburbijs versantur. Multi vbiq. sunt Illustrissimi Comites, Multi Reuerendissimi Domini, multi Cardinales, sed singuli proprijs nominibus notentur. Super hac omnia incommoda, qui in Prouincijs amanuensem praestant operam, dum opus festinant, propria quaedam nomina, tum clarorum virorum, tum locorum apud remotos homines ignota ita confusis litteris perscribunt; vt mirum non sit, cum risu indigenarum à nobis ea deformari nomina, qui illa diuinare non potuimus. Video potuisse ex his rebus errorem contingere, cum aliquod horum nominum perperam is, qui Romae scribit, interpretatus sit. cuius & si studium corrigendum est, est tamen conatus eo boni consulendus, quod ex fumo dare lucem conatus est. Est & illa quoque, in recensendo praesertim numero nostrorum, persepe caussa erroris; quod amanuenses dum parcunt calamo, praua idiotarum consuetudine, qui numeri Latinis litteris essent explicandi, eos vulgarium notarum indicant compendijs; quibus vtuntur mercatores, cum ad extremam tabularum oram pecuniarum summas educunt. neque animaduertunt, ne ipsis quidem mercatoribus eam rationem satis esse tutam, si non ante in ipsis tabulis summas, quas foras euocant, suis omnibus litteris integre, planeq. perscribant. Accedit & illud incommodum, quod cum ea nota partim festinatione scribendi, partim describentis hallucinatione, aut perperam

param notentur, aut ambigua sæpe figura signentur, vt non magis unus, quam alter numerus legi possit: necesse est multis in locis multa sæpe peccari; quæ eorum qui Roma scribunt, negligentiam redarguant: idq. immerito, cum omnis error a fœda illa, & fallaci ratione proficiscatur. Atque in hoc genere strenues se præbuere duces Itali nostri, in quorum litteris nullus prorsus numerus suis vocibus declinatur. Multa præterea dubitari possunt in narrationibus; quod ex his ipsis meis litteris intelligetur. in quibus lector multa dubitabit, & scribentis diligentiam requiret; intelligat id me quoque perspexisse; maluisseq. illa sic reddere, quam quando planiora facere non potui, patres, fratresq. eorum rerum quantacumque cognitione defraudare_,.

Hactenus mihi videor superiorum annorum scriptores magna ex parte culpa liberasse. Reliquum est, vt de mea scribendi ratione, deq. consilio meo pauca dicam. Non offendet credo quemquam rerum ordo immutatus. nam qui priorem dabit styli veniam, dabit multo facilius posteriorem; vt res meo iudicio disponam. Sed quod ad ipsam dictionem attinet, recedam ab inducta iam, & recepta scribendi ratione recentiorum: meq. ad tractam illam, ex explanatam antiquorum referam narrationem; nec me facile infra eorum demittam ætatem, qui felici illo sæculo aurea Latinitatis floruerunt. Placet ille candor, placet illa sine fuco sinceritas, placet in primis lux, & clara perspicuitas. quæ si non assequor, ea tamen studio habuisse, non me pœnitebit. hanc enim in his rebus lenitatem, quæ non nisi remisso animo leguntur, opportuniorem esse iudicaui, quam umbrosam illam, & in singulis hærentem sententijs inferioris ætatis grauitatem. video enim nostræ ætatis multis, ijs præ-

sertim, qui editis plenis doctrinæ libris nomen suum illustrarunt, mirabilia quædam placuisse. qui dum à religioso nimium, puerilique studio, vt ipsi dicitant, vnius Tullij probandi refugiunt, extremum in alterum incurrunt; vt remotissimis tantum ab illa florentissima ætate delectentur. Quos equidem reijciendos non censeo; sed non videre, quid in quoque sit optimum, & corrupta sanis anteponere id iure reprehenditur. Hi vero nostri illorum admiratione neruos tantum adamantes, macilentam, & exanguem orationem copiosæ, & succi plenæ; hæsitantem, & asperam, leni, & fluenti anteponunt. plana, & aperta, suspicioſa; prærupta, & salebrosa, tuta putant. & habent hi quoque seruum pecus. Hæc idcirco attigi, quod in nostram quoque familiam multi dolent hoc ita scribendi cacoethes irrepsisse; & animos quorundam ita occupasse, vt alios quoque ad id genus insania inuitent. mihi certum est ab his deliramentis quàm longissime recedere. Ament vmbras, qui lucem oderunt: & obscuritate delectentur, quibus claritudo vilescit: mihi studio sit, legenti lucem prodere, non fumum: scriptores illos, qui ab illis in pretio habentur, Romani Imperij superbiam spirantes, mihi homini mansuetis moribus lenia facta persequenti parum opportunos esse iudicaui: ne in altilium cade, & cruore tragedias excitare; aut bellicum canere, & armis strepere inter aniculas viderer. Quem enim in hisce nostris rebus tumor ille, & mutilata breuitas delectet? Mihi certe persuasum est, ne ipsi Cornelio suam placuisse obscuritatem: sed non potuisse ipsum à sua natura impetrare, vt vel nectareo illo Cæsaris candore, vel lactea Patauini vbertate flueret. quare suo bono contentum, naturam in studium vertisse. nostræ ætatis magnos viros robustum dicendi

genus

Digitized by Google

genus adamantes, vna cum esca summa excellentia, etiam obscuritatis hamum hausisse. Et quamuis è nostris aliqui cum dignitate in hoc genere versati sint; obscuritatem tamen, summa felicitate deuitarunt. Neque ego hæc disputo, vt meam communi sententiæ opponam. Habet scriptor ille laudes suas, & eas quidem peregregias: sed ea ciuilia tractantibus sint vsui: nos qui lenia tantum, & cum pietate coniuncta persequimur, leniore dicendi genere, & nostræ tenuitati consentaneo vtamur. Illud vero mihi diuinitus dari velim, vt quemadmodum ille hominem in Regum familiaritate versantem politicis instruit artibus, sic mihi religiosorum virorum facta, moresq. persequenti eam religiosè, pieq. viuendi viam liceret aperire, quam ipse, alüq. tenere debemus. tum siquidem veram, germanamq. Cornelij virtutem viderer imitari. Seueriora tamen, quæ illa habet ornamenta; queq. non tam ingenia inferioris sæculi, quam Romani Imperij protulit fastigium, si quando res ferret, non aspernabor, dum ne illa inepta industria, quæsita videantur; & facilitati, intelligentiaq. non obsint. mihi enim proposita est in primis perspicuitas. & ita video fecisse meliores. In verbis porro (vt hoc quoque extremo loco addam) non vsque eo religiosus esse volui, vt non aliquando aliqua sumerem ab inferioris ætatis scriptoribus; vel quod ea bene significantia, vel quod nostris vsibus accommodata; vel quod denique (quoniam mos licentiam dat) non reijcienda esse iudicaui. Quæ porro nostra propria sunt religionis ea nullo modo vitanda esse duxi. Formam tamen, & ipsum orationis characterem ab optimis illis magistris conatus sum exprimere, & si quid assequutus sim, ad rem non pertinet. Hæc necesse habui præfari, quo meam aliorumq.

Digitized by Google

rumq. operam ab iniusta reprehensione vindicarem.

Venio nunc ad ipsam litterarum scriptionem. Numerauit annus huius saeculi XCVI. qui mihi scribendus datus est viginti Prouincijs, quarum litterae venerunt, sociorum septem millia, & trecentos. quibus centum triginta quatuor, qui in Iaponijs versantur accedunt. Duarum praeterea Prouinciarum Brasiliae, & Neapolitanae litterae desiderate sunt, & quidem de Brasilijs non nihil inaudieramus eas venisse. Sed cum diligenter sepius requisissem in lucem prolatae nunquam sunt. Prouinciae Franciae superioris anni tempestate afflictae, & disiectae litterae quidem venerunt: sed in tanta rerum perturbatione sociorum numerus collectus nullus est. Verum si superiorum annorum spectemus rationes nongentos, aut non ita pauciores adiunctis Iaponijs has tres Prouincias efficere coniectura est: vt in vniuersa societate capitum ad octo millia, & ducenta plus minus numerus ascendat. Accuratiorem Sacerdotum, aliorumq. ordinum cum eorum, qui decesserunt, tum eorum, qui nostrum vitae genus complexi sunt, satius visum est, & expeditius in singulis Prouincijs summam inire. Initium igitur à Transalpinis Prouincijs faciemus, quoniam ea prima omnium ad me venerunt: & quod grauiora, & crebriora cum aduersarijs habent quotidie certamina ad cognitionis fructum, plura etiam continent, quam reliquae.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA POLONIA.

SOCIOS duos supra quadringentos habuit Prouincia Polonia, domicilijs septemdecim distributos, in quibus Collegia sunt vndecim, Vilnense, Branspergense, Posnaniense, Pultouiense, Iaroslauiense, Lublinense, Calissiense, Derpatense, Polocense, & Rigense: & domus probationis duæ, Rigæ vna, altera Cracouiæ ad S. Stephani: Residentiæ quatuor. Cracouiæ ad S. Barbaræ, Leopoli, Gedani, & recens coli cœpta Torunij. Versantur præterea missionis nomine in Regia nonnulli. Vita functi sunt tres; adlecti in societatem duodetriginta. numerus eorum, qui in singulis locis versantur, quoniam accurate omnium colligi non potuit, eorum, qui notari potuit, suis locis reddetur.

COLLEGIVM VILNENSE.

ET quidem in Vilnensi Collegio quatuor, & sexaginta numerantur: Sacerdotes vndeuiginti: Theologiæ, & Philosophiæ studijs occupati viginti octo; è quibus aliqui sunt de Sacerdotum numero, reliqui circa domestica ministeria versantur. Iam è Sacerdotibus duo Scholasticas de Theologia quæstiones explicant, tertius caussas ad conscientiam pertinentes, quartus controuersias aduersus hæreses pertractat, & sacras litteras interpretatur. Philosophiam

Digitized by Google

phiam quinctus docet: praeter hos humanitatę adolescentes eruditunt duo: ita septem omnino sacerdotes in docendi munere, in hominum salute procuranda occupantur reliqui. Hi nunquam à consueto nostrorum sacerdotum opere cessarunt: quorum fructus eo maiores aestimari possunt, quo magis in tranquillitate collecti nulla à fidei hostibus maiore excitata turbulentia, vt in ceteris tranquillis Prouincijs, vulgares iam haberi solent, & quotidiani. ingentem confessionum totius vitae numerum exceperunt: triginta quinque ab haresi, à schismate triginta nouem abduxere. eorum item opera e nostri gymnasii discipulis duodeuiginti se, partim ad nostrum, partim ad aliorum ordinum familias adiunxere. Est illud, ad maiorem nostrorum fratrum pietatem, hoc anno institutum, vt, qui Philosophiae studium primum esset aggressuri, ante se in suo quisque secreto, familiaribus nostris cōmentationibus de more exercerent. quod iam antea ijs, qui ad theologiam aggrederentur solenne fuit. Parthenia sodalitas, & numero, et studio pietatis augetur. quadragenarijs ferijs quotidie xenodochia magno studio inuiserunt: aegrotos pijs monitis, & collata stipe subleuarunt. Ipso die Domini cenae dicato inopibus. ante confessione expiatis, & sacrosancta Eucharistia refectis, in suo sacello pedes abluerunt; & eodem in loco epulum dederunt. postridie e sacello agmine in templum flagris se cadentes prodierunt. quod in ciuitate horum spectaculorum insolente, vt nouum, ita etiam fuit admirandum. Deus. O. M. in incitatum tam bonae iuuentutis studium maioribus velit indies incrementis promouere. Haec domi contigere: Illa foris acta sunt. Accersitu viri nobilis, vnus e nostris circa Pentecostes ferias missus e Collegio, quindecim nondum sacro fonte ablutos lustrauit:

strauit: de totius vitæ culpis sacramento pœnitentiæ audiuit ad centum septuaginta sex: plus septuaginta, qui ex insciitia priuatim, inconsulta Ecclesia, matrimonia contraxerunt, rursus legitimis Ecclesiæ ritibus copulauit. eadem fere ab alio alijs in locis eiusmodi excursionibus præstita.

Templum fuit multis annis antea Græco ritu consecratum, Græcisq. sacris dedicatum, id a triginta sex annis ab hæreticis profanatum, execrandis illorum sacrilegijs vsui fuit. transiit demum in ius nobilis cuiusdam viri, qui in possessiones amplas nuper venerat, ab eo nostri impetrarunt, vt per latinum Episcopum ritu nostratis Ecclesiæ reconciliatum Catholicis restitueretur: & Parocho in eo instituto annuum sexcentorum florenorum vectigal assignaret. Excursum est etiam magno cum illius gentis bono vsque in Samagetiam: & baptismate, aluisq. sacramentis adiuti multi. Ita fit, vt, cum omnem Tartareorum potestatum possessionem inuadere operarum paucitate non possimus, eam tamen quotidie carpendo nitamur imminuere. Sed mirum quanta lues, quam breui tempore, iam omnia vastauerit, speramus cælestem medicinam non deesse. opera certe nostri non desunt; sed sunt eorum assidui labores, aliorum precibus, qui tranquillis in locis versantur, subleuandi. Hi fructus operæ: illa humana emolumenta, nec reticenda. Magno nobis fuere adiumento quadringenti fere eleemosinæ nomine floreni à diuersis attributi, quæ res tum nobis vsui fui, licet non flagitantibus, tum egregiam huius gentis liberalitatem declarauit; plura, & maiora, si opus sit, exhibiturae. Controuersia fuit inter nostrum Collegium, & Vilnensis Ecclesiæ Capitulum de iurepatronatus nostri Templi. ea Diuino beneficio, ita sedata est, vt nostri

causam

Digitized by Google

causam tenuerint. Illud etiam ad splendorem quendam, & hominum opinionem de nobis augendam non minimum attulit momentum,

Antistites duo Ruthenorum (e Graeco schismate hi sunt) alter Metropolites Nouogrodensis, Voladica alter Polocensis (sic enim illi Episcopũ appellant) cum Vilnam venissent, Templum, & Collegium nostrum inuiserunt: ac nostros homines magnis de rebus suis consuluerunt; demum ita discesserunt, vt nostras ad Deum sibi precationes postularent.

COLLEGIVM Bransbergense.

Bransberga tres, & triginta degunt socij, Sacerdotes nouem: e quibus vnus Philosophiam, alter Mathematicam, tertius quaestiones de fide, & conscientiae iure profitentur. inferiorys ordinis scholas regunt Magistri quinque; reliqui partim discipuli, partim in rebus, & ministeryis externis adiutores Ad Pœnitentiae, & Eucharistiae sacramenta maior hoc anno Dei beneficio, quam vnquam antea concursus fuit, eorum administratione multorum animabus consultum est. Adolescentes aliquot e nostra disciplina in familiam nostram transiere. Virgines septem virginitatem suam perpetuo vero Deo dedicarunt, e quibus vna auctoritate consanguineorum reuocata, conscientiae inde stimulis sollicitata, crimen confessa, clam inscijs familiaribus Nelsbergam virago profugit; fugaq. facta constantior, ad cetum se adiunxit reliquarum. Aliquoties magna confluentium frequentia, ob graues Ecclesiae calamitates quadragenis horis supplicatum, Reconciliati dissi-

Digitized by Google

dissidentes: ad Catholicam fidem ad septuaginta ab haeresi traducti, in his notatu dignus nobilis adolescentis ex discipulis nostris ad Ecclesiam reditus fuit, qui cum suo exemplo, monitisq. matrem, fratrem, ac sororem ad Ecclesiae sinum adduxisset, breui pulcherrimam, & sua pietate dignam mortem sortitus est. Alius utriusque iuris doctor, haeresi relicta, vt Catholico ritu inter Catholicos viueret patriam Regiomontem (Paussiae metropolis est, haeresibus tota deprauata) in qua ille florebat, relinquere constituit. Danus adolescens in scholis nostris non ita multo ante institutus, nunc in patria tota ab Orthodoxa fide aliena vnus summa constantia Catholicam tuetur fidem. & alios subinde adolescentes nobis instituendos submittere non cessat. Bransbergensis ciuis, in haeresi iam pridem educatus, Paschalibus ferijs à familiaribus ad sacra, Sacramentaq. obeunda inuitabatur: verum ille Catholicam ita oderat religionem, vt ipsam patriam, religione Catholica florentem odisset; ex eaq. emigrare statuisset; vt se molestiae sibi inuisissimae subduceret. Sed ecce acerbo casu, vulnere in capite accepto, Diuina ei lux effulsit; & in ipsa calamitate mens illi melior accessit, itaque accersito Sacerdote, & totius vitae maculis ablutis, Sacramentorum, quae aspernabatur ante, magno suo cum bono compos efficitur. Catholicus olim sacerdos à fide deerrauerat; multosq. annos errorum seminator fuerat. alia etiam scelera addiderat indigna, vt adulterino se, sacrilegoq. coniugio obligaret: tam est impotens hominum amentia, cum mentis habenas caecis cupiditatibus laxauit. nec quidquam est, quod non proposita impuritate, abstersо pudore, impudens violet licentia. is tandem Dei beneficio nostrorum opera in viam reuocatus, Episcopi Culmensis

iussu,

Iussu, in cuius erat ditione, nostris iustruendum, nouisq. pietatis, & doctrinae praeceptis imbuendum se tradidit. atque vt quantam faeinoris admisisset grauitatem penetraret altius, domi nostrae secretus a vulgo diebus aliquot se pijs commētationibus exercuit. inde, eiurata haeresi, factaq. peccatorum confessione, & purgata annorum quindecim apostasi, Ecclesiae reconciliatus, nostro in sacello primum longo interuallo praepotenti Deo salutare obtulit sacrificium. & nunc vicissim oues, quas venenato pabulo infecerat, contendit ad salutaria Christi pascua reducere. Est illud etiam, vt admiratione, ita etiam relatione non indignum. Regiomonti matrona honesta est, & opulenta: sed, vt eiusdem Ciuitatis ceterae, infecta haeresi. haec nullam cum quopiam nostrorum consuetudinem, nullum vnquam habuit sermonem; ac ne fortasse quidem vidit vllum; tantum nomine permota, & nostrorum fama, in graui posita calamitate, ad leuamen à Deo impetrandum, argenteum scyphum magni ponderis inauratum nostro Templo, vt in Calicem ad sacrificia vertatur, dono misit. vtinam, & voti, & diuinae lucis facta compos, veram aliquando pietatem amplectatur. neque enim frustra credendum est, ei mentem illam esse diuinitus iniectam. Nota satis alias agni in cera consecrati virtus, hoc quoque anno non ambigue perspecta in his locis est. Mulier infantem filium alebat. hunc aliquoties per noctem e cunis ablatum, modo subter lecto, modo in aliquo domus angulo, prodente vagitu reperiebat. consuluit ea de re e nostris Sacerdotem: eius consilio, agnum consecratum e collo pueri appendit; eaq. infestatione liberata est. E Collegio Pontificio, & Episcopali, tum e nostro contubernio pauperum missi Sacerdotes cum alijs Catholicis adoles cen-

Digitized by Google

lescentibus in Insulam, Solauam vulgo nominant, in Culmensi dioecesi, quae tota est haeresibus corrupta, in extirpandis erroribus, restituendis Templis, populisq. ad antiquam religionem reuocandis, strenue laborant.

COLLEGIVM Posnaniense.

TRIGINTA tres nobis alit Posnania, Sacerdotes tredecim, e quibus vnus Philosophiā docet, alter controuersias de religione, & iura ad conscientiam pertinentia explicat: litterarum, & humanitatis magistros quinque, discipulos septem: reliqui opera domesticis opportunitatibus inseruiunt. Est ab omnibus tum in hac, tum in aliis circa vrbem, & oppidis, quae se diuersis temporibus multi conferre, in mundis hominibus praecipue opera posita: ab haeresi enim, & eo amplius extracti: in vis. Sacerdos duodeuiginti annis transfuga: edoctus etiam Sacerdos alius, non posse ipsum priuata auctoritate communione sub vtraq. specie concedere: Vir, qui se ad Catholicā fidem conuulerit, est mirum nobilis perspecta constantia: quae patre, & haereticis, & haeresum praeside nata, Calumniae nefarium eum late exseruerat. haec, colloquia aliquot nostri cum hominibus habiti, & haereticorum coetus, & nefandi vetus praesidem parentem inuisum, ac repugnantem, certa, obfirmataq. sententia deseruit. Est etiam altorius viri nobilis, & laudandi, & à Deo per multas preces commendandae virtus egregia, qui prope vnus in oppido Arrianorum, & Anabaptistarum reserto, ad de-

 fectio-

factionem saepius sollicitatus, numquam ad tam nefarium scelus inflexit animum, quin, ut eorum magis insaniam eluderet, professus est, se Posnaniam ad Iesuitas aditurum, & totius suae vitae culpas paenitentiae Sacramento Sacerdoti enunciaturū. Ut cum ad nos venisset, ea, quae sibi cum miseris civibus certamina fuissent, exposuit. Ita ru[illegible] suo consilio confirmatus in patriam rediit. Ruebat iam paene in praeceps in Cœnobio quodam religiosa disciplina, eius restituendae, Summi Pontificis iussu negotium datum est eruscloci Episcopo, & nostros ad eam rem sibi delegit adiutores: nostri monachorum paene omnium à pueritia confessiones excepere. aliquot etiam, & in iis Abbatem primum, pijs nostrū contemplandi exercitationibus erudierunt. ita, Deo bene iuuante, factum, ut & his remedijs, & efficacibus sermonibus, adhortationibusq; ea viuendi ratio ab Episcopo iis praescriberetur, quam eorum legibus consentaneam eos diu retenturos esse, arbitramur. Episcopo alteri etiam nostri amantissimo in sua lustranda Diœcesi, atque ab haeresibus purganda, est opera praestita. Quod ad rem familiarem attinet, septem ipsos annos de Villae limitibus controuersia cum vicino fuerat: ea demum sedata est; concessit, vicinus tandem quod saepius negauerat, sunt; de ipsius voluntate in nostram sententiam eius cessionis, seu compositionis conditiones in publica relatae monumenta. Lacus etiam perpetuam possessionem, & piscationem liberam nobis reliquit; ita ex eius piscationis vectigali, et mola aqua versatili, quam pia femina Collegio attribuit, centeni Collegio annui floreni accessere. Aucta etiam sacra supellex tum aliorum liberalitate, tum praecipue

Virgi-

Virginis cuiusdam, alijs nominibus de Collegio iam pridem optime meritae. haec Candelabra duo argentea pretij non contemnendi Templo dedit, alij alia: neque Templo solum; sed etiam Collegio. Eleemosinae à varijs collatae, mille florenorum aes alienum dissoluerunt. Venio ad Scholas. eae tanta frequentia, & nobilitate florent, quantam antea nunquam meminit Posnania. Sed eae prope nobis exitio fuere. Octingenti ferme in ijs versantur adolescentes, ingenio, & indole conspicui. Sed & fructu litterarum, & pietatis studio excellunt, qui se praecipuo cultui B. Virginis dicarunt. omnes tamen egregia erga Magistros obseruantia. Sed dum nostri studiosos nimium se praebent, inconsulte ea prolapsi sunt, vt nisi nos diuina prouidentia defendisset, in grauem aliquam ruinam nos praecipitassent. Est Franciscanorum Templum non ita longe à Collegio dissitum, S. Barbarae dicatum. ad id sacro die Corporis Christi quotannis frequens est celebritas. eo magna pars nostrorum auditorum ad solennem cohonestandam pompam inuitati, cum sacerdotibus venerant. Peracta pompa, non dum plane dilapsis nostris adolescentibus, forte, vt fit, sacerdos e nostris ad id Templum suae Religionis caussa se conferebat. inter eundum ab homine infimae sortis haeretico, & petulante, nulla caussa, verbis primum contumelijs, ac turpibus impetitur: deinde etiam lapide percutitur. Sensit id vnus, & alter ex adolescentibus; tumultuoseq. ijs, qui propè erant, nunciant: illi alijs: & vt quisque rem alijs tradebat, ad verum aliquid addebat: ita, per varia dissitus ora, rumor increbrescit, Iesuitam à Lutherano homine vulneratum, momento temporis

qui iam discesserant, reuocantur; subitaq. fuci censi ira eam contumeliam, quasi ad se pertineret, vlcisci constituunt. in eo tumultu alij de plebe, eiusdem odio iniuriae, & ardore iuuenum incitati, ad eos se adiungunt. Pauci admodum ex ijs (quadraginta circiter fuere) quos & insita modestia, & conceptus pietatis amor ab eo furore auocarat, ad Collegij Rectorem adeunt: rem omnem edocent: si det veniam, suum ad eam vlciscendam iniuriam & ipsi promptum studium profitentur. Commouit sane Patrem tam inopinata res; adolescentes in proximam coegit domum; ac ne quis ad id facinus elaberetur, fores iubet occludi. Ibi dum graui oratione illorum concitatos animos sedare, atque ab ea temeritate conatur abterrere, interim furentes alij auctj concursu plebeiorum, agmine facto, impetu in quendam haereticorum synagogam irruunt, quos Picardos vocant: fores effringunt: compilant domum: quicquid intra exsecrandos parietes reperiunt; dissipant: breuiq. tempore in domo, & ampla, & instructa nihil, praeter parietes relinquunt: sacrilegam bibliothecam foras prolatam, in oculis ciuitatis, igne subiecto, concremant. Vix pater ab ijs, quos continuerat; discesserat, cum subito tam fedae rei rumor implet ciuitatem. nostri rei atrocitate perculsi, eo repente prouolant; adolescentes furiosae dilapidationi intentos, qua verbis, qua minis absterrent; & manu, ac toto nisu corporis retrahunt, submouent; aegre tandem à concepta semel audacia reuocant: domum conuicijs in praesens castigatos dimittunt. Verū nostris amotis auditoribus, plebs nihilominus in concepta perstitit insania. itaque reli-

reliqua pauca, quae ad aduentum nostrorum adhuc integra ab interitu vindicari potuissent, omnia plebis manibus breui discerpta, confracta, cõminuta aut incendio cremata: aegreq. ab ipsis tectis temperatum. Id vero indignum facinus, ac pessimum exẽplum clamare ciuitas aduersum nos, nostram temeritatem accusare, dicteria, conuicia, maledicta in nostrum ordinem ingerere: nos homines seditiosos, otij tranquillitatisq. euersores, iuuentutis incitatores appellare: nostro consilio, nostro hortatu eam seditionem esse excitatam: hominem à nobis subornatum, qui per speciem haereseos, odio simulato, sacerdotem nostrum impeteret; nos ex leuissimo ictu, quo ne araneus quidem laederetur, tragoedias tantas excitasse: ex composito à iuuenibus rumorem dissipatum, illam turbam excitasse: nos suasores, instigatores, hortatores ad illud facinus adolescentibus fuisse: nouissime per dissimulationem post patratum scelus, quasi collapso iam, ac restincto incẽdio, ad ipsam fauillam opprimendam accurrisse: quẽ non videre haec malefico artificio, multo ante et meditata, & apparata fuisse? Tota his rumoribus succensa ciuitas, vt in re trepida, & obscura, ijs, alüsq. quae, facta semel maledicendi potestate, cuilibet, & cogitare, & proferre liberum fuit, facile assentiebatur; vt non haeretici solum, sed Catholici etiam maledictis saeuirent contra nos. Tum siquidem, qui nobis ad eam diem veri, & constantes, quiq. fucati, & leues amici fuissent, ex cõparatione apparuit. P. Rector postero die (nam illo ipso id fieri non potuit, illis ab Gymnasio absentibus) postquam ad scholas conuenere omnes, in vnã conuocat concionem; temerariaq. eorum audacia increpita, quod in

discrimen praecipiti fuo furore nos coniecerint, quatamq. tempestatis procellam in nos excitarint, seueris & querimoniarum plenis oratione, magno cum animi sensu questus est; quantoq. opere, praeter priuatam nostram calamitatem, & inuidiae flammā, turbulenta illa seditio, communi tranquillitati, & bono Ciuitatis statui aduersaretur, edocuit; de iniuria illata, de damno compensando multa disseruit, nos interim maesti pauere; nostram innocentiam obtendere; facti culpam à nobis modis omnibus amoliri. Tum vero aduersarij multo magis fremere, maledicta maledictis, conuicia conuicijs aggerere: euocatum, post illatum damnum, ceium adolescentium, vt factum laudaremus, & euentum pulcherrimi facinoris vna gratularemur: praecipuos eius tumultus auctores, & ductores laudibus, ac fausti acclamationibus exceptos. eoq. criminandi & calumniandi licentia progressa est, vt vulgo fides haberetur; manasseteq. longius infamia, ni pro concione, illa omnia, quae conficta erant contra nos, grauj protestatione falsa esse docerentur. Fuere praeterea, & ad Regem, & ad primarios, tum Ecclesiastici, tum aulici ordinis viros dandae litterae, quae societatem ab omni eius contagionis suspicione liberarent. Momenti quoque multum attulit ad eam rem purgandam, tum ipsius percussoris confessio; qui captus, atque in vincula coniectus, rem sicuti se haberet, magistratui ingenue aperuit; neque vnquam sibi cum vllo nostrorum aut consiliorū; aut sermonum communicationem fuisse: sed se sponte, & ex odio in Iesuitam esse coortum; tum quod P. Rector publice in frequenti hominum corona, praesentibus Corepiscopo (sic enim appellant eos, qui

qui Episcopalibus initijs consecrati pro Episcopis Pontificalia obeunt) Vicicapitaneo Vrbis, Iudicibus, quos terrestres vocant, Consule, Proconsule, & ex prima nobilitate quam plurimis, iterum ad studiosos verba fecit; eamq. quam aduersarij vellicauerant, paulo ante ipsis discipulis habitam contionem, denuo euoluit; vt omnes intelligerent, non modo non laudasse factum, sed vehementer, & magno cum dolore accusasse: omnem denique de nobis ex animis dubitationem detergerent.

Ita diuina ope factum est, vt tam saeua tempestas, tanto furore excitata, magna cum tranquillitate consederit. Haeretici nihilominus nobis infensi, consilia coquere inter se, pessima quaeque de nobis cogitare, iactare minas, tum iudiciorum, tum prouincialium comitiorum. Sed cum certo fundamento nullo eorum criminationes niterentur, nihil vltra minas tetendere. aduersus tamen inuidiam, perspecta bonitate causae, non deerant viri primarij, & e parentibus discipulorum, qui studia sua erga nos profiterentur. sed Dei bonitate factum est, vt illa necessaria non fuerint.

COLLEGIVM Pultouiense.

VErsantur in Pultouiensi Collegio octo supra viginti, sacris rebus vndecim, docendi munere sex, sacrarum disciplinarum studijs septem, opera domi praestanda reliqui occupati. scholae septingentos habent auditores: eorum pietas praecipue

sodalium Deiparae, cum alias perspecta est, tum maxime quo tempore ad implorandam caelestem opem contra Turcas quadragesimo huius supplicatum est. Siquidem, praeter cetera, sexcenti, & eo amplius se flagellis verberantes, agmine processere. nouum spectaculum, & inusitata multitudo pio quodam stupore affecit omnium animos. eoq. magis, quod ad memoriam representandam eorum vulnerum, quae salutem humanam peperere, qui se verberabant, rem ita serio agebant, vt multis e plagis sanguis erumperet. ad haec hortatores, & ductores Parthenij fuere. Est id sane mirandum, & cur Deo gratiae agantur, per alumnos nostrae disciplinae, iuuenes, nobiles, florentes aetate, opibus, ingenio; tam pia, & insolentia in hanc gentem induci instituta; vt cum malefici errorum disseminatores sacros ritus, & antiquam omnem abolere conentur Religionem, ex aduerso alij sint, qui & ea retinere, & abolita, & longa desuetudine sublata restituere contendant. Quatuor ex eorum sodalitate in nostrum ordinem, in aliorum religiosorum plures se recepere. Ceterum scholarum & sacrarum functionum fructus ijdem, qui semper. Illud praeterea accidit insigne. Duo viri nobiles publicis honoribus spectabiles ad Catholicam religionem, à qua multis ante annis abhorruerant, rediere. fuitq. ea res non ambiguis argumentis saluaris. Siquidem alter grandaeuus, paucis, ab istituta salutis via, diebus, cessit e vita: ex morbo alter corpore debilitatus suscepto viuifico Eucharistiae Sacramento sensit se statim pristinum robur recepisse. Diuina vtique laudanda bonitas; quod, cum inducta haeresum culpa impietate, multis in his locis daemon

misere

misere illudat, suos vicissim quoque Deus salubertissimae suae praesentiae sensu consoletur.

IAROSLAVIENSE Collegium.

Sex & viginti Iaroslauiense Collegium incolunt, e quibus vnus in Academia publica docet; in scholis nostris praeterea quinque; quinque item in Rethorica studijs versantur, octo ministerijs domesticis inseruiunt. Ex hoc numero P. *Georgius Budzichius spectabile exemplum patientiae, cum continentibus morbis vexatus, assiduis tamen laboribus sibi non parceret, hoc anno tandem die xxiij. Ianuar. hinc emigrauit, aetatis suae anno quadragesimo sexto, e quibus octo, & viginti transegit in Societate. Ab ijs, qui remanserunt, multa, & varia ad diuinum Christi honorem peracta; ea explicare non est: pleraq. per capita summatim percurrentur. Septingentae ferme totius vitae confessiones exceptae; quarum plus quinquaginta virorum nobilium fuere. Parochi, alijq. Sacerdotes magno numero & ipsi apud nos eodem piaculo purgati & peculiaribus exercitationibus ad Diuina contemplanda eruditi. Schismatici quadraginta, haeretici quadraginta quinque per omnium culparum poenitentiam ad Ecclesiam adiuncti. Discordiae multae compositae. in ijs praecipue viros primarios quatuor, qui & inter se, & à suis Parochis dissidebant, magnum fuit reconciliasse. quadringentis circiter persuasum, vt relicta impudicitia, honestam, & ab omni labe puram vitam agant. abusus in vsurpa-*

tione

tione sacramentorum sublati pernulti : triginta nouem , qui Diuinam misericordiam desperauerant, ad sanitatem reuocati : ad diligentiorem pietatis cultum suscipiendum adducti non pauci : extincta veneficia : esus carnium diebus vetitis , labor operae diebus festis , tripudia, aliaq. dedecora sublata. compressi nocturni grassatores : aleae, compotationibus, usuris, caedibus, aliisq. malorum illecebris obuiam itum : noxij libelli, melioribus suppositis , hominum manibus excussi . Et cum praua consuetudine, ab haeretica peste inducta, liceat cuique , qua velit , religione viuere , fit plerumque, vt in familia eadem (praesertim inter haereticos) diuersae à patre, matre, filijs familias sectae colantur : vt saepe quot capita, tot nefariae religiones in eadem familia reperiantur . ea re tretenti, & quadraginta patres familias adducti , ad familiam totam in officio Christianae pietatis continendam: vt vnam omnes , eandemq. Catholicam religionem teneant ; statas , quotidianasq. preces domi faciant, sacramentaq. ad expiationem animorum à Christo Domino instituta , diebus Ecclesiae solemnioribus frequentent . Et quoniam multi pernicioſos famulos alebant, contraq. alij dominis, aut haeresi, aut alia labe infectis famulabantur ipsi integri, eratq. vtrisque commercium periculosum ; curatum , vt & pestilentes famuli dimitterentur ab integris, & boni se à prauorum dominorum contagione submouerent. Subuentum etiam multis , qui metu haereticorum, aliorumq. prauorum hominum clam ad nos sacrorum causa confugiunt . male acquisita rependere , multi iam instituerunt ; & aliqui ex illis aliquot florenorum millia. itaque vere conscientia damnati

quaestus

Digitized by Google

quaestus permouentur. Monialibus quatuor persuasum, vt cum magna paenitudinis significatione, claustrum, quo excesserant, repeterent. Mitto flagra, supplicationes, aliaq. id genus multa; quae, quoniam sunt quotidiana, reticentur. Hi fructus pietatis. quae ad opes, & humanam vtilitatem pertinent, illa sunt. Altare ex alabastrite egregio opere, aliaq. supellex non modici apparatus in Templo piorum eleemosinis addita. Collegio vici quarta pars cum aliqua pecunia accessit. Dominos huius Ciuitatis benevolos magis, quam antea experimur indies. nuper ad se circa festum Paschae sacerdotem nostrum pietatis caussa inuitarunt, atque ex ijs Palatinus quidam Catholicus cum coniuge, & familia Catholico ritu sacra misteria percepit. Dux vero, licet schismaticus, eam tamen Palatini religionem, nostriq. Sacerdotis ministeria ex Catholicorum consuetudine, displodendis machinis bellicis, atque alio omnino splendido apparatu cohonestauit. id visum omnino nouum Graeci schismatis hominibus, neque in Poporum suorum (sic illi suos hic vocant sacerdotes) religione animaduersum. Is licet suo schismati adhaerens, libenter tamen societatis homines reueretur, eorumq. postulatis, si quid pro aliquo deprecantur, humane admodum satisfacit; Catholicisq. fauet non obscure. quibus etiam Templum in sua ditione paene deletum restituit. orandus Deus, vt tam propensa in bonum voluntas, & bene facta eius animum ad lucem tandem diuinae veritatis intuendam comparent. Episcopus Praemisiensis nostrae Societatis se praebet amantissimū. saepe concionum caussa nostrum aliquem sacerdotem solet accersere. ad quem audiendum multi tum

ex

ex praecipua nobilitate, tum Praelati, alijq. de clero conueniunt. is de nostra Societate loquitur per beneuole, & sane fuit illud nostrae Societati honorificum; nobisq. ad nostra & seruanda, & promouenda instituta calcar addidit: cum in sermone, quem cum viris principibus haberet, iudicium Stephani Battorei, Poloniae Regis de nobis protulit, quod prudentissimi Regis ore in Regio Conclaue se accepisse testabatur: fore, vt quandiu stabunt homines, in sua nostra Societas integritate persistat, quod cum pietate doctrinam prouide admodum, atque admirabili temperamento coniunxerit. Deus Opt. Max. sapientissimi, ac religiosissimi Regis testimonium ratum esse velit.

LVBLINENSE Collegium.

VNus, & viginti morantur in Collegio Lublinensi: nouem sacerdotes; eorum vnus cum fratribus quatuor docendi munus exercent: reliqui operum adiutores. His multum negotij cum Romanae Ecclesiae hostibus fuit. cedunt illi tamen, Deo nostros iuuante; & illorum subinde copiae carpuntur. quinquaginta hoc anno ab eorum castris abstracti: & eorum nonnullorum magnis in rebus explorata constantia. Matrona nobilis plus viginti millibus passuum Lublinum venit; vt se cum Ecclesia reconciliaret. eadem postmodum licet ad maritum haereticũ redierit, magno tamen animo affirmat, se tam tenaciter agnitae veritati adhaerere, vt ne metu quidẽ mortis ab ea se posse putet auelli. Par animi

mi firmitas in quibusdam aulici ordinis hominibus perspecta. Est apud Thesaurarium Regni Germanus adolescens, ob egregiam indolem, & in rebus agendis solertiam patrono apprime carus, hic a Luthero translatus ad Ecclesiam, tanto est in Catholicos ritus animi ardore, vt, cum luctuosissimo totius anni die misericordiae sodales, novo spectaculo, atro tecti lineo templa septem, septem Ecclesiarum instar agmine obirent, ipse quoque atratus, recens adhuc ab haeresi, quo conspicatior esset omnibus, in primo agmen processerit, & facem ardentem praeferens ardentiore animo viro darent se veteranis addiderit. Multi ab haereticorum consuetudine revocati: & multi ad studia pietatis incitati. a multis confessiones a prima pueritia institutae, multis exremotis locis accurrentibus salutaria consilia suppeditata. Caupo nequam meretricem alebat in hospitio, haud dubie adeuntium illecebrae, & infami lucro suo, toroq. eo tempore (& fuere anni non pauci) ne malorum instrumentum abigerent, tum ipse, tum ipsius uxor sacramentis abstinuerant. id a nostro sacerdote inauditum, ab eoq. data opera, vi pestiferae exacta syrenae, vterq. ad sacra reuerenter obeunda se referret. Et cum extra Ciuitatem rarae admodum Ecclesiae, pauci Sacerdotes sint, mirum quanta nostri homines animos paganorum laetitia efficiant, ad quos excurrunt; quae a q. ab ijs tum gratia, & beneuolentiae significatione excipiantur: neque vnquam sine magno animorum fructu redeatur. Ciuium quoque animi non parum ad meliora inclinare coeperunt: praesertim posteaquam e nostris sacerdotibus quendam concionantem audierant, cuius ita oratione capti sunt;

vt

qui quod nunquam antea vidisses, certatim ad eum expiandae conscientiae caussa concurrerent: ex iisq. viri senatorij: fuereq. permulti, qui à prima aetate suarum culparum seriem illi detexerint universam, eoq. fuit illis gratior, quo minus eorum multis antea cognitus: ita vt in eius discessu multi lacrymas non tenerent. Spiritualibus diuinae contemplationis institutionibus duo, vnus aulici ordinis, Dominicanae familiae alter se apud nos exercuerunt. In rerum externarum copia non leuiter hoc anno auctisumus. Vicecapitaneus Ciuitatis, egregia virtute vir, triginta florenos annuos Collegio attribuit: ad augendos autem praedy prouentus pecora subinde nobis donat. Matrona alia illustris, opulenta, & liberalis, iam triennio pecunia, equis, alioq. pecore, ac vasys ad ornatum Templi rebus subinde submittendis, ad florenorum mille summam ascendit. orandus Deus, vt pro sua infinita liberalitate, pietatem tantam caelestium bonorum centupla, & aeterna tandem beatitudine compenset. Leomazice vicus est, praedys nostris finitimus: is haereticis quibusdam opulentis valde nobis infensis hypoteca nomine addictus erat, apparebatq. futurum, vt si, quemadmodum resire cooperat, perpetuum illi dominium vindicassent, nostra praedia magna damna paterentur. Data est opera, in eoq. biennium totum laboratum, licet hypothecario valde obnitente, vt partim compositione, partim Regni decreto, legitimi haeredes in possessionem mitterentur. ita, Deo bene iuuante, eo periculo liberati sumus. Templi aedificatio, quae fit impensa Regis, crescit in dies; scholae quadringentos habent adolescentes, nobiles magnam partē, ac se-

ac senatorij ordinis aliquos. Hi quantopere sint religionis studiosi, quantuq. ex nostra proficiant disciplina cum alias saepe, tum eo maxime tempore declararunt, quo Christi Domini obitus solemni piorum memoria recolitur; cum quinis ordinibus cum flagris in Templum atrijs ex suo sacrario prodeuntes, ad eludendas mollium haereticorum irruptiones, indictam à viris sanctissimis religionem retulerunt. Idem iterum cum in aduentu Illustrissimi Cardinalis Radziuili quadragenarum horarum supplicatio celebrata est. Is enim, pro sua pastorali cura, cum has ecclesias inuisseret, eam latriam ad felicem Christianarum rerum euentum postulandum indixerat. Inuisit religiosissimus Praesul, cum magno Praelatorum, aliorumq. nobilium comitatu nostrum Collegium. exceptus est ab vno e patribus latina oratione cum magna omnium probatione. Idē die alio schola cum intrasset, à nostra iuuentute, iterum varia orationis genere magna sua cum voluptate salutatus est; viciſſimq. ab ipso adolescentes collaudati; & ad litterarum, & pietatis studium pro temporis opportunitate inflammati. Exhibuere ijdem corporis Christi die festo Melchisedechum Abrahamo à victoria Elamitarum, sociorumq. gentium reuertenti cum mystico pane, & vino occurrentem: gratum omnino spectaculum vniuersis.

* * *

CALIS-

Digitized by Google

CALISSIENSE Collegium.

ALVIT adhuc Calissiense Collegium Socios viginti quatuor, Sacerdotes undecim, sex magistros, auditores tres, in opere domestico reliquos. P. Alphonsus Pisanus biennio iam lecto affixus de sepso triumphans, forte praebet exemplum patientiae, acerbis strangoriae doloribus vexatus. dignus vique senex, qui ob praeclaros labores perfunctus extrema aetate tranquillioribus diebus viteretur; ni ad cetera illius merita in caelesti vita compensanda, hunc quoque dolorum cumulum summus illius rerum arbiter voluisset accedere. Tantum de domesticis. Scholae trecentos habent adolescentes, omnes fere ad omnem probitatem propensos: sed sodales Deiparae tertii adscripti, ceteris praestant. ex omni vero numero discipulorum multi se in Societatem admiti flagitarunt: tribus tantum satis est factum. Ex alumnis Episcopi quinque sacris ordinibus initiati, novante ad altare primae hostiae offerendae accesserunt, quam secreti à ceteris, diebus aliquot ad praescriptum pijs se commentationibus compararunt. his institutionibus muniti, maiore deinde studio, & efficacia in salute aliorum procuranda versantur; quo fit, ut libentius deinde ex his deligantur, qui regendis parecijs praeficiantur. Concionum, confessionum, aliarumq. exercitationum idem, qui superioribus annis fructus extitere. nam & hic, ubi haeresis nidum suum videtur collocasse, viginti tantum ad

fidem

fidem sunt reducti : sed vnus praeter hos instar sit multorum : ex quo magnum momentum ad Catholicae fidei auctoritatem accesserit; contraq. de vesanae doctrinae existimatione plurimum ad hominum opinionem, & iudicium decesserit. Quinquaginta hic & sex annos, quantum pauci hominum viuunt, munus falsa docendi dogmata sustinuerat, longeq; suorum gregalium peritissimus cum in hac, tum in alijs circa Ciuitatibus habebatur; vt diu iam in pestilentiae cathedris primatum obtineret. huic malorum dierum inueterato diuina lux affulsit (ita neminem aspernatur Dei bonitas : vt qui in tanta luce caligant, sua voluntate caelesti lumini suas ipsi tenebras anteponant) huic igitur tam diuturna peruicacia obdurato, valetudinis, ac mortis periculo admoto, diuinitus de animi salute metus injcitur. ita cunctatione abiecta, ad nos se confert; praua omnia, quae ad eam diem tanto suo, & aliorum malo sequutus esset, detestatur : doceri veritatem postulat : se totum in recte docentis potestate fore pollicetur: excipitur à nostris perhumaniter. diebus aliquot versatur inter nos; abundeq. illius voto satisfit. postquam satis instructus visus est, omnia quae contra diuinam legem, orsus à puero peccauit, ad sacrorum Canonum praescriptum confitetur : tum in magno catholicorum, & haereticorum conuentu, dogma, quod tandiu praedicauerat, execratur: postmodum solemni cerimonia absolutus, ad sacram mensam admittitur. Sperandum est talis viri ad Ecclesiam accessum ad multorum quoque vtilitatem profuturum. Est homini quoque catholico in tempore subuentum;

qui cum in fide fluctuaret, triduo ante mortem, & salutaribus monitis, & oportunis remedijs est confirmatus. Excursum est in vicina loca: atque in opido quodam Sacerdotes duo, promulgata indulgentia, nostrorum missionibus concessa, tãtum suis concionibus animorum motum fecere; vt qui multitudinem ad Sacramenta accurrentium vidisset, Christi resurgentis solemnes dies esse crederet. quo tempore quam multa praua correcta sint; quot illicita reuocata, quot nefarij contractus rescissi; quot, & graues offensae inter priuatos sublatae, cogitare facile possunt, qui haec tractare consuerunt: periclitans Virginitas adiuta; quaestus ex turpi libidine prohibiti, adulteri seiuncti, atque ad emendationem morum, piamq. viuendi rationem traducti. multorum denique saluti animorum omnibus modis consultum. Addam postremo loco de Illustrissimi, & Reuerendissimi fundatoris nostri egregia erga nos voluntate, ac liberalitate, quam cum semper alias, tũ maxime hoc anno declarauit. Templi nostri aedificatio eo iam perducta erat; vt licet ad absolutionem operis adhuc pauca deesse viderentur; ad commodum tamen vsum sacrorum, aliorumq. nostrorum ministeriorum, nihil deesset. tandiu tamen continere se illius ardens animus non potuit, quoad tantum illud, quod deerat, absolueretur; moraeq. impatiens, vt primo quoque tempore bono illo Ciuitas frueretur, Calissium accurrit; & homo id aetatis (est enim prope octogenarius) totam illam tam longam difficilemq. dedicationis cerimoniam suscipere non dubitauit. & cum propter inbecillitatem virium prolixos quosdam

&

& operosos ritus per alios ebire cogeretur, quod proximum tamen fuit, in magna Episcoporum, Abbatum, Praelatorum, aliorumq. primae nobilitatis virorum concione, qui ad eam spectandam cerimoniam confluxerãt, orationem habuit, tanta tum animi, tum laterum & spiritus contentione, vt iuuenilem in eo aetatẽ non desiderares. illius iussu concio tota est typis excusa, & Serenissimo Regi Poloniae dicata; qua etiam illius celsitudini societatem vniuersam, at praecipue hoc Calissiense Collegium commendat. Addidere non parum splendori, ac celebritati discipuli nostri; qui tanta contentione ingenium, ac stylum exercuere; vt omnium iudicio nunquam hic neq; plura, neque meliora sint prolata argumenta. Dedere eodem tempore & drama de Iuditha. Ipse optimus Praesul, quandiu hic fuit, in Collegio nobiscum diuersatus est, hospes multo acceptissimus: & qui hospitalitatem nostram sua beneficentia superauit. siquidem praedium septem millibus florenis coemptum Collegio adiecit. multa alia ad altarium ornatum, ad vestem, ad saeram supellectilem augendam magno sumptu comparauit. Omnibus denique in rebus, & Societatis vniuersae amantissimum, & omnium nostrum parentem se praebet iucundissimum. Constituit praeterea Collegij vectigal augere; vt ad humanitatis, quae hic tractantur, philosophiae studia etiã accedant: eaq. de re cum P. Prouinciali egit soriã. Idem vt inopi consuleret iuuentuti, amplam domum commodo exstructam magno pretio emit, in qua centum iuuenes alantur: triginta q. millia florenorum iam depositi, quibus ad victum ij

suppeditandum, census comparetur: eiusq. rei bonis viris, ac prudentibus negotium dedit. ita quæ ratione de re Christiana bene mereatur, nunquã desistit cogitare.

DERPATENSE Collegium.

DERPATI *septemdecim de nostris versati sunt: septem sacerdotes, tres magistri, reliqui utriusque auxilio. Annus hic fame totam pene Livoniam afflixit, vt non animis solum, sed etiam corporibus miserorum consulere necesse fuerit: & curatum vtrunque pro viribus. sed quod attinet ad animum, strenue nostri laborarunt in sterili agro hoc, seu densa potius sylua excolenda. sed solum omne perpurgare immensi profecto est operis: nec tantae rei tanta operarum paucitas est satis. est enim camporum vastitas immensa: neque tantum sentes extirpandi, sed annosae etiam, & duratae excindendae arbores. quod tamen paucorum hominum opera fieri potest, curatur sedulo, vt arui, quantumque nacti sumus bene, culti fines in dies proferantur. Confessiones generales in Vrbe auditae termille & sexcentae quinquaginta. Superstitiones, abusus varij, impuri, nefarij, ridiculi, sublati plurimi; malis multis in perniciem tum corporum, tum animorum exorientibus occursum. Quidam familiaritati mali daemonis, ita se addixerat, vt multis in rebus illius vtercitur opera: & cum subinde conscientia stimulante, hominem*

facti

facti poeniteret; nunquam tamen sande mentis consilium affirmauit. accedebat, ad certiorem hominis perniciem, etiam haeresis. Sexdecim ipsos annos perplexus in hac ancipiti periculosaq. dubitatione fluctuauit, attulit tandem laboranti Diuina potetia auxilium; hominemq; in medio versantem mortiferi belli turbine deduxit ad nostros; sita & eo periculo ereptus, & Ecclesiae est, ac pie viuentium cetui restitutus. Monitus alius a nostro, vt vitam corrigeret; eoq. duci se sineret, quo diuina voce traheretur: serium dictum tempestiuo scilicet ioco elusit. Cum Deus, inquit, me traxerit, tum sequar quo me ducet. paucis ab eo sermone diebus, in rixa vulneratur: & fuisset fortasse letale vulnus, ni Deum, quem iacta temere vox irritarat, festinata poenitentia placasset, tum siquidem fassus se trahi diuinitus, sacerdotem, cuius antea monita contempserat, ad se poenitentiae caussa iubet acciri. Sed non minores ex locis alijs, quo nostri excurrerunt, collecti fructus. Baptizati varijs in locis ducenti septuaginta nouem; & ex ijs adulti non pauci: tam alti sentes boni patrisfamilias sementem obruerunt. baptismi ritus in trecentis triginta & vno; matrimonij in vndecim coniugijs suppleti. ab haeresi tredecim, à Graeco schismate quatuor. se receperunt. mirum has vetustate duratas arbores euertere est arduum: inflectere, nisi data virtute diuinitus, multo difficilius. Plenaria indulgentia, nostrorum excursionibus concessa cum hominibus centum communicata. Confessiones generales auditae mille nongentae quadraginta nouem: ad sacram mensam trecenti decem admissi. Initus est numerus

Digitized by Google

rus Confessionum auditarum tum in Vrbe, tum foris: ad sexies mille sexcentas ac quinquaginta quinque peruenerunt: siquidem sacerdos vnus generales confessiones excepit bis mille septemdecim. ampla omnino expectanda messis, si modo semenati par fructus respondeat. Haec de sacrorum administratione. Non habent scholae multa, quae narrentur; spes tamen adhuc est prouentu melior. exiguam omnino eruditam inuenturem; sed quam speramus pusillum esse gregem, cui regnum dare summo patri coplacuit; nam, & ex ijs multi in Deiparae ascripti sodalicio, tantae matris tutela se praebent non indignos: & ij, quibus Corporis Christi constat sodalitas altera, licet numero pauci, exemplo tamen virtutum, caritatis praecipue in aegros & egenos, instar habent multorum. id proxime in aegrota quadam, ac derelicta femina perspectum est. iacebat misera omni ope destituta in Platea lurida, macie confecta, ac morti proxima, postilenti aliquo sidere percussam diceres: neque erat, qui afflictam subleuaret. huius indigentiae boni sodales ita opem tulere; vt quanto illa ui morbi fediore contabuit, tanto illustrius illorum in uiua, & mortua curanda officium eluxerit. Academici alij (extra horum numerum ex scholis forte fuere) cum Derpato emigrarent, egregiam exercendae caritatis occasionem instar Samaritani Euangelici nacti sunt: in hominem incidunt in itinere vulneribus misere concisum, abiectum in via, tamq. male acceptum, vt neque pedibus repere posset, neque manibus: veste insuper spoliatum, lacerna si tantum, ac femoralibus relictis. tam

miserando spectaculo commoti boni adolescentes accurrunt, tarrucam comparant, hominem ad proximum opidum in hospitalē domum deuehunt. hospitij praefectus lutheranus eos primo aduentu tecto prohibuit: victus tandem precibus aegre concessit, vt ibi saucius quiesceret tantisper, dum ei solliciti sodales vehiculum conquirerent. duo ex illis ad vicinam artem aduolant: dominam adeunt: ab ipso comiter excepti, curum misero homini deportando Volmarium vsque, quo ille contendebat, libenter impetrant. cum interim qui apud aegrum restitissent, saniem detergerent, vulnera obligarent, cibum praeberent: omnia quae ad semianimen recreandum pertinerent, sedulo administrarent: denique inter manus subdatum currui perhumaniter imponunt. Praeclarum verò id Christianae caritatis argumentum tum locorum dominis, tum ciuibus licet haereticis visum, & maxime probatum: homines inopes, peregrinos, fessos de uia, sui oblitos, tanta cum animi alacritate de ignoti hominis calamitate esse sollicitos; tantoq. cum labore, quae essent ad miseri leuamen opportuna, conquirere, parare, ministrare. nihil non modo a ciuium suorum, sed ne ab vllo quidem ministrorum tale vnquam profectum. quin etiam ex nostrorum comparatione illorum magis inhumanitas declarata est; qui Christi Euangelium semper habent in ore. nam cum miseri illius prima, & vna vox esset Confessarium poscentis, vocatus, errore nescio cuius, minister loci ad moribundo aduenae opem ferendam, venire recusauit: saltem ad eum in suum errorem pertrahendam extremo illo tempore ve-

nisset, si suae legis religione tangeretur. data tamen est opera diligenter, vt illius voto, & pietati satisfieret. Relatus tandem Volmarium, parocho Volmarienſi, societatis admodum benevolo commendatur. Haec ab hominibus nostra tantū disciplina institutis profecta; ex quasi tales riuuli manarunt, quae de ipso fonte concipere eos necesse sit qui haec suspexerunt, haud difficilis est coniectura. His alijsq. rebus, in primis vero diuina ope speramus nos maiore in dies frequentia auctū iri. interim quantum in hac adolescentium paucitate proficiitur, nos minime poenitet. Agitur sedulo cum patribus familias haereticis vt suos liberos in nostram tradant disciplinam: sed nobis aduersantur magistri lutherani, quippe intelligunt, quicquid nobis accesserit, suis decedere emolumentis. itaque hac paucitate continemur, & ex his quos habemus, multi licet haereticis orti parentibus, egregia sane voluntate erga nos, & bene erga catholicam fidem animati. sed per aetatis teneritudinem, parentum deterriti seueritate, in apertum erumpere non audent. hi tamen optime, quantum inter scholas nostras interfit, & lutheranorum, cum rebus alijs, tum maxime exercitationibus publicis intelligunt. nam si vspiam tum scholasticae, tum dramaticae actiones, hic maxime vtiles sunt. intellectum est proxime in scena: cum agentibus nostris discipulis docto poemate vmbras, & imagines veteris historiae ad excellentiam sacrosancti Christi sacrificij, & viuificae Eucharistiae, ipso eius die festo apte respondere demonstraretur; res tam ingenioſe tanto, & apparatu, & elegantia peracta,

ta, tantopere etiam omnium iudicio probata; vt Derptenſes omnes plane fateretur, nihil proferri poſſe in hoc genere, quod ipſorum memoria tanta cum laude geſtum eſſet. & ſperamus non fruſtra ſemen iactum. Siquidem haec nobis & ingenij, & doctrinae, vel apud ipſos aduerſarios conciliant opinionem: vt prae nobis lutheranae ſcholae contemnantur. ſperamus hac eſca delinitos, ſubinde aliquos Eccleſiae ſagenam intraturos. Reuerendiſſimus Epiſcopus iam ab Vrbe, & aula Romana redijt. is ſtatim, atque afflictam ex longo itinere valetudinem recreauit, ſtrenue ad ſua obeunda munia aggreſſus eſt: altaria aliquot tum in noſtro, tum in principi Templo conſecrauit: multos ſacro chriſmate inunxit: indulgentias in Principi Templo, Mariae Virgini dicato, certis diebus conſequendas publicauit: pecuniam ad ſcholarum ſtudium honeſtis praemijs excitandum dedit: ad egentes item diſcipulos iuuandos, ad Xenodochium ſubleuandum, aliam aſſignauit. capita quaedam ad magnum Eccleſiae bonum pertinentia, breui commentario à noſtris ſibi propoſita probauit. primum, vt nuper correctum calendarium ab haereticis quibuſdam, quos iure cogere poterat, ſeruari iuberet: deinde vt quotannis praedia in ſua ditione luſtraret, & baptiſmata, ac matrimonia catholico ritu celebrari praeciperet: tum vt haeretico miniſtro ad ruſticos Regios excurſiones, poena capitis propoſita, inhiberet. Quae omnia videmus iam ſeruari. Deus O. M. ſegetibus his, quae tanta cura ſeruntur, & rigantur, det illud, quod omnes optamus incrementum.

COL-

COLLEGIVM Nieſuiſienſe.

IN Nieſuiſienſi Collegio degunt ſeptemdecim; ſacerdotes ſeptem, e quibus vnus cum duobus patribus docet in ſcholis, reliqui domeſtiris negotijs intenti. Ab his, & in Vrbe, & in agro de more laboratum. ſed extra Vrbem aliquot menſium fructus grani admodum, & aduerſa calamitate intercepti. Praedonum non parua manus regionem aliquandiu habuit infeſtam; vt ſaepe vici, & opida diriperentur. ita obſeſſis itineribus vltro citroque niſi vitae periculo commeare non licebat. Ea de re ſaepius noſtrorum hortatu, ad Diuinum implorandum auxilium ſupplicatum eſt. Diuina tandem miſeratione hoc metu liberatis facta poteſtas eſt liberius peragrandi; & concionabundis per uicos, & caſtella, homines ad pietatem euocandi. ita & ab haereſi, & à ſchiſmate traducti aliqui: multorum etiam, quibus ea res, aut nulli aut perexiguae antea curae fuerat, Confeſſiones de tota vita exceptae. Scholae licet minus, quam antea frequentes, hoc anno tamen tribus Illuſtriſſimi fundatoris noſtri filiolis auctae ſunt. Partheniorum ſtudium, & pietas de more floret. eorum opera puella Hebraea eſt ad baptiſmum adducta. eam de ſacro fonte Palatinus quidam, & Illuſtriſſima Ducissa Radiuila exceperunt. Ex eadem ſodalitate duo facti ſacerdotes, antequam ad Diuina primum peragenda myſteria accederent, diuinis

bis se aliquandiu commentationibus ad caelestē munus comparārunt. Addam postremo loco de Illustrissimo Fundatore nostro, quae illius & auctoritatem, & fidem in Deum prosequentur. A Serenissimo Rege missus est, vt Regia auctoritate, & nomine Voladicarum Synodo interesset (q̄ sunt Graeci schismatis Ruthenorum Episcopi) vt eo conuentu de reditu ad Ecclesiam serio aliquid ageretur: & in ea re egregiam ille nauabat operam, fortiterq. furori tumultuantium obsistebat. Illustrissima interim coniux graui morbo implicita venit ad extrema, neque ille propterea à suscepta legatione recessit. quin ipsa coniux non minus constans eum ab eius rei procuratione, quam tantopere ad Dei gloriam pertinere intelligeret, amoueri vetuit: eoq. semper fuit animo, vt eius legationis vtilitatem suae vitae anteponeret. & cum in dies morbus ingraueſceret, nihil nisi de caelesti patria sollicita, ad omnia sua consilia, atque ad animi praesidia, eo praesertim tempore conferri solita, non nisi sacerdotis nostri opera vti voluit. vidisses religiosissimae foeminae, & in morbo aequitatem animi, & in obitu vitae rerumq. omnium contemptum. Funeris modum ipsa integris adhuc sensibus praescripsit; omnemq. exequiarum magnificentiam praecidit; mendicorum manibus ad sepulchrum deferri peroptauit; in eorum leuamen funebres sumptus interuerti praecepit: amplam etiam stipem hospitali recens exstructo & Templis, & sacris Virginibus testamento legauit. Speramus illam si minus ad sepulchrum inopum manibus, illorum saltem

Digitized by Google

tem precibus, & in ipsos collata beneficentia, in in aeterna Tabernacula receptam esse.

POLOCENSE Collegium.

DVODEVIGINTI Socij Polocensis Collegium incolunt, octo sacerdotes; eorum vnus cum duobus fratribus adolescentium sunt institutores, octo domesticis inseruiunt. Cursus rerum sacrarum, quae Dei bonitas est, feliciter progreditur, sed aliquam interturbationem attulit saeua lues; quae febrium contagione totum paene annum grassata, aliquot nobis abstulit adolescentes: cum his duos, nobili vtruque ortum familia, sed parentibus anabaptistis, ipsos tamen catholicos, catholico ritu sacris expiatos. De eorum altero certamen ortum inter patrem anabaptistam, & matrem schismaticam. Declarauerat ille ante mortem velle suum curari cadauer ritu eius, quam viuens tenuerat, religionem. pater suae studio peruersitatis, anabaptistarum, hoc est plane belluarum, more volebat ei funus procurari. Vrgebat mater, filij voluntatem ratam esse oportere: illud subinde iterans: frustra eam religionem eripi mortuo, quae viuo erepta non esset: patrem, & iniquum esse in filium, qui vltimam eius petitionem non admittat; & stultum, quod quod factum est, id factum esse nolit, filium religionem quam Iesuitae colunt ad extremum vsq; spiritum retinuisse; quid attinere nunc post mortem eum asserere anabaptistam? praeterea

Digitized by Google

rea non esse patri honorificum, qua in viuentem non est vsus, eam in mortuum seueritatem adhibere. Dat manus tandem pater; permittitq. vt quæ filij regendam animam viuentis susceperunt, ijsdem mortui curandum corpus traderetur. Honorifico igitur funere, catholico ritu elatum religiosi adolescentis cadauer tumulatur. Quinque alij nobiles adolescentes, inuitis haereticis parentibus, longo & incommodo ob solutas niues itinere, die Dominicis palmis ab Ecclesia dicato, ad nos sacramentorum causſa venerunt, quibus deinde communiti, fortiores in patriam remearunt. Ceterum quae ad animarum salutem in Vrbe procurata sunt, non sunt à superioribus annis dissimilia; vbi enim tranquilla sunt omnia, suo cursu cuncta procedunt; & raro accidit narratu dignum. In agro nacti sumus messem operosiorem. loca multa sacerdotibus destituta nostri adiere. excepere sacra mensa quadringentos quinquaginta septem: septuaginta sacro fonte lustrarunt, Caluinistarum magno detrimento, qui non nisi pacti pretium pro facultatibus parentum, nefaria nundinatione, ad infantes abluendos adducuntur; quo fit, vt inopes, impensae magnitudine deterriti, à sacramento omnium maxime necessario arceantur; ita aliqui decem, & eo amplius annos nati fuere baptizandi. coniugia septuaginta vitio ante coniuncta, catholico post modum ritu consecrata sunt: clandestinis matrimonijs remedia adhibita: adiuti quoque milites, qui ad Regnum expurgandum latrocinijs, conscripti erant. ex ijs a Caluiniana peruicacia iuuenes duo, & cohortis Praefectus illustri loco natus, cum multis ex

prae-

praecipua nobilitate auctoratis abducti, hi omnes, extremis praesertim Quadrageſimae feriis, & Paſchae diebus, magna cum religione ſacra frequentarunt: de ſacra menſa etiam vna perceperunt: laudabili omnino, & raro in militari multitudine exemplo. ſeptem praeterea ab haereſi, quadraginta tres à ſchiſmate auocati. Facilis omnino videtur huius gentis, quod ad vulgus attinet, ad Eccleſiae catholicae conſenſionem reuocatio; nec preteruo ita ſunt ingenio: ſint modo qui errantibus viam monſtrant, ſequentur facile. Maior haereticorum quorundam pertinacia, & ingenia adhuc duriora. exemplum habe. Sacerdos noſter cum in pago rudes doctrina Chriſtiana informaret, in hominem incidit alioqui nobilem, ſed Caluiniſtam. inuitat hic noſtrum ſacerdotē domum veniunt; injicitur ſermo de religione: aderant vicini aliquot ipſius ſimiles, & eorum ſchiſmaticae vxores: miſtio male ſane temperata; ad quam iungendam ſpiritu illo opus eſſet, qui omnium linguarum dona confert. Inter diſputandum eo ventum eſt, vt noſter locis quam plurimis ab haereticis depauatos eſſe ſacros codices doceret. profertur locus vnus, & alter ex maxime deprauatis. vbi cum pater familias teneretur; nec viam, qua ſe expediret inueniret, praecipiti leuitate prouoluitur in genua, & coniunctis in crucem digitis, iureiurando ſe obſtringit, non amplius cum ſacerdote noſtro diſputaturum. ſed haud ita diu ſilentium tenere potuit. nam paulo poſt ab eadem animi leuitate iurgia repetit. modo hunc, modo illum articulum fidei arrodere, indigna multa contra veram in Euchariſtia

ristia Christi praesentiam Stygia maledicentia euomere. satisfiebat illi à sacerdote, vt quid abjceret non haberet, nisi, se non esse philosophum. Postero die in sanctos caelites petulantissime inuectum librum protulit Polonico idiomate preces ad Sanctos Caelo degentes continentem, hunc ventilare, irridere, vellicare, dicta omnia in ludibrium vertere, peruerseq. interpretari; nec quemadmodum illa ab Ecclesia intelligerentur, audire velle. tandem silentio impetrato sacerdos quasi praesentiens futurum: vereri se dixit, ne tam indignas in diuina in illa domo iactas contumelias Deus seuera aliqua animaduersione puniat: omen sequutus euentus. Vix duabus ab eo iurgio hebdomadis elapsis, nobile illud aedificiu, non ita pridem constructum, orto ab eo triclinio, vbi maledica à saeuo hospite altercatio habita erat, incendio totum absumitur, magna omnino peruicacis hominis iactura; vt ipse eidem sacerdoti postea narrauit. tantaq. est animi confidentia, tanta obduratae conscientiae securitas, vt ne hac quidem plaga accepta, suam agnoscat peruicaciam: quin in suo errore pertinacior, quasi cum Deo facta sponsione, nulla religione territus, fortuitum incendium illud fuisse asseuerat. quod omnes, qui temulenta hominis in sanctos maledicta audierunt, vel illi ipsi, qui eadem labe sunt infecti, diuinitus confitentur accidisse, ob infandas illius in caelum exsecrationes in disputatione habita cum Iesuita, impio sermone, prolatas.

COL.

COLLEGIVM RIGENSE, & Probationis Domus.

HABET adiunctam Probationis domum Rigense Collegium. in vno, & eodem domicilio degunt quadraginta; sacerdotes duodecim: ex his tres agunt tertium Probationis annum: primum absoluerunt quatuor: docent fratres duo: veterani sex Collegio inseruiunt, reliqui tirones. In Germanos maxime, & Lotauos hic operam impendimus: licet ad vota labori fructus non respondeant. Confessiones auditae trium millium trecentorum triginta: caelesti cibo pasti centum quinquaginta: ad catholicam fidem a Caluino, & Luthero traducti centum triginta tres. a Rhuthenis matrona illustris ad catholicam Ecclesiam cum tota familia adiuncta: aqua baptismatis abluti triginta nouem: matrimonia quadraginta quatuor. in facie Ecclesiae contracta. Non desunt qui suam in fide constantiam subinde praestent. Puella catholica ad nefariam, quam exsecranda Synaxi obire caenam solent vesanae religionis sectatores, accessit: conuicio, minisq. ab haeretico domino adacta. ceterum nequaquam impuro illo ferculo se polluit: sed simul acceptū, canic lam vorandum transmisit. paulo post per causam cogendi pecoris, quod ipsa in syluam Templo vicinam de industria compulerat, sacrilego caenaculo egressa, Templum petit; adit sacerdotem; ac crimine liberata, purissima sacra suscepit. Illustrius adhuc suae fidei documentum

Digitized by Google

tum nobilis alia praebuit adolescentula: haec Capitanei arcis filia quandiu in parentum haereticorum fuit potestate, inuita illis obtemperauit. emissa per nuptias, & viro tradita, ipso conniuente; ganniente, ac fremente matre, ad Ecclesiam catholicam, catholicaq. sacramenta se recepit. Dinamonda, & Nouomola, opida sunt minora, duobus hinc milliarijs distantia. ibi catholici degunt permulti: sed consuetudine haereticorum paulo remissiore ad religionem animo. huc nostri saepius profecti sopitum religionis studiũ Ciuium animis calcaribus subiectis excitarunt. bis vtrobique quadragenis horis continentibus diu noctuq. supplicatum, magna pietate, & frequentia. idem, in opidone, an vico alio, factum magno cum animorum fructu. Videre erat rusticam plebeculam repetitae religionis gaudio perfusam lacrymas non tenere. cum auitas cerimonias, iam paene ex animis deletas longo post tempore intuerentur. Speramus, Deo bene iuuante, etiam ex his hortulis non contemnendos fructus in Domini cellam inferendos. Episcopus, & nos inuisit subinde, & nobiscum etiam diuersatur, quin aliquot hebdomadarum hospitio est vsus. Feryis Pentecostes in nostro Templo solemni cerimonia sacrum fecit, concionem habuit, & quadringentos octoginta confirmauit. nostrorum opera, in suorum praesertim salute procurãda, multum vtitur. ad cetera eius facta laude digna illud accessit. Templum catholicis restituit, submoto inde impuro haereseos ministro. eius quoque impensa ampla domus restituta hospitio adolescentium eorum, qui studiorũ causa huc veniunt,

neque à ciuibus recipiuntur; sed, quod ad nos pertinet, laxandis sociorum animis, villa cum subvrbano praedio Collegio accessit, e quo praeterea Speramus trecentorum talerorum summam prouenturam.

DOMVS CRACOVIENSIS ad S. Barbaram.

CRACOVIAE in domo ad S. Barbaram Sacerdotes morantur nouem, fratres totidē. obijt P. Samuel Musculus Mionienſis natione Germanus; qui ad suae gentis homines concionēs habebat. Reliqui, quamuis pauci numero, ōpera tamen instar multorum fuere: ingens auditarum confessionum numerus: quarum multae multorum annorum, totius vitae aliae fuere. iniuste possessa reddita multa; in ijs numi aurei trecenti fenore collecti; lites & controuersiae sedatae: sublata dissidia, restincta odia, inimicitiaeq. & graues, & periculosae compositae; scelera magno numero prohibita: à consilio sibi necis inferendae reuocati sex: è quibus nobilis unus malo daemoni suo se chirographo mancipium addicere statuerat. denique in eo genere à tam parvo hominum numero tam multa perfecta, quam multa multis hominibus praestare laboriosum esset. A varijs haeresibus abstracti quinquaginta duo. anabaptista graui pressus morbo baptismum à nobis postulauit; quem assequutus, praeter suā, & omnium opinionem, breui conualuit. Ecozaesij homines sunt vagi, & liberi perpetuo militiam

Digitized by Google

tiam exercentes, in omnem audaciam proiecti, nullis legibus, nullo certo imperio; ex Polonis maximam partem, & aliarum gentium colluuione, gregatim reguntur. Suos tamen habent duces, ac rectores; assueti quoque in praelio parere ducibus, ordines seruare, a quibuscumque conducuntur, siue a Polonis, siue contra Polonos, stipendia merent. si quando vacant, rapto viuere soliti in ſuis tantum terris, vbi quisque natus eſt, maleficio abſtinent, praeterea vbique nullo diſcrimine latrocinantur; vndecunque praedas abigunt, in omnes aeque graſſantur: vt nouum, ac inauditum accidit hoc anno, vt duo ex illo grege ad bonam frugem, & ad poenitentiam ſe reciperent. ita nullum, quantumuis perditum genus, excluditur à Regno Dei, vt horum exemplo nulla ijs ſuperſit excuſatio, qui ex ea ſecta extremo iudicij tempore iuſta Dei ſententia damnabuntur. Reuerendiſſimus Epiſcopus cum in coenobio ſacrarum Virginum diſciplinam reſtitueret, noſtrorum opera audiendis monialium confeſſionibus vti voluit. Aliae Virgines quatuor ſacramenta à noſtris ſolitae percipere, perpetuo voto ſe ſacrarum virginum cetui inſeruerunt. Impudicae mulierculae aliquot à libidinoſo quaeſtu noſtrorum opera ſe ſe abduxerunt. In ijs quaedam inferno hoſti ſe deuouerat: illi graui ſpecie, promiſſa barba daemon ſe viſendum praebet, pugillaria, vt votum litteris conſignet, porrigit. cognita fraude, Ieſum territa inclamat: crucem ad pectus manu ſignat: obſcena ſpecies abſcedit: mulier eo periculo erepta, ſtatim ad Templum adiens ſcelerate actam vitam Poenitentiae ſacramento

Digitized by Google

expiauit. Sodalicium habemus Misericordiae titulo iam pridem institutum. Eius sodales, praeter liberalitatem in subleuandis egenis, quod est eius sodalicij proprium, abunde impensam, quater hoc anno publicas preces ob communes reip. Christianae calamitates, Deo persoluerunt. quo tempore longo agmine, atrati, nudis pedibus se caedentes prodierunt. eaq. multitudo ex Praelatis Ecclesiasticis, Canonicis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, alijsq. primae nobilitatis viris constabat. Exemplum sodalitates aliae imitatae, quod nunquam antea visum in his locis, idem fecerunt. itaque, vt se dant initia, spes est, Deo bene iuuante, tam pia instituta, ad veterem illum antiquae religionis florem reducendum, multum profutura. Aucta est sacra supellex cum alijs multis, tum praecipue bissino peristromate a nobili quadam virgine dono dato, quo Templi parietes ex magna parte conteguntur. eius facti pietatem aemulata Virgo altera, statuit tantundem ad reliquam partem vestiendam comparare. Ex haereditate Reginae defunctae allata est ad nos effigies B. Virginis, argenteis laminis inauratis ornata, & multo praetioso lapillo, vnioneq. distincta. Rex ipse aream peramplam nouo exstruendo Templo donauit: eiusq. rei causa septemdecim millia florenorum assignauit, & nunc iumentis regijs materia comportatur; vt ineunte vere, prima aedificij fundamenta iaciantur, opusq. magnificentia Regia dignum primo quoque tempore exstruatur.

CRA-

Digitized by Google

CRACOVIENSIS DOMVS probationis ad S. Stephani.

SOCIOS quadraginta numerat probationis domus ad S. Stephani, quae est Cracouiae, partim veteranos, tirones partim. vterque ordo, pro sua parte egregie suo muneri satisfacit. Sed tironum seges in herba: ab alteris non exigui collecti fructus; idemq. qui vbique passim à nostris, audiendis confessionibus, dissidentibus reconciliandis, illatis damnis resarciendis, alijsq. id genus rebus ferri solent. ab haeresi, & schismate hic quoque reuocati aliqui: sed vnius praeter ceteros notatu digna conuersio. Sclopo hic traiectus letale vulnus acceperat. adhibiti vulnerarij spem paruam sanandi corporis ostendebant. sed animi vulnus pestilentius. infecto enim haeresi corporis letum animi quoque interitum attulisset. ad hanc pestem accedebat parentum eadem labe infectorum error, & aduleterati verbi ministrorum opera; qui sedulo fucata vesanae religionis monita homini misero obtrudere non desistebant. Inuisit hominem officij causa illi notus noster sacerdos: solatur: inter loquendum imminentis admonet periculi: salutis curam sensim injicit. enimuero in uitae maxime discrimine sentiunt homines quanto efficaciora ad bene sperandum sint remedia, quae a vera, quam quae à fucata religione traduntur. multum etiam interest, quo animo ad aegrum consolandum te contuleris; sincere & candido, atque ipsius salutis studio incen-

so; an vero liuore, ambitione, aliaue cupiditate infecto, sensit se miser, quod in peruersorum magistrorum sermone non senserat, pijs de sua salute sermonibus à nostro inectis, trahi diuinitus animum ad veritatem agnoscendam componit: denique errores exsecratus, cum Ecclesia reconciliatur. sacramentis perceptis, animi salus in corpus redundauit. quippe, contra quam medici sperabant, statim melius habere coepit, Christe grates. Hic quoque, & priuatim inter nos varia afflictationum genere, & publice in Templo supplicatum, ad iram numinis, & imminens periculum à Turcis auertendum. Auctus ornatus Templi excitato suggestu ad Concionem, & ara augustiore, in quam mille, & ducenti floreni sunt impensi. itaque aedem habemus magis multo, quam ante venerabilem. Eam sua praesentia & solemni sacrificio cohonestauit Legatus Apostolicus Cardinalis Caietanus. Idem domesticum nostrum sacellum sibi delegit, in quo per Aduentus, & Christi nascentis festos dies, & sacris, & Praedicatori nostro, quem Roma adduxerat, operam daret. Serenissimus quoque Rex, cum iusta Reginae amitae persolueret solene piaculare sacrum in aede nostra fieri voluit: & ipse funebri pompae interesse. In re domestica illa sunt. aes alienum non paruum dissolutum: & tamen praealtus paries erectus, qui praeter ornatum, domum etiam nostram, qua vertit ad plateam, intoriore aspectu prohibet praetereuntium. auctus etiam census pecunia publicis tabulis nobis addicta, post mortem testatorum percipienda: quibus ad

ma-

maiores in caelo sibi diuitias parandas, senectutem optamus diuturnam.

SEDES LEOPOLITANA.

LEOPOLI Sacerdotes quinque residen cũ fratribus duobus. Sacerdos vnus quinquennali morbo, & phthisi, benevolentia, & diligentia medicorum, Dei tandem auxilio convaluit. digna sane res, cur Deo immortalem habeamus gratiam. Egregia rei Christianae nauata est opera in hac sede; vt paucae operae multorum hominum industriam aequarint. & fere ita se dant res. nostrorum hominum aduentus in nouas ciuitates magnum ciere solet aquae motum: vbi est religio in ijs constituta, ac tranquilla, & pacata facta sunt omnia, licet ingentes fructus colligantur; quod tamen id vsu iam quotidianum factum sit, non tanta solet esse admiratio; & vt terrae longo tempore incultae, cum primum proscinduntur, messium vbertatem habent admirandam; sic Ciuitates, noua oblata religione, nouis ad pietatem stimulis adhibitis, ad nouum concipiendum studium excitantur ardentius. at vbi, quae prius noua videbantur, vsu iam quotidiano quodam modo deteruntur, videtur sensim pristinus ille feruor desedisse, proinde nec qui in excolendis ijs laborant, desidiosiores, nec Ciuitates longo iam vsu religioni assuetae remissiores sunt habendae, si non ij rerum motus apparent, quos initia tulere. Leopoli quinque sacerdotes quinque millium hominum confessiones excepere, preter mille alios, qui à prima aetate exorsi totius vitae

culpas euoluerunt. praeclara rerum initia habent admirationem, nouus adhuc ager, nouæ messis. cum fuerit, Deo propicio, Collegium constitutum, & rebus maiora accesserint in dies incrementa; magnum quidem erit, non tamen admirandum, eundem confessionum numerum obire vno mense. agendae tamen Deo grates, & paucorum hominum industria laudanda. bis diebus festis in principe, & alijs identidem minoribus templis habuere conciones. Sellae poenitentiariae in principi aede nostris sacerdotibus constructae quinque. ibidem sacellum ab Archiepiscopo nostris vsibus auctum, & ornatum. Nostrorum opera ad fidem Catholicam ab haeresi traducti octoginta nouem, plerique viri nobiles: à Iudaica perfidia adultus vnus, iuniores duo non longe a luce absunt. a meretricio quaestu abductae nouem; vna deterrita a lenocinio; à concubina alij abstracti; pecunia ex fenore redhibita; instructi parochi, & ijs magnis in rebus opera praestita. Multi, & plerique viri nobiles, ac magnates, qui antea per nostros ab haeresibus reuocati erant, à decem, triginta, & quadraginta milliarijs ad nos confessionis, & consilij causa veniunt. Virum claro genere ortum, sed religione Arrianum, morbo implicitum nostri adierunt, eumq. post aliquot congressus, cognatis mire aduersantibus, traduxerunt ad Ecclesiam. Scytha Christianus, relicta à Confessione militia, & profuga vita, se in coenobium religiosorum inclusit. adolescentes alij partim S. Dominici, partim S. Francisci religionem susceperc. Et cum his rebus tanta cum vtilitate sit à nostris opera impensa, tum ma-

maxime extitit frugifera circa festum diem Sanctissimae Trinitatis. quo tempore solet ad metropolitanam aedem, Indulgentiae obeundae causa, maximus hominum numerus confluere. quantos per eos dies quinque homines laborum fructus exceperint, confessionibus audiendis, consilijs dandis, perplexis conscientiae dubitationibus explicandis, conijcere non est difficile. Agitur sedulo per Reuerendissimum Lucrouiensem de reducenda ad Ecclesiam Rhuthenorum natione, qui Graecorum schismati adhaerent. ea de re, consilij causa, saepe aliquem de nostris ad se accersit sacerdotibus. Idē persaepe facit Archiepiscopus huius Ciuitatis. hic domi nostrae aliquandiu diuersatus, & communi mensa nobiscum vti voluit, & seorsum etiam nostris meditationibus exerceri. & cum eius patris filius, canonicatu praeditus sacro sacerdotij ordine auctus esset, antequā primam hostiam offerret, eodem pietatis genere iussit institui: professus saepius, se, si quid in studio pietatis profecerit, societatis institutionibus profeciisse. eadem selectarum nostrarum exercitationum, & alteri Canonico facta potestas; itaq; iam Sacerdotes tum vrbani, tum pagani tanta nobiscum sunt familiaritate coniuncti; vt passim iam solemne sit, & vsitatum, clericos Confessionis causa nostros adire. multiq. iam sint, qui non alijs ausint confiteri Sacerdotibus. In domesticis rebus auctae sunt aedes contignatione, quae duodecim hominibus praebeat locum. Haec in Vrbe. Excurrere hinc aliqui in Podoliam, regionem Tartarorum incursionibus, & perpetuis Ecossacorum stationibus infestam; & quod peius est

schis-

schismate Graecorum à catholica Ecclesia seiunctam, neque est in ea peregrinatione inutiliter opera posita. Incredibile est, quam miserandum in modum afflicta, & prostrata iaceat religio. nam praeterquam quod haeresibus, & schismate squalent omnia; tanta est catholicorũ infrequentia, tanta Ecclesiarum solitudo, tanta rerum quae ad salutem pertinent, negligentia; vt multi claustrorum desertores eo se penetrarint; & suomet arbitrio, nulla potestate, parecias regendas susceperint. Data est opera, vt hi ad sua Claustra, & ad suam se referant Religionem. nobiles aliqui ad meliorem vitae rationem instructi; & quod minime sperandum fuit, multis militibus, vt vitam corrigerent, persuasum. In opido quodam Ducissa est haeretica; eam nostri adiere; deq. religione multum cum ea sermonem habuere; iterumq; vt ũsdẽ de rebus ageretur, venire iussit, nihil praeter spem exprimere potuerunt; sed in opidanis non frustra laboratum; catholici enim in fide confirmati, & ad studia religionis ardoremq; pietatis excitati. ex ijs octoginta (quod plures ibi fortasse catholici non essent) animum peccatorum confessione eluerunt. Idem studium in opido alio excitatum; cuius Dux non ita multo ante ad Ecclesiam ab haeresi, & schismate redierat. Conciones de religione, deq; pietatis studio suscipiendo, saepius habitae: plus trecenti sacrosancta sacramenta vsurparunt. Ducis ipsius iussu Paschales feriae magno apparatu, & vario ornamentorum genere, symphoniacorum concentu, & bellicarum machinarum boatu celebratae. Triginta iam elapsi erant anni cum haeretici rapidum

pidum aliud occuparant. nostri eo se conferunt: Templum, iampridem spoliatum, ac toto illo tempore clausum, aperiunt: populum ad Concionem vocant: accurrit Praefectus, eorum Consilium disturbaturus. sed leni nostrorum oratione placatus, & conciones haberi, & sacramenta quiete administrari permisit. eodem tempore aliqui nondum baptizati, sacro lauacro renati sunt. Est vel ex hoc ipso horum ingeniorum facilitas agnoscenda, & simul dolenda condicio, quippe haerens in tenebris; & vtrum catholici sint, an haeretici, ignorant miseri; & veluti dissipatae oues, quemcunque ducem sequuntur; nec pastoris ne, an abactoris vocem audiant, satis intelligunt: adsint modo boni pastores, facile ad Christi caulam coganturr. Haec ex Podoliana peregrinatione satis sit explicasse. Summatim complectar omnia, qui totam vitam culparum Confessione expiarunt, fuere quadringenti: qui haeresim abiurarunt, duo & quinquaginta: adulteria viginti tres; fenebrem quaestum sex: lucrum ex turpi libidine septem reliquerunt: à turpioribus flagitijs ad poenitentiam adducti plures: Clandestina matrimonia quindecim confirmata: totidem, quae vitio contracta erant, rescisa: vt merito dubitari possit, vbi magis, & vtilius pauci homines, & strenui laborarint, peregre ne, an in Vrbe. Deus O. M. pro sua bonitate, de hominibus bene merendi causas in dies, & plures dabit, & maiores.

NOVA SEDES Torunienſis.

TORVNIVM Vrbs eſt in Palatinatu Culmenſi, in ea Pruſſiae parte, quae vergit ad Poloniam. huc extremo anno, Nouembri menſe exeunte itum eſt. eius deligendae ſedis illa fuit occaſio. Iniecta quibuſdam de re Chriſtiana laborantibus voluntas eſt, Collegij ſocietati in Vrbe illa erigendi: magnum enim momentum ad Chriſtianam religionem in ijs locis reſtituendam acceſſurum, quod Torunium, & Regia Ciuitas eſt, & in eo tractu facile princeps; atque incolarum multitudine, variarum praeſertim condicionum, ac religionum in primis celebris. huc accedit, quod tanquam in communi foro, totius Pruſſiae iudicia exercentur: eſtq. clariſſimis nundinis, & emporio opportuniſſimo ad merces per Iſtulam flumen vltro citroq. conuehendas frequentiſſima, cingitur praeterea nobilibus opidis permultis, & primaria vndique Pruſſiae nobilitate. id primum a ſacris Virginibus monaſterij Culmenſis ex ordine S. Benedicti ortum conſilium eſt. totius autem rei Dux, & moderatrix Abbatiſſa, femina domo, & primaria nobilitate orta, & praeter altam indolem, egregiaſq. animi dotes, inſigni praedita zelo pietatis. haec vt primum monaſterij regimen ſuſcepit, ſtatim de conſtituenda diſciplina ſollicita, monaſterij vectigalia ab haereticis ante occupata, iudicio perſequuta, recuperauit. tantaq. cum laude monaſti-

Digitized by Google

nasticam rexit, auxitq. disciplinam; vt ex sua familia graues, sanctasq. Virgines delegerit, quae quatuor alia monasteria eiusdem instituti ad veterem religionem obseruantiamq. redegerint. & quoniam ad eorum coenobiorum tranquillitatem, & religiosa retinenda instituta multum prodesse animaduertit, si collapsa in ea gente religio denuo excitaretur, vt est, & Virgo, & Virago ad omnia summa nata, & religionis cum primis amantissima, etiam ad Societatis Collegium in ea loca adducendum animum adiecit; quo sensim, vt in alijs Poloniae partibus, ita, & in Prussia religio suum pristinum reciperet decorem. Torunij igitur, Vrbe in Culmensi sita dioecesi, nec plus, quam quinque milliarijs, à Culma dissita, ob eas praesertim, quas diximus opportunitates, locum Collegio deligit (nam Culmam non ita frequentem Ciuitatem Societatem victuram non esse sciebat) ibi de sacrarum sororum sententia amplam domum coemit tribus millibus florenorū, septem millibus praedium, sesqui milliario ab Vrbe dissitum. Consilium communicat cum Reuerendissimo D. Petro Coscha Episcopo Culmensi, Is antea semper Collegium in sua habere dioecesi vehementer expetierat; suumq. eius rei studium, & coram, & per litteras superioribus Prouincialibus declarauerat: sed quo minus id, quod cogitabat, perficeret, sui tenuitate census impediri. adhibet ad id consilium, & Parochum Torunien sem. Parochus Episcopi permissu parochialem domum multo commodiorem cum schola, & adiunctis illi areis futuro Collegio promittit: addit etiam se Templum obligaturum, vt eo vel

toto,

toto, vel partim arbitratu suo, ad sua obeunda munia nostri uterentur. cathedram etiam concionalem Societati se totam concessurum. His ita constitutis ad P. Prouincialem deferunt rem totam. missi, qui rem cognoscerent e Societate duo, rerum initia probarunt quidem, sed fundationem à sanctimonialibus accipere parum opportunum iudicarunt: neque posse eam rem commode transigi, quin aliqua cum sacris fundatricibus communicatio contraheretur; à quibus nos seiunctos esse, & nostris legibus, & nostri Parentis quasi testamento iuberentur. itaque honorifica oratione sacris Virginibus satisfecere, magnaq. cum gratiae significatione earum liberalitati remisere. Sed Diuina bonitas, quae optimae, ac religiosissimae Antistitae eam mentem dedit, consilium etiam subiecit, quo illa expediretur difficultas. nam quae nihil aliud, nisi religionis restitutionem cogitaret, in optimo consilio facile consilium inuenit. Ad Reuerendissimum Culmensem confugitur. cum illo agitur, vt huic rei caput esse velit; & ad fundum, quem contulerant sacrae matres, aliquo addito vectigali, ipse fundatoris, & nomen, & iura sustineret. Coscha, qui sibi rem in sinum delatam, videret, libentissimo animo conditionem accipit. Erat non longe à praedio, quod Collegio coemptum diximus pusillus paucorum admodum colonorum vicus, qui à sanctimonialibus possidebatur. hunc sanctimoniales Collegio cessere. pro eo Episcopus sanctimonialibus, consentiente Collegio Canonicorum, feracem insulam in Istula flumine concessit; e qua maiores multo monasterium, quam ex vico illo percipiet pro-

proventus. Harum cessionum, commutationis, & fundationis Episcopus publicas tabulas conscribi, ac suo Canonicorum, & Parochi chirographo, Episcopaliq. sigillo muniri iussit. Haec omnia R. P. N. Generalis rata esse decreuit. & Collegij fundationem admisit. missiq. statim fuissent qui sedem illam incolerent, nisi expectandum fuisset, dum Parochus Ecclesiam, & scholas ab haereticis, qui ea occuparant viudicaret. Interim moritur Reuerendissimus Coscha. ei succedit, vt in Episcopatum, sic etiam in studium Religionis promouendae. Reuerendissimus Petrus Tilischius: qui coepta promouendi cupidus, statim ad se, quod P. Prouincialis in Lituania, & Liuonia abesset, P. Rectorem Posnanensem, qui omnium proxime aberat, hominem sibi notum per litteras accersit. Florenos quadringentos ad eos, qui Torunium venirent, alendos adnumerat: totidemq. se quotannis numeraturum tantisper promittit, dum Collegij vectigalia ad iustam summam augeantur. & licet ille quamprimum nostros eo venire percuperet, placuit tamen P. Prouinciali rem totam in suum aduentum differre. Profectus in Prussiam, coram ipse cum Episcopo transegit. Missi hoc anno primum concionum caussa sacerdotes tres, Poloni duo, tertius Germanus. hi statim in parochialem Ecclesiam, & domum immigrarunt. Qui primus venit, coepit ipso S. Andreae die festo ad concionem verba facere. Voluit quidem senatus haereticus impedire, quominus parochialem concionem nostri occuparent; sed cessit victus aequitate caussae. superuenere inde reliqui: totoq. Domini Aduentu ternae ab ijs con-

ciones

ciones habitae, Polonica, Vngarica, & Germanica lingua. Et quoniam nobiles fere, vt in Germania, & Polonia, in suis praedijs Dynastarum, more habitant; indeq; in Vrbem, cum res postulat, conueniunt; multi ex ijs primarij tum viri, tum feminae magna significatione pietatis ad nos ventitant. Sunt, & in plebe plurimi catholici; qui toto Aduentu, & Natalitijs Christi diebus tanta frequentia ad diuina conuenerunt; vt amplissimo Templo continerentur. Haec breui illo mense facta. Turba interim haereticorum, ministrorum praesertim, suis timentium emolumentis, magnos motus ciet contra nos; varijs nos criminationibus ad populum traducit; varijsq. notis, famosisq. libellis, vt cuique suggerit libido, nostrae officere claritudini conatur. sed haec omnia speramus sua imbecillitate, nostrorum constantia, in primis vero Dei auxilio, vt alios ipsorum impios conatus, breui in cineres, & fumum collapsura: neque enim possunt magnarum rerum principia non in multas incurrere difficultates: sed eo speramus, Diuina ope fructus laetiores, quo fuerit in semine, acerbiore hieme, seges retardata.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA AVSTRIA.



HABET Austria Prouincia Collegia nouem, Viennense, Graecense, Pragense, Olomucense, Crunlouiense, Commotouiense, Nouodomense, Thurociense, Claudiopolitanum, Domum probationis unã Brunae, & residentias tres, ad S. Bernardum in Austria, Selliae in Vngaria, & Albae Iuliae in Transyluania: Missionem denique Labacum. In his socij degunt trecenti triginta octo: sacerdotes centum triginta duo. ex his varijs tradendis disciplinis praesunt quadraginta: quadraginta item diuersarũ facultatum magistri non dum sacerdotes: variarum disciplinarum studiosi quadraginta quinque, quibus duo adnumerantur sacerdotes: Coadiutores ad externa ministeria vnus, & octoginta: nouicij quadraginta, sed distinctus eorum numerus, qui in singulis domicilijs versantur, quoniam hic summatim accurate colligi non potuit, proprijs locis commodius reddetur. Excesserunt e vita septem: admissi sunt in Societatem viginti quatuor. Ceterum ab ijs, qui superfuerunt, diuina ope fauente, nostrae societatis munia impigre administrata, e quibus, diuino beneficio

ij fructus collecti, qui in singulis Collegijs explicabuntur.

COLLEGIVM Viennense:

IN Collegio Viennensi septem & quadraginta fuere hoc anno sacerdotes viginti sex: magistri ex eorum numero nouem: quatuor alij praeterea nondum sacris initiati: discipuli tantum duo. quindecim rerum domesticarum administri: quibus omnes pro suo quisque modulo in vinea Domini excolenda laborarunt, ab his illa profecta. Diebus festis quaternae plerunque habitae conciones: apud Serenissimum Archiducem una, in primario Vrbis Templo altera; binae in aede nostra Germanica, & Vngarica. Missi praeterea alij duo, qui carcere, & varijs ergastulis detentos suis sermonibus ad pietatem informarent. Concionum non exiguus extitit fructus. siquidem primis vltius e nostris concionibus, duodecim in Summa aede apud sacerdotem vnum haereses se abdicarunt. Multi veram edocti confessionis ratione[m] anteactae vitae scelera summa cum diligentia sacerdoti detexere. Alij Virginitatis laudibus auditis, perpetuae integritatis consilium iniere. Quatuor praeterea se ad varias religiosorum virorum familias contulere. Excusae typis conciones aliquot, atque ad senatores praecipuarum ciuitatum transmissae, magnam societati gratiam conciliarunt; sed audiendarum Confessionum fructus in primis copiosus. nam praeter con-

consuetam toto anno paenitentium frequentiam, paschalibus ferijs, qui in nostro Templo ad Eucharistiam accessere, ad tercmille, & quingentos peruenere. Inter eos vnus, patria & opibus relictis, se se catholicae fidei adiunxit. Quatuor, qui ita grauiter aegrotabant, vt iam de illorum salute conclamatum esset, voto suscepto in honorem B. Virginis, contra omnium exspectationem conualuere. Praeter haec, dissidia multa, & periculosa in matrimonijs diuortia, aliaq. grauiora scitia eruptura, non modo reconciliata, sed sacra etiam confessione, & Eucharistiae communione confirmata: scelera multa prohibita: multi à concubinatu abstracti: ab Eucharistiae usurpatione sub vtraque specie reuocati aliqui: otio à Mahomete ad Christum traducti. Curatum etiam, vt qui publicis custodijs detinentur, vel priuatorum aedibus seruiunt, singulis anni temporibus Sacramentis reficiantur; eorumq. inopiae, & nuditati, corrogando eleemosinis, consulatur. adiuti miseri, & exoremo supplicio liberati, curatum etiam per Vrbem, vt egentes, aegroti, & alioram ope destituti, tum alijs auxilijs, tum sacramentis, defunctiq. etiam sepultura iuuentur. Sed, quod in primis Deo gratiae agantur, reuocati ab haeresi ceneum sexaginta: & eorum aliquot viri nobiles, & eruditi quorum ad Ecclesiam accessus possit ad multorum vtilitatem promanare. In D. Ignatia Pragarijs eam coniuge, à quibus, qui in ipsorum dilatione sunt, nunquam antea neque precibus, neque pretio impetrare potuerunt, vt Catholicos sacerdotis sibi copia fieret. Nam datus opera, vt submotis haereseos ministris, catholicis sufficiantur

sacerdotes. qua ex re ingentem animorum numerum speramus Dominorum opera aggregatum iri ad Ecclesiam. Christo laus. Non est indignus, qui hic adnumeretur adolescens e nostris scholis, qui in haeresi ab ineunte aetate enutritus, scholarum consuetudine, diuina luce illustratus, verae fidei concepit amorem. is quo die abiurauit haeresim, eo die à fratre, Caluinianae pestis propagatore in patriam reuocatus, nunquam de sententia moueri potuit, quin magna cum fratris, & pessimi, quem antea habuerat, magistri indignatione sta egregie veritatem religionis tueretur; vt & eorum latratus obstruxerit, & alios in dubitationem de suo peruerso dogmate induxerit. Deus O. M. qui pios alumnorum suorum conatus tam feliciter promouet, efficiat, vt qui subinde excitati spargantur igniculi, hanc frementium belluarum sylaam succendant aliquando. Hi, Deo gratia, concionum, confessionum, catecheseon, & familiarium colloquiorum fructus. scholae sexcentos, aut eo amplius auditores habuere: exiguum numerum, si meliora tempora spectentur: sin praesentes tumultus bellici, sane frequentem. Breuia ab ijs data dramata duo, alterum in aduentu Serenissimi Principis Transyluaniae, in repetitione studiorum alterum. hoc posterius Illustriss. Princeps Franciscus Mendoza Aragoniae Admirallius missus ad Caesarem, sua praesentia cohonestauit. Exceptus est etiam Illustrissimus Legatus Apostolicus Cardinalis Caietanus non iniucunda puerorum actione. Ita cum tanto rerum motu, quantum licet, musarum otio consulitur. Si se tempora tranquilliora

liora redderent, praestare, Deo iuuante, possemus digniora. Non defuit ex alia parte Diuina bonitas huic Collegio. nam & duris, & commodis euentis illius curam experti sumus. Duos e nostro numero ad se vocauit; vtrunque Collegio huic peroportunos: Vincentium Engelantshuttanum coadiutorem; nauum hominem, & suorum ministeriorum bene peritum, atque ad agendum cum externis humanitate morum, & pia sermonum comitate accommodatum: & P. Petrum Schroderum Prutenum, annos natos, illum quinquaginta quinque, hunc quadraginta sex: e quibus hic vixerat in societate viginti sex, decem humanitatis litteras docuerat. Vir fuit eximiæ candoris, & religiosa humilitate apprime ornatus. qui vna cum alijs superiore anno missus ad iuuandos milites in Vngariam, laborum assiduitate, & incommodorum magnitudine praesertim insueto caelo, morbo contracto, cum redijsset, breui consumptus est. In horum locum diuinitus octo subrogati. subleuauit alia quoque ratione nostra incommoda diuina bonitas. Nobilis Hispanus, animi causa Orbem peragrans; forte Viennam appulit; & vt solent, qui diuersas partes pererrant, bene nummatus. is paucos dies Viennae moratus, malo casu in rixa letaliter vulneratus, de vita venit in discrimen. Sacerdotem postulauit aliquem Hispanum sibi adhiberi. accitus est vnus e nostris; a quo sacramentis expiatus, de instanti periculo admonetur certius. is cum se ad mortem comparasset, statuit earum rerum, quas secum haberet, Collegium societatis haeredem instituere. Sed cum ad con-

Digitized by Google

dendas testamenti tabulas nodus quidem obijceretur, non facilis ad dissoluendum; honoratos aliquos viros adhibuit: palamq. professus est; numquam se intra Collegij nostri septa pedem posuisse; neque vnquam cum illo nostrorum sibi consuetudinem fuisse: se tamen & bene de Societate nostra semper existimasse; & multa perhonorifice de eius laude, quocunque iuisset, ab omnium ordinum hominibus audiuisse. neminem se habere, cui iure vllo quidquam deberet: proinde velle se, si ex humanis excesserit, rerum suarum omnium, quas secum comportasset, Collegium Societatis Iesu Viennense haeredem esse; rebusq. singulis cum pecunia, quam in loculis haberet, enumeratis, ea se Collegio, donatione inter vivos ipsis testibus, donare, neque se ob eam rem Collegio quidquam oneris imponere. esse sibi persuasum, societatis homines pro suo instituto memores tam propensae erga se voluntatis futures. ista pridie, antequam moreretur, illa omnia in arca inclusa in Collegium iussit comportari. pecunia ad quatuor florenorum millia peruenit. ex gemmis, reliquoq. eius apparatu mille alios redegimus. Haec idcirco scribenda esse duximus: vt & deum tantae pietati testimonium daremus; & viri maxime digni, qui omnium nostrum precibus iuuetur, memoriae consuleremus.

Missi ex hoc Collegio ad copias contra Turcas sacerdotes duo in Vngariam, copiosam bene merendi facultatem nacti sunt. nam praeter conciones, & ingentem numerum confessionum; quarum multae multorum fuerunt annorum; in castris, & aegrotis inuisendis, sublenandis, recreandis;

andis; sacramentis, aliisq. spiritualibus subsidijs, saepenumero etiam cibarijs adiuuandis; mortuorum corporibus sepeliendis; perpetua subinde quasi laborum serie excipiebantur: vt nulla vnquam ab opere ijs cessatio daretur. Ad ceteras vtilitates, illae ad Diuinum honorem non modicae accessere. Decem ab haeresi liberati: infantes aliquot sacro fonte abluti: libelli superstitiosi, quibus vel ad vulnerum immunitatem, vel ad res amatorias, vel etiam ad euocandum daemonem nefarie vtebantur, multis ablati: maledicta in Deum, caelitesq. & periuria multa, prauа mutata consuetudine, sublata: instructi sacerdotes doctrina rite sacramenta tum obeundi, tum administrandi. Fauit etiam praepotens Deus non obscuris suae gratiae documentis nostrorum conatibus. quippe ad excitandam, fouendamq. etiã in militari turba, & castrensi tumultu pietatẽ, nonnulla vltra naturae vim per sacramenta, sacramentaliaq. perfecit. Foemina ingenti febris aestu in phreneſim deuenerat; haec appensis e ceruice reliquijs, & caelestis agni cerea imagine, ita leuata est, vt postridie mentis compos, & valida, magnas nostro sacerdoti gratias egerit. Alij duo grauissime aegrotantes, magna cum omnium admiratione, subito à confessione conualuerunt. Cum his manipulis, alter confecto bello incolumis; alter in medio laborum cursu multo ante morbo, quo postea confectus est, praepeditus rediere. Haec Viennae.

Digitized by Google

COLLEGIVM Graecienſe.

GRAECII ſeptuaginta fere ſocij fuere. ex ijs vita functus eſt vnus Grammaticae magiſter. Quod ad fructum pertinet animorum, ferijs maioris hebdomadae bis mille quingenti apud nos peccata per confeſſionem expiarunt. eorum plurimi totius vitae: exculti ſpiritalibus exercitationibus aliquot: vndequadraginta ad fidem catholicam ab haereſi traducti. in ijs Barones duo Sueui, quorum vnus magno pietatis ſenſu pridie, quam ad ſacram Synaxim admitteretur, catholicam fidem ex bulla Pij IV. publice profeſſus eſt. Vnius e noſtris oratione biennio ante ab haereſi quidam emerſerat. ſed qui non dignos feciſſet fructus poenitentiae, inferni hoſtis malitia deceptus, vt concionantem lutheranum blateronem audiret, peſtiferum, quod euomuerat virus repetijt. is poſtmodum, an verecundia, an odio medicinae, ſacerdotis eius, cuius opera ad ſanitatem peruenerat, ita congreſſum vitabat, vt vrbe ceſſerit. Deus tamen interim hominē non deſtitit conſcientiae ſtimulis perurgere; donec biennio exacto Graecium ſe retulit ad eundē audiendum ſacerdotem: cuius ita prima oratione inflammatus eſt; vt & ſe iterum veritate imbuendum tradiderit, & tres alios in idem conſilium attraxerit. Quinq; ipſos annos ſollicitatus alius in ſua peruicacia obſtiterat: diuino tandem victus inſtinctu, manus dedit. Eſt etiā in ſanandis aegrotis

Digitized by Google

tis sacramentorum virtus perspecta. Nobilis Comes graui morbo victus, à medicis iam desperauerat. is nostrorum consilio cum confessione reliquisq; sacramentis ad exitum se comparasset, praeter omnium spem salutaribus illis remedijs adiutus, & vires statim coepit recipere, & breui pristinam reparauit valetudinem. quod ille secundum Deum, se nobis acceptum referre protestatur. Haec licet in praesens non magna esse videantur: illa certè (diuinae bonitati laudes) magna sunt habenda, quae in Serenissimis Principibus Christianae elucent signa pietatis, quae tanta est; vt non ipsi solum in eo studio proficiat, sed eos etiam, qui eorum parent Imperio, studeat ad diuinum cultum inflammare. cuius rei causa saepius publicè sacrosanctum Eucharistiae sacramentum percipere consueuerunt? quae res ad excitandum in populo eius viuifici sacramenti studium, plurimum valere existimatur. Frequenter nos inuisunt; libenterq; nobiscum magna familiaritate versantur. Quater hoc anno in nostro templo quadraginta horarum celebratae supplicationes, ad opem aduersus Turcarum impetum à Deo implorandam: nulla ferè fuit hora, qua non aliquis aut ipsorum, aut ex aulica familia interfuerit. Cumq; nos eiusdē rei causa, autumnalibus feriis, praeter statas singulorum dierum horas, quotidie semihoram precando Deo singuli impenderemus; idem à suis quoq; fieri voluerunt. Deus pro sua bonitate optimorum iuuenum pietatem in dies augere, & virtutem tantam digna mercede dignetur compensare. nulla certe maior optanda compensatio, quàm vt, qui

sunt

sunt in illorum ditione, optimorum Principum exemplo eandem pietatem amplectantur. Susceptae ab ijs magna cum pietate religiosae peregrinationes: in quibus noua insignioris pietatis documenta praebuerunt Serenissimi Maximilianus, & Leopoldus, eò vsq; vt Sacerdoti sacra facienti ministrare ipsi acolyti viccm voluerint. ita cum suam ipsi maiestatem demittunt, & apud homines illustriorem, & apud caelites, vt speramus, faciunt excelsiorem. Precanda diuina bonitas vt optimos Principes caelestibus bonis augeat in dies. Non cedit filiorum laudibus Serenissima Princeps Vidua, quae magna cum pietate se vna cum duobus liberis in Sodalicium B. Virginis ascribi voluit. Nec cessat in dies de nobis benè mereri; haec quinque sacras vestes, sacrosq; calices duos bullis, & vmbilicis argenteis munitos nostro templo dono dedit. Ferdinandus eius filius duodecim millia florenorum futuro collegio Labacensi addixit; qua pecunia eius collegij bona liberarentur antèa creditoribus obligata. Serenissimus Leopoldus minoribus ordinibus in nostro templo ab Antistite Seccouiensi initiatus est: quo tempore parietes diuersorum generum carminibus conuestiti, ei gratulabantur, fausta omnia comprecantes. Scholae, conuictorumq; contubernium in magno armorum strepitu, frequentia tamen floruerunt. Ex ijs circa paschales ferias primam in philosophia lauream adepti sunt adolescentes octo, indole illo honore in primis digna. E societate quinq; eadem Iunio mense ornati sunt: suprema v. non. Iul. sex: & ex alumnis Pontificijs duo. Res magno apparatu gesta. Splendorem

tamen

samen apparatus sua praesentia illustrionem reddidere Serenissimi Archiduces Illustriss. Nuncius Apostolicus, Reuerendissimi Seccouiensis, & Labacensis Episcopi cum Praepositis duobus, aliisq; multis & doctrina & genere insignibus. Ac ne in ea re ulla de nostrorum fratrum eruditione relinqueretur dubitatio, more in publicis Gymnasijs recepto, & publicum examen antea subierant, & positiones ex vniuersa philosophia tuendas promptè susceperant. In domo pauperum, qui in studijs aluntur, iam pridem instituta, stipe per vnum è nostris Sacerdotibus corrogata, & cibarijs, & magna ex parte veste quoq; quinquaginta duo bonae indolis adolescentes sustentantur. Serenissima quoq; Poloniae Regina, quò & de litteris, & de studiosa iuuentute benè mereatur, sex adolescentium seminarium in hac vrbe instituit, vt in eo, cum ipsa ex humanis excesserit, ij cooptentur, qui à Nostri Collegij Rectore deligantur. Non caruit spiritualibus fructibus scholastica quoq; pars. si quidem ex auditoribus quatuor nostrae societati se adiunxere; Capucoinis vnctus, sextus Franciscanis alterius ordinis, septimus Familiae Benedictinorum. Adspirauit ad societatem nostram conuictor alius e sodalitio Sancti Spiritus. Sed morte praepeditus voti compos factus est in beatissima illa caelestiu societate. is morti vicinus, cum iam extremo chrismate esset inunctus, de nocte quàm potuit contentissima voce Christum ingeminauit. rogatus ab eo, qui ei vigil adstabat, quid id esset; & cur sic clamaret? quia ipse adest, inquit; & en hic est: num ne vides. est; cum ipso Virgo parens

rens cum caelituum magno comitatu. Ex eo tempore subinde sciscitari: quàm mox futura esset hora septima ante meridiana. quae simul aduenit, sancta illius anima cum caelesti illo comitatu, vt piè credimus in caelum euolauit. Creditur ei exitus sui hora illo caelesti viso indicata. In lecto tamen ante obitum tria societatis vota nuncupauit: spoponditq; si vita superesset, se eam ingressurum sed quam in hac vita minus potuit, credimus in caelesti consequutum. Alius eiusdem contuberny, quanto Deo placendi studio teneretur, in grauissimo morbo magno animi ardore crebisq; ad conturbernales sermonibus declarauit: cum eos ad humanarum rerum contemptionem, vitaeq; fallacias vitandas hortaretur. vt ab his pauculis herbarum fibris, quae subinde erumpunt, quanta seges ad Dei gloriam expectanda sit ex horum iuuenum institutione, non sit difficile conijcere. Ad sacrum instrumentum pia bonorum liberalitate accessio facta est mille circiter florenorum.

COLLEGIVM Pragense.

COLLEGIVM Pragense sex & triginta de nostris alit: sacerdotes duo de viginti: è quibus duos aetatis, & morbi grauitas non sinit ad sacrificandum accedere: sex munere docendi occupantur: vnus collegio praeest conuictorum cum quatuor magistris. anni huius initio sacerdotem vnum ad vitam meliorem praemisimus.

pro

Digitized by Google

pro quo sex ad nostrum tirocinium transmissi, ad aliarum religionū nouem. Domi nostrae spiritualibus commentationibus eruditi aliquot. eorum unus initio alieniore animo ab eo exercitationū genere se esse sentiebat, is tamen tantum diuini hausit spiritus, vt alteri postea eiusdem rei studium iniecerit. Conciones ad populum satis diebus habentur ternae, Boemica, Germanica, & Italica; quibus item diebus eadem hora latinae consunculae habentur ad discipulos. Explicatur etiam iisdem de more cathechismus. in quo res est in primis digna, cur Deo gratiae agantur: tanta cum alacritate ad rudimenta christianae disciplinae ediscenda, & ea publice memoriter reddenda se comparant adolescentes, haereticis nati parentibus, & in haeresi à prima aetate enutriti: vt res sine ingenti spiritali iucunditate spectari non possit. Concionum fructus illa in dies declarant: multae institutae multorum annorum confessiones: rerum male possessarum redhibitiones, gratiae reconciliationes, Catholici dogmatis protestationes, aliaeq; id genus Orthodoxae Fidei declarationes. & quidem in hoc genere non paucae fuere. Siquidem plus octoginta libri hoc anno traditi nobis ad comburendum. abiurarunt haeresim centum circiter: eorum multi inconstantia, & dissentione sectariorum conuicti: vt quid, aut quem sequerentur, ignorarent. Matrona inter Pragenses nobili loco nata, viro item & nobili, & erudito, sed haeresibus addictissimo coniuncta, ipsa quoq; parentibus haereticis nata, & ab ipsis vna cum lacte haeresibus imbuta, inuitis parentibus ad catholicam veritatem se trā-

stulit.

Digitized by Google

studii, cuius sat consilij potissimam illam attulit rationem; quod nunquam apud parentes quidquam vidisset, quod aut Deum oleret, aut pietatem. Maritus non desiit blandicias omnes, & terrores illi admouere: tandem inuicta feminae constantia victus manus dedit; eiq; , vt pro sua dignitate inter catholicos versaretur, praealtam sellam in celebri templo extrudendam curauit; ipsa dicta die splendida veste posita, vulgari cultu, quo lateret magis in templo nostro cum Christo reconciliata est. Scholae florent numero, adolescentium diligentia, actionibus litterarijs, & fructu studiorum. adolescentes aliqui philosophiae studij cursu emenso, magistri in artibus declarati. Florent non minus pietate: cuius rei exemplum subijcere non pigeat. Puer haereticis Patre natus, matre quidem catholica; sed quae viri consuetudine in religionis desuetudinem prope deuenerat. Ipse a Patre primis annis haeresibus imbutus, eius metu ad catholicorum sacra accedere non audebat; ad scholas nostras traditus, edoctusq; catechismo veritatem ita complexus est, vt abiecto metu, factus audacior, nemo illo in fide & retinenda & profitenda sit constantior. matrem quoq; longo interuallo ad sacra frequentanda secum traxerit. ita, quasi adagionis loco Pragae increbuit; filiolum parentibus esse institutorem, & magistrum. & nunc spes est patrem quoq; ipsius opera ad eandem pietatem adductum iri. Est & conuictorum in eo genere laudanda pietas, quorum multi pari ratione in haeresi educati, clam apud nos catholicam fidem colere cum coepissent, ij nunc palam illam profite-

ri

Digitized by Google

ri non verentur. Pater ex alijs agris ubertores fructus percipi solere pietatis: sed aduerso flumine nauigantibus magnum est, quamuis lento impetu, fluctus superare. id nobis, quantumcunq; est, in gente à fide aliena, instar magnae Sanctimoniae esse debet. Contubernalium pauperum domus adolescentes aliit prope centum litteris, & omni probitate conspicuos. Eius praediola Dei beneficio videmus hoc anno auctiora. Sodalitas Parthenia in dies augetur. In eam adscribi voluit cum coniuge, & liberis Illustrissimus Adamus de Nouodomo, Burgrauius Pragensis. (magistratus is est in Boemiae Regno secundum Regem maximus). Eius natu grandior Filia morieus ingentis pretij vestem sodalitati legauit. funus in nostro templo celebratum, corpus tantisper depositum, quoad Nouodomum reueheretur. Interim Pater quoq; Pragae demoritur, sacramentis per nostros communitus. eius funus frequenti pompa in templum nostrum illatum. cui nos obuiam ad primam usq; Collegij Ianuam processimus: atq; in duos diuisi ordines, medium funus procedens excepimus, usq; qui praeibant praecessimus, feretrum hinc inde circunsistentes in templum intulimus. templum atra veste contectum, pictura gentilicij stemmatis ornabatur. In medio ad feretrum locandum, extructum alte fulcrum, quatuor sublatum columnis. eius summum in morem regiae coronae claudebatur. cui numerus ingens albentium cereorum circum positus ardebat. ad imum faces item magni ponderis, ordine locatae collucebant. Habita est ab Ecclesiaste nostro funebris oratio Germanica: postri-

stridieq; ab alio sacerdote, ad Regni proceres, & Principum legatos, qui apud Caesarem sunt, latina laudatio. Funebribus exsequiarum cerimoniis per clericos persolutis, funus triplex, patris videlicet, Filiae, filiiq; (puer hic aliquot annis ante vita functus, temporario sarcophago in templo nostro conditus seruabatur) plaustris impositum è nostro templo prodiens lugubri spectaculo, tristi pompa Praga Nouodomum asportatum. Est praeterea Dei miseratione nostra tenuitas tum piorum Virorum, Principum praecipuè liberalitate & eleemosinis, tum aliis beneficijs adiuta. Cum totius Germaniae Comitijs decretum esset ad expeditionem contra Turcam tributum in singulos focos, reiq; ita sedulo ageretur, vt ne suas quidem aedes Imperator immunes esse vellet: Principum tamen virorum benevolentia, sed Deo in primis nostram inopiam protegente, nostra nobis stetere priuilegia. Inter praecipuos de nobis, deq; pauperum studiosorum familia benemeritos enituit maxim. Francisci Mendozae Aragoniae Admirallij liberalitas. Domus Collegio continens, vnde prospectus sanè incommodus erat in nostram aream hoc anno tandem coempta: auctum etiam praedium suburbanum. Ad sacram templi supellectilem cum alia multa sunt addita, tum praecipue casula holoserica, Damasceno opere; cuius non sit alienum à rei miraculo occasionem exponere. Vir est praecipuae nobilitatis in hoc regno, catholicae religionis cultor egregius; sed aduersariorum iniurijs supra modum vexatus. Huic aliquando maerore oppresso, & in alia cogitatione dolorum suorum

defixo

defixo somnus obrepsit. obiecta est illi per quietem species ignoti hominis, multa dignitate verendi, qui multa cum ipso de rerum difficilium tolerantia discepraret: cuius etiam audire nomen visus est Fulgentium; sed aequè inauditum erat illi nomen, atq; incognita forma Senis; expergefactus sacerdotem nostrum iubet acciri. quaerit ex eo, ecquem inter caelestes diuos Fulgentium sciret nominari, & qua dignitate, aut vitae sanctimonia fuerit inter homines. Respondet noster, Episcopum fuisse Ruspensem admirabili sanctitate virum, praeter cetera, inuicta malorum iniuriarum, & aduersarum rerum patientia nobilitatum. historiam etiam ipsius legendam tradit. qua ille lectione recreatus, sensit se viri sancti exemplo diuinitus ad patientiam confirmari. eaq; religione permotus, casulam nostro templo in honorem Sancti Fulgentij voto obstrictus faciendam curauit. in ea sancti sui monitoris effigiem eleganti opere describi iussit. supraq; effigiem formam illam precationis adscribi: quam in concursu calamitatum suarum fortissimum Christi athletam frequenter in ore habuisse memorant. DOMINE DA MIHI MODO HIC PATIENTIAM, POSTEA INDVLGENTIAM. *Quae res vt sanctissimi Episcopi olim defixam in diuina prouidentia fiduciam declarauit, sic nunc viri summa probitate, ac religione in S. Fulgentium pietatem protestatur. Dignus hic certè videtur, cuius malis à diuina bonitate nostris precibus aliqua tranquillitas impetretur.*

COLLEGIVM Olomucienſe.

SEX & triginta degunt Olomucij : ſacerdotes quindecim : è quibus ſex magiſtri; quibus alij quatuor iunguntur, non dum ſacerdotes ; diſcipuli quinque ; reliqui coadiutores. in ſocietatem admiſſi duo ; è vita ceſſit vnus Marcus Perclineſius, frater ſpectatae longo vſu probitatis, coadiutor ad domeſtica munia formatus. cuius quoniam vita multarum nobis praeluxit exemplo virtutum, non ſit alienum, breuem quandam ſummam colligere bonorum ipſius animo à Deo collatorum. Is cum adhuc ſaeculari vita teneretur (fuit enim profeſſione latomus) iterum & tertio ſibi viſus eſt ab homine ignoto capillis trahi ad Societatem ; moneriq; vt eam ſuſciperet religionem. admiſſus in ſocietatem ijs praecipue virtutibus animum ornauit, prudenti ſimplicitate, mentis & corporis candore integerrimo, intentoq; & in ſuas cogitationes altiſſimè defixo ſtudio precandi Deum. erga ſacroſanctum Euchariſtiae Sacramentum (in quo ſaepius, vt compertum eſt, caeleſti viſo recreatus eſt) tanta fuit pietate, atq; in eo percipiendo vultus alacritate ; vt qui illi Euchariſtiam porrigeret, caeleſti cuidam homini exiſtimaret ſe porrigere. ad labores ita promptus, vt neque monitore vnquam indigeret, neque vnquã ab vtili aliquo opere ceſſaret. litteras nouit omnino nullas : ſacrarum tamen imaginum libello

Digitized by Google

bello ita oblectabatur; vt omnem Christi Domini vitam, & actiones longa iam consuetudine versaret animo facillime. Is omnium expers litterarum, suarum tamen odore virtutum, prudentibusq; de pietate sermonibus multos ad peccatorum detestationem, multos ab haeresi ad veram religionem traduxit. Vix illum per plateas, aut loca alia commeantem, non cum rosario orantem inuenisses. Iucunda res fuit, cum quatriduo ante quam e vita cederet, quasi praescius exitus, ac praesentiens, se omni praesentium rerum cura liberandum, confessario minutissimè, descripteq. assignauit omnem officinae suae supellectilem. quae fuit sanè plurima, & varia rerum pretij nullius. fuit enim diligentissimus rei cuiusque minutissimae in quotidianos, incertosq. aliorum vsus aseruator. quippe qui nihil vnquam, quamuis tenuissimum, non alicui fratrum aliquando vsui futurum probe nosset. Inde se ad mortem componens, negotium totum cum solo imaginum libello, puero Iesu, & Virgine parente transegit. Ea sensit, dixitq; moribundus, quae omnium adstantium animos iucundo quodam sensu pietatis perfunderent; vt inter corporis dolores incredibili ipsum abundare solatio perciperent. Haec tam multis scribenda esse duxi, non tam ne perspectam multis virtutem sua laude fraudarem, quam vt simplicissimi hominis, ac fratris optimi exemplo teporem nostrum excitarem. Veniamus ad externa. Sunt hic quoq; diuersis in locis diuerso idiomate conciones habitae toto ferè anno ternae, Boemica vna, reliquae Germanicae: nec frustra, quae Dei bonitas est. Siquidem

qui in concione subinde abusus, & praua consuetudines reprehenduntur; in ijs publicè, vel corrigendis, vel prorsus tollendis diligenter Magistratus inuigilant. Doctrina Christiana in nostro templo Dominicis diebus magna populi frequentia explicatur, ad quam etiam puellae, quae in muliebrium artium scholis instituuntur, gregatim conueniunt. Quadrageſimae verò tempore, praeter nostrum templum, etiam in praecipua parochiali Ecclesia traditur quotidie. Paschae diebus festis expiatis per confessionē apud nos criminibus, bis mille, & septingenti, & eò amplius in nostro templo caelesti pane pasti sunt. totius ante actae vitae culpas confessi quadringenti septemdecim. Multa quotidie eueniunt in his locis narratu digna: e quibus & quanta malorum temporum vitio, malo daemoni detur potestas in hanc gentem, & quam sua sponte ad pietatem sint hominum ingenia propensa, & facilia, non obscure intelligitur. nam licet infernus hostis non solum haereticos in sua pertinaci nequitia obstinatè haerentes retineat; sed haereticorum contagione, & vagandi licentia ei permissa, etiam ipsis catholicis miserè saepè numero illudat: diuina tamen clementia gentis errore deceptae miserata bonitatem, non diu sinit aeterni hostis crudelitati esse ludibrio. Femina non infimae condicionis à marito haeretico acerba multa tulerat: cumq;, vt se tantisper ipsius irae subduceret, in secretum cubiculum confugisset, & desperationis plena secum ipsa moereret, horribili audito fragore, vox illi emittitur, quae eam iuberet sibi fauces elidere; celeriq.

morte

morte molestissimam vitam abrumpere. territa inde se proripit, abigitq; pauor desperationem: anxijq; plena terroris prima luce postridie ad nostrum templum properat: rem aperit vni è nostris sacerdotibus: ab eo monita, vt haeresim abiuret, prioris vitae maculas detergat, salutariq; Christi corpore se muniat; inferni hostis insidias euasit. eadem haud ita multo post in grauissimum incidit sanguinis profluuium, vt de vita iam admodum esset incerta. hanc serpens antiquus nouis adoritur terroribus; vitam antè actam, admissas culpas, parum idoneum, & breue poenitentiae tempus exaggerando exprobrat. Illa virilis animi femina iam ante praeceptis salutaribus instructa fallaces minas contempsit, ac crucis signo munita, nefanda spectra, insanosq; terrores abegit. cumq; de more viuificum Christi viaticum iussisset afferri, maritum, familiamq; ad se accersit, pieq; pauca verba colloquuta; suorum veniam petijt erratorum. multis etiam cum lacrymis communes liberos marito commendauit: magna deinde pietatis intimae significatione, caelesti pane susceptо, ac sacerdotis benedictione percepta enixè petijt, vt sibi sacerdotalis orarij tangendi fieret potestas. quo impetrato; mira res, & ad sacramentorum, sacrorumq; rituum virtutem declarandam in primis efficax; tanquam Christi fimbriae contactu femina illa Euangelica, confestim se sanari, ac conualescere persensit. Hominem alium haereticum varijs daemon artibus impetebat; modo ferrum praebere, quo se interficeret; modo laqueum ostentare, quo se suffocaret; modo ad

aquas deducere, queis se demergeret. diuina miseratione tandem haeresim detestatus, ac confessionis. Eucharistiaeq; sacramento communitus, infestissimi daemonis ludibrijs liberatus est. Mirabilia haec videantur cuipiam, quae quotidiana paene sunt, & vsitata, vbi sacrorum infrequentia, templorum solitudo, maleficia, & blasphemiae haereticorum, & ipsa synagoga satanae tantam infernorum hostium multitudinem ab imis tartari cauernis in hominum perniciem effundunt. aduersus tetros tartareorum monstrorum impetus tutissimum perfugium est confessio, & quod maximè à pestiferis hominibus impugnatur, sacrosanctum Eucharistiae sacramentum. Alij praeterea riuuli permulti ab ijsdem fontibus profecti. Alienae pecuniae repensiones factae, ad quinque millium florenorum, & quadringentorum summam, qui partim iustis Dominis redditi, partim in pios vsus sunt impensi. Reconciliati dissidentes. In his graues inimicitias quidam graui cum multorum offensione cum sacerdote gerebat. is cuiusdam è nostris oratione eo adductus est, vt & cum sacerdote reconciliaretur, & sacrosanctam etiam Eucharistiam cum omnium admiratione ex eius manu susciperet. Reuocati ab vtraq; specie quadraginta tres; ab haeresi septuaginta septem: quorum praecipui fuere senex quidam septuagenarius, qui quinquaginta ipsos annos obnixè lutheri prauum dogma retinuerat. alter anabaptista: tertius samosathenus, qui biennio in Polonia impiae sectae magistrum egerat. hic diuino lumine illustratus, cum sua in Deum maledicta agnouisset, pu-

publicè in nostro templo facta haereseos abiuratione, professusq; ex forma Pij IV. Catholicam fidem, à Decano Cathedralis Ecclesiae Olomucensis absolutus, ad Ecclesiae gremium est aggregatus. Escholis illa scribenda se se offerunt; quamuis ob bellum Turcicum, & magnam annonae caritatem tempora sint valde difficilia; extitit tamen auditorum numerus bene frequens. data sunt dramata duo, vnum de caede puerorum innocentium in aula Episcopi coram Proceribus Moraviae: in repetitione studiorum alterum. Est Olomucij primum hoc anno institutum, vt in Theologica facultate bacchalaureatus corona in nobilissimo consessu insigniretur vnus. quae fuit eò magnificentior actio, quo ignotior, & nunquam antea in hac vrbe visa. Conuictores, & alumni Pontificij tandem hoc anno, quod iamdudum erat expetitum, è monasterio S. Francisci loco natura insalubri, & incommodo, in nouum domicilium recens exstructum, situ, & collegij nostri vicinitate, & aperto vndique prospectu opportunum transmigrarunt. in quo & caeli amoenitate laetiore, & aediū maiore laxitate iam vtuntur. ex quo magna facta est ingenuorum adolescentium e finitimis gentibus accessio, Polonorum, Silesiorum, Vngarorum, Austriacorum, Boemorum. Enituit eorum tum virtus, tum pietas hoc anno praecipue. nam ob imminentia belli pericula ad numen propiciandum cum sodalibus nostris certamen videntur suscepisse. ita & ipsi certatim quaque hebdomada statis quisque diebus, & crebriores precationes, & ieiunia, & chaumenias in caenatione, quod sodales quoque

nostros facere didicerant, & ipsi susteperunt frequentius etiam ad eorundem imitationem ad sacram synaxim accesserunt. quod non paruam certè habet admirationem in hominibus & aetate, & gentis consuetudine ingenio praeferuido, & ferociore. Huc illud attexam: Sigismundus Batoreus Transiluaniae Princeps cum Pragam ad Caesarem contenderet, Olomucio iter faciens, perhumaniter nos inuisit; semel ignoto habitu (sic enim ille primo iter fecit) iterum cum aulae suae comitatu venit ad templum. post Missam magno apparatu, solemniq; cerimonia peractam, collegium ingressus, à Rhetoricae magistro breui latina oratione, à discipulis dialogismo ad tempus accommodato exceptus est. quibus per Cancellarium suum Stephanum Zosicam, virum primarium respondit; magnaq; gratiae significatione, se suaq; omnia Deo, Christianae Reip. & societati vniuersae deferre se significauit. Ad eum videndum tanta hominum multitudo confluxerat; vt spargi iusserit pecuniam, quo ad eam colligendam auersa multitudine, aditum sibi ad ingrediendum expediret.

DOMVS PROBATIONIS Brunensis.

BRVNAE in domo probationis duae sunt hominum classes: Veterani qui ad Ciuium vtilitatem nostrae Societatis munia exercent; & nouicij. è Veteranis sexdecim; è quibus octo sacerdotes. Nouiciorum varius diuersis temporibus

bus numerus fuit : septem supra quadraginta summus, duo de quadraginta minimus: hoc anno cooptati octo supra viginti : quominus plures admitterentur, Vngarica clades impedimento fuit. E vita, quae Dei bonitas est, excessit nemo. Varie tamen nos exercuit diuina prouidentia hoc anno. nam & graues à militum petulantia iniurias perpessi sumus, & multis vicissim diuinae beneuolentiae argumentis subleuati. Qui in Vngariam ad bellum proficiscebantur, cum plerique ex haereticorum colluuione collecti essent, turba incondita, & barbara quadam feritate crudelis, ipsa praesertim multitudine feroces animos magis incitante, non modo conuicijs, & maledictis nos incessere, sed fortunis quoque, & possessionibus nostris exitium moliri. nam praeterquam quod nobis rustica praedia depopulati sunt, in ipsum etiam domicilium nostrum, ianua violenter patefacta, per summam temeritatem irruperunt : ita vt impudenti audaciae obsisti non posset, quo minus ad eorum effrenatam voracitatem explendã, cibaria abundè suppeditaremus. Ex eo tempore aliquandiù occlusis foribus, campanarũ pulsu abstinere coacti sumus, vt neq; scholas neq; ad templũ aeris sono cetus vocare auderemus. In tanto rerum discrimine placuit supremum Moraviae Capitaneum virum primarium, ac Baronem, licet haereticum adire; eiq; per supplices libellos, quo nostrae res in statu essent, exponere: orare, quae tempus, & res ipsa desideraret. Is, pro summa, qua praeditus est humanitate, & animi etiam propensione erga nos, magna cum beneuolentia nostros homines excepit : nostrisq;

pe-

petitionibus omnibus peramanter satisfecit. itaque dato diplomate sua manu, ac sigillo communito, diligenter nostrarum rerum securitati cauit. Et cum in hac, tum in alijs rebus ipse, alijq; proceres, quamuis haeretici, vt sunt hi nobiles honestatis, & aequitatis amatores, egregij nobis adiutores exstitere. ita vnde minime sperabamus, opem nobis caelitus missi persensimus. Extitere, & alia Principum virorum, licet haereticorum, in nos humanitatis, & beneuolentiae signa non obscura, quibus quanti esset apud se societatis nomen non obscure declararunt. Lege municipali iubebatur belli tempore omnes, ad quos insolidum (verba legis esse videntur) latifundiorum possessio pertineret, ad fines hostili excursione prohibendos proficisci; neque toto belli tempore abesse licebat. ea lege non Dynastae, non ipse Olomucensis Episcopus excipiebatur. Placuit tamen Prouinciae Praesidi, homini haeretico, hoc onere P. Rectorem Brunensem liberare. Adiecit etiam verborum honorem: non esse apud Iesuitas cessationi locum; neque esse dubitandum, quin quotidie tum suorum alumnorum, tum discipulorum cuneos in preces propiciando Deo missuri sint. bis enim armis certius à finibus pericula auerti, quam ferro, & militibus. proinde non esse à tam pio opere abducendos; neque prouinciam tam firmo praesidio spoliandam. Alius magnae auctoritatis Baro Patrem Rectorem adierat. vnus e pueris audaci petulantia Diuorum imagines vngue violauit. id ille cum resciisset, misit, qui nobis satisfaceret: eam rem sibi accidisse permolestam; seq; à petulanti homine poenas fuisse exacturum,

Digitized by Google

cturum, si suae ditionis esset: sed quod sit nobilis, id se lege prohiberi: quod tamen posset, atque illi foret ignominiosum, se eum ex sua aula exacturum. quod postea fecit. haec à Caluiniano homine satisfactio profecta, qua maior ab homine catholico, & nobis studio coniunctissimo expectanda non fuit. Datur à nobis opera Boemicis, & Germanicis concionibus, vt & catholici in religione in dies proficiant; & ex haereticis ad Ecclesiae gremium quotidie aliqui se referant. Plus mille & sexcenti Paschae festo apud nos caelesti ferculo refecti; qui numerus in medio deprauatae nationis neutiquam exiguus videri debet. Sex & viginti ad catholicam fidem; alius ad vnius speciei synaxim sunt traducti. In ijs qui nostris concionibus ad lucem veritatis peruenere, virgo quaedam nobilis, non ipsa modo abiurauit haeresim, sed etiam salutis animarum studio successa, exemplo, & sermone studiosè contendit aequales alias, & matronas Christo lucrifacere: & iam virgines aliquot ad eandem veritatis lucem attraxit; speramusq;, quo animi flagrat ardore, in dies plures attracturam. Matrona alia concionum beneficio eadem luce illustrata, frementibus nequicquam suis; eamq. modo blandicijs, ac pollicitationibus, modo conuicijs, & plagis à pio consilio abducere conantibus, sanctae Romanae Ecclesiae reconciliari voluit. Brunenses permulti, licet haeretici, libenti tamen animo pueros suos nobis nostro arbitratu instituendi potestatem faciunt. quo fit persaepe, vt parentes ipsi aut filiorum exemplo, aut paedagogorum pietate, & sermone permoti nostros adeant, & catholici

lici dogmatis rationes planius, penitusq; cognoscant. Ex ijs qui à nobis instituuntur, tres Augustinianis heremitis, vnus nostrae societati adhaesere. Est operaepretium cognoscere, quae saepe magno cum animi dolore tractamus. vt si quando gaudere liceat cum gaudentibus, bene saepe etiam flere cum flentibus necesse sit: cum aerumnas eorum subleuare nitimur, ac spem ad diuinam prouidentiam erigere, qui retinendae causa religionis, aspera multa iniustè patiuntur. Mulier & Catholica, & pietatis in primis studiosa, ea conditione consenserat in matrimonium, vt sibi liceret in auita religione persistere, & suae studio pietatis satisfacere. Verum datae fidei haereticus maritus immemor, eam conuicijs, & maledictis in ipsam, & Ecclesiam, conatur à sententia deducere. cum minus posset, fuste aliquando in eam crudeliter desaeuijt. cumq; illa nihilominus in recta sententia persisteret, manibus, pedibusq; illius reuinctis, sexta feria carnes ori ei furenter impressit. quas misera iniurias forti animo ferens, vnum illud queritur, catholicorum ecclesias, quae in ijs locis nullae sunt, & sacra ritu catholico non posse frequentare. sed illam Deus ad breue tempus hoc solatio recreare voluit. Marito iter faciente, Brunam contendit ad nos; factaq; confessione, caelestiq; cibo recreata, salutaribus consilijs ad patientiam confirmata, domum redijt. Laetior euentus alterius mulieris. Haec in Xenodochio graui pressa morbo agebat animam. eam ad paenitentiae sacramentum sacerdos noster hortabatur. sed iam officio linguae destituta, quod vnum potuit vultu, nutuq;

tuq; se id cupere significauit: absoluitur à peccatis. statim cum omnium admiratione loquendi recipit facultatem. cuius rei admiratione permoti cum alij, tum maritus haereticus, bonae coniugis & exemplum, & fidem sequutus, eandem poenitentiae ancoram apprehendit. Fuere & in Parthenia sodalitate digna, quae narrentur. Praefectus est Illustrissimus D. Franciscus à Dietrichstein. hic Bacchanalibus, quo tempore viuendi licentia solutiore ceteri genio indulgent; ab aliorum congressione se subducens, in nostrax secessit aedes, ibiq; se per eos dies magno cum animi sui fructu peculiaribus nostris meditationibus exercuit. Vnus è sodalibus diues, & eruditus, matrimonio iungendus, Christo auspice rem tantam aggredi constituit. itaq; pridie quàm nuptiae celebrarentur, ipse cum vniuersa familia caeleste conuiuium iniuit: ac triduo post trecentos egenos benignè admodum mensa excepit; quibus etiam & ipse, & sponsa subministrandis epulis inseruierunt. Quare iam. Christo laus, incipiunt hic quoq; antiqui illius christianismi signa reuiuiscere. Illustrauit multum sodalitatis nomen Nauguicius, Baro in primis clarus, & supremus Marchionatus Moraviae Iudex: qui etiam subcamerarius Moraviae Praefecti munere perfunctus est. hic non solum hoc anno in sodalitatem se cooptari petijt, sed pretiosa etiam peristromata in vsum nostrae societatis, & Partheniae sodalitatis dedicauit. Atq; haec singulorum: illa congregationis vniuersae. Est antiqua consuetudo in ciuitate, vt solemni ritu, ac pompa processio sacratissimi Christi

sti corporis à religiosis Dominicanis celebretur: eam magnus ciuium comitatus cohonestare solet. obstinarant animo haeretici; vt quam plurimos possent ab illo officio subducerent: rati posse ea ratione auitam religionem, sibi molestissimam, sensim abolere. itaque infrequentia, & solitudo timebatur. inuitati ad id officium Parthenij, quâ promptissimos se praebuere, grauiter & iniquo animo ferentibus haereticis. obstrepere tamen ausus est nemo. itaque solita frequentia, & cum dignitate pompa traducta est. Idem, saluberrimum animarum aeternae vitae iter ingredientium viaticum ad aegrotos cum defertur, eodem honore prosequuntur, probante vniuersa multitudine: vt vel ipsi milites, à quibus irrisiones & contumeliae timebantur, venerabundi procumberent. Christo laus. Igniculi incipiunt reuiuiscentis pietatis apparere; speramus accessionem in dies fieri maiorem. In communi totius Christianae Reip. calamitate bis hoc anno maiore, quam vnquam ante virorum feminarumq; concursu, quadraginta horarum supplicationem celebrarunt; cui, cura Episcopi Olomucienſis, vniuersus huius ciuitatis Clerus interfuit. Vigilantissimus Praesul quoties Brunam negotiorum suorum causſa vocatur, nihil habet antiquius, quàm vt nos peramanter inuisat. quod potissimum fecit, quo tempore apud nos à Parthenijs supplicatum est. nam & in templo nostro sacra obtulit; & functiones episcopales semel, & iterum exercuit. nobiscum etiam cibum vna cepit, cetu aulico dimisso vniuerso; vnoq; fratris filio mensae adhibito. ac prius quam accumberet, sigillatim

tem-

Digitized by Google

neneros religiosae vitae furculos (sic enim ille tirones nostros appellat) ad se salutandum venire voluit; singulisq; perhumaniter sacram osculandam manum praebuit: ac stans, detecto capite, orationem habuit ad tempus accommodatam, qua & suum erga nos studium declarauit, & felicitatem nostram amplissime collaudauit; quibus ab omni humanarum rerum sollicitudine remotis, liberum esset soli Deo vacare: hanc se nobis tam beatam quietem inuidere. ad extremum Christianae Reip. tempora enixe commendauit. haec optimi Praesulis erga nos beneuolentia, & sollicita de ecclesiae statu diligentia non fuit silentio praetereunda. Praepotens Deus illius pia vota euentis felicibus secundet.

Sed quando tironū facta mentio est, ad eos aliquādo veniamus. Adolescens, ceteroqui pietati valdè deditus, sed à societatis instituto alienus, dum ipso Natalis Christi peruigilio diuinum illud mysterium secum ipse meditatur, puerumq; Iesum in corde suo nasci attenta cogitatione postulat, repente interiore quodam monitu intelligit se ab ipso, quem tacitus puerum venerabatur, & ad religiosam vitam, & ad societatem nostram praecipue vocari. ita futurum, vt Deus infans intra ipsius animum nasceretur, si quem sensum demitti sibi caelitus sentiret, mente conciperet. Hanc adolescenti mentem diuinitus immissam diuina bonitas admirabili alio testimonio declarauit. nihil enim ille cunctatus caelesti monito se praebuit obtemperantem. Sensit id agi illius frater natu maior: eius vt impediret consilium leucarum octoginta iter ingreditur. in itinere

sentit

Digitized by Google

sentit, & ipse se moneri diuinitus, quàm sit impium, diuinae aduersari voluntati, hominesq; à diuino Dei obsequio auocare. hac territus religione, sententiam mutauit: repenteq; facta consilij mutatione, se quartana liberatum sensit, qua sex mensibus laborauerat. id ille pro diuino testimonio accepit, quasi Deus illo beneficio declarasset; placere sibi eam consilij mutationem; fratremq; adolescentem diuino sibi suo addici famulatui. Alius visa quodam non inani, & monitione planè admirabili ad societatem vocatus est. Is aliquandiu nostrorum usus contubernio in grauem morbum incidit; dormienti formidabile spectrum obijcitur. visus est sibi horribili specie mortem videre, omnia longe, lateq; deuastantem: quae sibi quoq; terrificam falcem intentaret. in ea trepidatione, ecce species illi obijcitur hominis, aspectus planè venerandi; quem ex ornatu, & toto ore ad modestiam composito sacerdotem nostrum esse intelligebat. is hominem clementer hac voce compellat. Capesse Bernabe (*sic enim ipse vocabatur*) portum salutis in religione. *In hac ille voce expergiscitur: & forte condiscipuli, Christi crucifixi imaginem praeferentis vocem percipit, qui siue casu, siue consilio, siue ipse sibi, siue alteri, diuina certè monitione illa verba pronunciauit.* Sequere me, & mundo nuncium remitte. *id ille tanquam omen acciperet, sibi dictum existimauit, diuina statim exequi nonita contendit. Addam etiam tertij alius in suae vocationis proposito retinendo constantiam. Hunc male amici haeretici, eius consilium odorati, tam furenter à proposito deterrere contenderunt, vt,*

nisi

Digitized by Google

nisi mentem mutaret eum omnino vulgare minarentur. acceſsit ad negotium faceſſendum etiam Dynasta quidam nobilis: qui vt adoleſcentis animum labefactaret, promiſſis ac blandicijs ad aulae ſuae functiones eum pellicere conatus eſt. ſed animus in vno Deo fixus, diuina ope confirmatus, omnia haec Mundi ludibria contempſit; ſapienterq; illorum iras, & huius inſidias vitauit. ſed vt de illorum inſtitutione aliquid dicam, quantum in religioſae vitae ſtudio, humanarumq, rerum contemptione, omniumq; cupiditatum amputatione proficiant, vnius aut alterius quibus maior id declarandi oblata eſt occaſio, exemplo intelligetur. Eorum vnus non ſecus, quàm in ordine olim Praedicatorum Albertus Comes de vtroque Parente triumphauit. nam cum primum eum ad noſtrum numerum adſcriptum eſſe reſcitum eſt, Brunam longo itinere cum ſuorum comitatu mater aduolat: ad filij pedes prouoluta, precibus lacrymiſq; orat, vt ſuae iam aetatis miſereatur: fratrem puſionem ſinu complexa flebiliter oſtentat: patrem maerore confectum domi tabeſcere. res ſane lubrica, & occaſio per ſe ad emolliendum adoleſcentis animum nimium quantum efficax. ſed Dei amor omnem iam ex eius animo mollitiem exegerat. Durum ſe Chriſti tiro, & inuictum ad maternas blandicias exhibuit. vbi illa, tentatis omnibus, adoleſcentis animum expugnare ſe poſſe diffidit, materno eam dolore ſtimulante, in iram verſa, multis in nos maledictis exſecrationibuſq; conjectis, filio crudelitatem, ac feritatem, nobis immanitatem, ac duritiam obiectans, eiulabunda diſceſſit: ſed vt validior poſtmodum rediret. at quiſeni aſpirante flatu emollitus non eſt, aſpero ſaeuiente Aquilone magis obri-

guit, sic illo matris iracundia firmior in sua perstitit sententia. Interiecto haud multo tempore, astuta mulier simulat se, mutata voluntate, errorem suum agnouisse: litteras humaniter, ac peramanter scriptas ad filium mittit: eius consilium collaudat, ut persistat, hortatur. Haud ita multis elapsis diebus cum marito Brunam reuertitur: simulat se extinare diuertisse: filium tantisper, dum breui tempore subsistit, ad se salutandum, missis codicillis euocat in diuersorium. respondetur non esse nostrae consuetudinis, adolescentes & nouicios mittere in colloquium suorum extra domesticos parietes: si velit posse ipsam in templo cum filio congredi; neque aliam eius rei potestatem esse. Venit illa in templum indignationis plena; filij qui parentum imperium detrectet, contumaciam accusat: labores ipsius causa susceptos commemorat: miscet precibus minas; questu, eiulatuq; femineo complet omnia. demum eodem redijt, quo superioribus ante diebus, ita non bene simulatum eius aduentus consilium detegitur. sed bonus athleta, licet nouicius, ex superiore congressu factus firmior, aduersas petitiones perite admodum elusit. Mater vbi omnes ictus videt inualidos, patrem, qui rei euentum expectabat, accersi iubet ex hospitio. Hic rursus nouum exanimatur certamen: è quo cum superior tiro Christi discederet, animaduertit, non vt adhuc fecerant, ex iure manu consertum se vocari, sed coacta sibi manum vim parari. ratus igitur periculum esse praeuertendum, prudenti inhumanitate, Patre Rectore, & parentibus insalutatis, repente impetu in intimas irrumpit aedes; neq; inde ijs amplius sui potestatem facit: illi re infecta frigidissime discedunt. Alius fratrem habuit natu maximum, qui in Dy-

nastiam

nabium parenti successerat vita functo, non destitit hic adolescentis animum sollicitare ad defectionem: eiusq; rei causa certum hominem ad ipsum destinauit; suum erga ipsum sincerum amorem testari, familiae dignitatem, opes commemorare; omnia polliceri; ac si sanctae perfectaeq; vitae amore teneretur, posse ipsum ad episcopatus honorem peruenire; suam authoritatem, quam ille magnam esse non ignoraret, ei non defuturam, ita posse honestissimae familiae decora, & ipsum suis ornamentis augere. His ille praemissis placido responsa satisfecit; se iam dudum humana fastigia omnia illorum inanitate contemptisse; proinde ea, quae proponerentur, non sibi tanti esse, vt mentis aciem praestinguerent, quo minus religiosae vitae commoda videret, & caducis rebus omnibus anteponeret: tantaq; felicitate, ac tanta animi sensu multa in eam sententiam disputauit; vt submissus ille Religionis dissuasor, non modo manus dederit; sed vehementer etiam, vt in consilio persisteret, hortaretur: ita inter multa aduersa, quibus assidue in tam depraua tis moribus impetimur, benignissimus Deus his suae benitatis signis nostras aerumnas reddit subinde leuiores. Excurrere nouicij quoque doctrinae christianae causa ad loca circumiecta, non sine magna laborum & consumeliarum perpessione. sed quae Dei bonitas est magno cum fructu: vt non solum tenera aetas rudimentis pietatis imbueretur: sed adulti etiam ad peccatorum detestationem adducerentur. Lutheranus etiam per eos ad fidem catholicam reuocaretur. ita saepe in hortis pomum vnum in tenera primi anni arbore miraculo haberi solet. Peregrinationes aliquandiu intermissas hoc anno repetere coeperunt: in quibus probra,

conuiciaq; à religionis hostibus varia perpessi sunt, quod illo aetatis flore per summam ignauiam vagarentur, victum mendicato quaeritantes. non raro etiam ab ipsis haereticis, atque etiam Praedicantibus eleemosinis adiuti sunt. quippe viget adhuc in illo hominum genere, humanitatis sensus, & aliqua qualisqualis species pietatis: qua fit vt etiam in alienis, etiam in aduersarijs ament eam, quam vel conniuentes interlucere vident pietatem. Diuertere aliquando duo ex illis ad hospitium, ad quod ex itinere alio ob sua negotia vnius eorum pater forte diuerterat, qui statim agnitus à filio, non aeque filium alio oris habitu, ornatuq; agnouit; octo enim iam annis eum non viderat. tanta tamen fuit filij constantia; vt se patri agnoscendum non ante praebuerit, quam cum in prouinciu esset, vt abiret. qua sui victoria filius tantopere laetatus est, quanto pater subitae rei stupore oppressus indoluit, vt non posset sine summo dolore a tanta & tam repentina tam breuis momenti laetitia se auellere. Alij hospitem, a quo humaniter excepti erant, a fide aberrantem, pijs sermonibus ad veritatem agnoscendam adduxerunt. Eiq; vt ad errorem suum deponendum ad nos adiret persuaserunt. alium praeterea, licet infimae sortis hominem, ex itinere ita in fide instituerunt, vt eum aggregarint ad Ecclesiam. sic enim saepe fieri solet, vt vnde minime expectantur, lucella prouenianr. In vniuersam porrò domum hanc piorum liberalitas fuit insignis. Matrona moriens templo legauit vestem, & pecuniae summam ad florenos centum: quibus sacrum instrumentum auctum est. aucta etiam ex alia parte bibliotheca cum alijs multis libris; tum bene eleganterq; compactis Regijs Bibljs. Auctae etiam

etiam aedes ad inhabitandum: suburbana villa multo ante ruinosa instaurata est, sed denuo potius a fundamentis excitata: ad quam laxandam senatus Brunensis partem areae publicae vobis liberaliter attribuit. Totum aedificium non minoris stetit summa talerorum mille.

CRVMLOVIENSE Collegium.

OCTAVVS adhuc est annus cum Societas venit Crumlovium. agunt in ea Vrbe sacerdotes sex, magistri quinq;, Rhetoricae studiosi septem, seu coadiutores. quatuor omnino & viginti. Auditores habemus ad trecentos. e quibus hoc anno hi fructus ad pietatem sunt collecti. unus societati nostrae nomen dedit: duo sancti Benedicti, totidem Sancti Francisci institutum sunt complexi: Cistercienſium ordini unus, Carthuſienſium alter se adiunxit. Messis etsi non valde copiosa, ea tamen fuit, quae a tenui agello non dissideat. Nostri qui in hoc collegio versati sunt, tam secunda usi sunt valetudine, quae huius caeli clementia est, ut octo, quibus hic fuere annis, desideratus sit nullus. ita hominum sermone increbuerat, Iesuitas homines esse immortales. Stultam opinionem stultiores adhuc maleuolorum auxerant sermones, qui portentosa quaedam de nobis communiscentes, ea credulae multitudini obtruserant. Sed eorum vanam loquacitatem recentia intra duos menses conspecta funera duorum repressserunt. Proxime enim P. Nicolaus Sulius Pragensis coadiutor formatus decessit, multis annis non sine laude concionandi munere

perfunctus: cui paulatim innotuit vis omnium quaeque multis vitiis, simplici, & populari, sed utiliter efficaci dicendi genere persequendi. Huic sequutus est Antonius Verutius Crumlouiensis grammaticae magister, vt eique moris religioso vero digna vitam religiose transigendam exhonestaret. Pauci reliqui hoc tenue praediolum nunc excolunt, coluntibus Bonnica, & Germanica, habentur etiam de doctrina Christiana explicationes. Fructus metuntur, pro operarum paucitate valde copiosi. Lutheranam perfidiam duodecim, sex Vssitiam detestati sunt. quinquaginta itaque in vrbe vsurpationem earumq; specie, extra vrbem cum pagos aliquis de nostris conuincendo peregrinaretur, conuincunti assentiuntur. Extremae vnctionis sacramentum longe saluberrimum habetur. vera diuina humanis nouae miracula praeualent visa est: siquidem negotium vt salubernimo medio mundus statim consultus à tanto lucro ad honestatem traducti deuota. Mox gemuerunt in die quibus alumnorum suorum laborem Deus O. M. fauere non desinit leniores.

COLLEGIVM Commotouiense.

NEQVE Commotouiense agellis tenues fructus proueniunt. alit socios octodecim, sacerdotes octo, condiscipulos temporales sex. sex item inueniuntur institutores: in quibus duo de sacerdotum numero recensentur. In vrbe, & in agro statae habentur conciones: in agro est illud insigne, quod cum per aestatem, vt diximus, sine vlla intermissione vastis homi-

homines ibi sacris administrandis occupantur, provectus ecclesiarum augeantur; vt postmodum parecijs, aut initio parce dotatis, aut haereticorum iniuria spoliatis, idonei pastores praeficiantur. vsus signandae manu crucis, & orandi flexis genibus, haereticorum prauitate antiquatus, nunc iam studiose reuocatur. Ceterum ab haeresi triginta abducti. Ciuis bene notus, valde pertinax fuerat in sua haeresi, & non vulgari odio in nos, lectione praesertim pestiferi libri incitatus in nostrum ordinem maledice conscripti. is graui pressus morbo ad animi sui salutem veteratorem Lutheranum adhibere cogitauerat: sed catholicae coniugis industria praeter omnium opinionem sacerdotem nostrum iubet aduocari. a quo edoctus veritatem, & ab haeresi noxisq; absolutus est, & sacrosanctis Ecclesiae mysterijs communitus. iam morti proximus aperte se, ingenue, & ex animo in Romana fide mori professus est: idq; non gratia vxoris, a qua monebatur; sed quod agnita veritate, id ad animi sui salutem sentiret expedire. liberos multis verbis monuit, vt nostrorum semper monitionibus obtemperarent. Ita, quae Dei bonitas est, saluatus vir quondam infidelis per mulierem fidelem. Vnae mulieres mali Daemonis instinctu ad laqueum acriter instigabantur. hos nimirum fructus pariunt Lutheranum euangelium, & ceterarum pestium portentosae blasphemiae. Eae ad catholicam fidem conuersae, sacramentis, aqua lustrali, & sacra caelestis agni imagine instructae, illa infestatione, parta tranquillitate, liberatae sunt. Domus pauperum studiosorum aliquot egregiorum iuuenum accessione creuit, eorum indigentiam viri illustres non parum sublenarunt. ex is quatuor diuersas re-

ligiones susceperè. A matrona aucta est sacra vestis pretiosa casula, rebusq; aliis ad sacrificium opportunis.

NOVVM NOVODOMENSE Collegium.

IN Novodomensi Collegio difficultatibus, quae prima collegiorum afferre solent initia, non parce omnino respondent spiritalis rei fructus: nam & à multis maledictis impetimur, & vicissim à multis etiam, quamuis à pietate alienis, collaudamur. Ita sunt humana, & haec itinera Christi sectatoribus, & divinae eius legis propagatoribus terenda. Ad cetera incommoda illud accessit etiã Illustriß. Fundatoris nostri obitus; qui cursum rerum haud dubie multum intercideret, nisi pia coniux spem faceret meliorem. Vt ut est, sermo ad Populum habetur Germanica lingua frequentiore in dies concione. Versamur hic socij nouem, quinque sacerdotes, è quibus tres magistri, discipulus vnus, tres coadiutores. Poenitentium numerus non admodum magnus: sed non mirum à suo fonte fluuios manare tenuiores: labendo subinde aquarum incrementis augentur. ita breui speramus, victa malevolorum inuidia res fore meliores. ex hac paruula semente hi sunt demessi fructus. sublata inter coniuges dissidia: aliqui ad intermissam sacramentorum consuetudinem reuocati: mulier quae fanatico spiritu agitata, domo profuga, saltus, & syluas perrerrabat, poenitentiae sacramento sanata est. Discipulos tribus classibus habemus supra ducentos. spem magnam pro illorum indole spiritalis messis, quae

otsi

Digitized by Google

essi à parentibus ab vnius speciei communione deterrentur; pro ea tamen, qua sunt erga magistros obseruantia, speramus omnes, cum se corroborarint, in officio futuros.

COLLEGIVM THVROCIENSE in Vngaria.

COLLEGIVM Thurociense cum ijs, qui in Sellensi sede versantur, duos supra viginti socios numerauit: sacerdotes octo, coadiutores septẽ, septem regendae iuuentuti, partim in nostro contubernio, partim in Gymnasio praepositos. Morbo tandem gratis aliquibus, vnus ad vitam melioremhinc excessit, Iacobus Libusius sacerdos, vir ob ipsius virtutes, & populares linguae peritiam huic collegio vsui permagno. Est autem hoc anno collegium multis ac magnis à diuina liberalitate beneficijs. Domicilia duo primum adiecta sunt, in quae collegij procurator externam familiam, rusticos, aliosq; qui in nostra sunt ditione excipiat, ne intra domesticos parietes nobiscum diuersentur. deinde maiora alia consequuta sunt. Erat huic Collegio iam primum à sua fundatione praepositura Thurociensis attributa: ad quam vici aliquot pertinebant: eius Praepositurae priuilegia iam pridem Posoniensis ecclesiae Capitulum asseruabat: quibus priuilegijs donationes veterum Regum Vngariae continebantur. ea vt nostri à Capitulo exprimerent, diu contenderũt: eius rei duo Imperatoria decreta à Caesarea Maiestate impetrarant; quibus Posonienses Canonici illa nobis exhibere iubebantur. tandem, cautionis à nobis accepta syngrapha, exhibue-

tuerunt, ea Pragam deduximus, à Caesare consummanda, quæ illis utamur, quæ in re sacrosanctæ liberalitatis nobis præstitit D. Tyburtij Kimelrichij fautoris, Regni Vngarici apud Caesarem Secretarij, is verus, & integer nostrae societatis amicus, tabulas longæ vetustate, & situ pæne consumptas excussit, suaque manu diligenter exscripsit, ita Caesari oblatae, vt nobis ratae essent, effecit. Obstupuere Proceres Vngariae tantam ab Imperatore, praeter omnium opinionem, ac voluntatem, societati gratiam factam. quod ea res non eo posterum modo, sed in praeteritum etiam tempus vtilitatem maximam attulerit. nam eo beneficio decimas centum iam annos retinemus, aliaq; consequuti sumus. Haec res secundas aduersas miscuerat; ita tamen, vt semper auxilium diuinum praesto fuerit. Latrones aliqui, milites se esse mentientes, qui ex Vngariae praesidijs redirent, per speciem emendicandae stipis admitti se intra ianuam postularunt, vt per noctem consopitos nobis, ea domi nostrae, bonaq; grassarentur. Hoc eorum consilium postea vnius earum indicio compertum est, qui in vrbe alia ob maleficium comprehensus, id detexit. ita ingens periculum fuimus illa nocte adituri, si falsa humanitate decepti, hostes pro hospitibus admisissemus. Alio quoq; maiore ac certiore periculo, diuino beneficio perfuncti sumus, alterius item latronis confessione. Caedes facta iampridem erat in ditione huius comitatus. Comes quatuor iam ab hinc annis socios omnes huius Collegij, nescio qua ductus suspicione, ad dicendam caussam eo nomine euocauerat. res erat infamis, & cum primis innocentibus hominibus molestissima. Verus tandem caedis patrator hoc anno deprehensus, se, latronesq; alios,

eius

esset excultus constitus, ac serius in quaestione praeside. Interrogatus à Fratribus, num Iesuitae, aut consilio, aut alia re iuuissent: negauit ille constanter partem vllam eius fuisse ad quemquam de Societate nostra pertinere: ita sumus diuino beneficio, non solum sceleris infamia, sed etiam suspitione liberati. Multae praeterea nostris rebus perutiliter huc illuc commeantes calamitates illatae direptae praedia, abacta pecora, afflicti coloni, horrea exinanita, collegio ipsi vicedec. etsi nihil vltra minas, intentata, sed ne quid posthac grauius paterentur. Dux primarij; Princeps Anhaltensis, & Praefectus vestrorum; ille Lutheranus, hic catholicus, & Iuali comites duo, nobis sua mitigarunt euerterunt. qui omnes magno nobilium virorum comitatu ex fuga, & trepidatione infelicis pugnae à nobis postea excepti sunt; & loco inter montes vicinis recreati. in eis Anhaltensis cognatos duos occurrendo praelio in expugnatione Agriae amisisse dolebat. & seruos nostros pecora ex vico collegij nostri similia volentes abegerunt, vt in nostrorum vtili vniuersorum vltione doleremus. Ad cetera incommoda illud accessit vel maximum, quod numen ad communem rerum Vngaricae Remp. pertinuit. Regni decreto iussi sumus quinquaginta vltò equites parare, paulo post etiam pedestrium tertium numerum ad bellum mittere nostris sumptibus. Postremo, quoniam Turcarum Imperator praesens erat, cum omnes, qui diuinum aliquam tenerent, ad bellum praesentes ire tenerentur, Collegij Rector comitte saperdote necesse habuit militem aliquem ipse praesens ad bellum educere. Totum in eam rem sacellum vtpparatus vtibus fermè vniuersis militibus nobis fuerat, sed neque in ea re diuinum prouidentiae

liae auxilium desideratum est; nam quo die amissis castris uterque & Christianorum, & Turcarum exercitus profligatus est (is fuit dies Iduum Octobrium) Collegij nostri Rector homo cautus cum suo comitatu unius diei itinere à conflictu abfuit, itaque vitatis Turcarum incursionibus salvis suis militibus ipse cum comite integri, & incolumes redierunt. Gymnasio sub finem superioris anni Rhetoricae adiecta schola, ea spe fructus, quam esse putamus non exiguam. cuius & aliarum exercitationes, vt in tanto rerum motu potuit, non indiligenter sustentatae; studiosaeq; iuventutis certamina viris primarijs saepe & spectaculo, & voluptati fuere. quae res societatem multis adhuc Vngariae primoribus ignotam, facit clariorē. Qui paternis erroribus infecti ad nostram se cōferunt disciplinam, consuetudine nostrorum & magistrorū institutione sensim in catholicam fidem sua sponte consentiunt. In eo genere conuictorum est laus egregia, quorum octo iam haereſim deseruerunt. Vngarorum iam haec est omnium oratio, qui apud nos sunt: Non esse verum Vngarum, qui non solemnioribus Deiparae diebus culparum confessione conscientiam perpurget, & se sacrosancto Christi corpori coniungat. Instante belli periculo nemo fuit, cui per aetatem liceret, qui non saepius à confessione culparum, auertendi periculi caussa, ad sacram mensam accederet. Christo laus, qui famulorum suorum operā igniculos in hac gente incipit iam auitae religionis excitare, vt si vetere prouerbio. Qui coepit, dimidium iam facti tenet, non longe futurum sit, eum iterum fidem in his locis stantem cernamus aliquando. Illud etiam eodem tempore magna cura seruatum; vt à scholis quotidie auditores in

templum orandi numinis causſa conuenirent, litaniasq; B. Virginis una decantarent. Vaſſalli noſtri, qui Thurocium incolunt, qui Lipouiam, qui Petuſolium, (vici ſunt noſtrae ditionis) ad Paſcha omnes, plurimi ſaepius, diuina myſteria frequentarunt. eorum in morbo prima medicina poenitentia, cibuſq; caeleſtis, puerperis id remedium neglexiſſe piaculum: idem contrahendis matrimoniis auſpicium. viginti duo ex haereſi emerſere. Haec in noſtros: illa in alios deriuarunt. Excurſum eſt à noſtris in loca circa poſita, concionibus, ſacrificio ac ſacramentis hominum turbae non agreſti ſolum, ſed etiam nobiliori latum auxilium. Vici etiam, & loca alia haereticorum adita; in iiſq; doctrina chriſtiana explicata. A Valachis quoque auide ſuſcepta: Eccleſiae in eorum finibus reparatae: non nullae etiam ornamentis auctae: matrimonia illegitima impedita: viginti ritu eccleſiaſtico conjuncta: ſeptuaginta ſeptem infantium baptiſmata celebrata: ab haereſi abducti non pauci; quorum aliqui fidei profeſſionem emiſerunt. Lutherani Baronis coniux cum toto gynaeceo & pueris, marito non probante, catholito ritu communicat. Puerperis duabus in vitae periculo conſtitutis ſacer cereus agnus è collo appenſus auxilio fuit.

RESIDENTIA Sellienſis.

SELLIAE ſacerdos unus reſidet cum comite: identidem tamen ſacerdos alter, & tertius nonnunquam illi comes adiungitur. is magno fuit illis hominibus adiumento, confeſſionibus audiendis,

dis sacramentis ritè administrandis, multaque multorum annorum, quadraginta nonnullas, audiuit confessiones: aliqui ad legitimum sacramentorum usum adducti; qui antea ex inscitia illa perperam usurpabant. undeviginti haeresim detestati ad ecclesiam adscripti sunt: vinctis & capite damnatis adiuti sunt: peregrini hospitio alijsq; caritatis officijs recreati. Inaudierat noster sacerdos centurionem postero die extremo supplicio afficiendū apud nobilem virum vicinum nostrae domui, sed lutheranum, custodiri. petit a viro nobili fieri sibi potestatem miserum illum inuisendi, impetrata facultate, hominem, vt temporis breuitas patiebatur, ad Catholicam fidem primum, & peccatorum expiationem hortatus, adducit: deinde vt ille à custode suo petat suppliciter, dari sibi facultatem de manu sacerdotis nostri sacramenta catholico ritu percipiendi. Homo nobilis, & suae sectae addictus, licet cognita sacerdotis arte, se decepium indigne ferret; negare tamen non potuit homini magnae quondam existimationis, in ea nunc fortuna constituto quod inhumanum esset non concedere. itaque frementibus qui aderant haereticis concionatoribus, afflictum hominem noster fecit voti compotem. Fatebatur postea miser ille, ex nostri sacerdotis oratione, & viuifici sacramenti perceptione, caelestem quandam diuinitus sibi datam esse laetitiam. Ita productus ad supplicium, erratorum a populo venia petita, monitisq; datis, vt suo ceteri exemplo saperent, inter cruciatus defixo in Deum animo intentis precibus, animam Deo reddidit. Mulier incubo daemoni multis annis insuetuerat, qui ad eam per fenestram illabi solitus, modo concionatoris haeretici (in aqui eam personam gerunt ab id

genus

genus sceleribus non abhorrent) modo alio specie se se offerebat: gravique comminatione, ne quando rem sacerdoti aperiret, deterruerat. haec conscientiae metu in gravi morbo adacta, abbati sacerdoti nostro rem totam detegit. à quo ad sanitatem revocata, facta totius vitae confessione, sacrosancto Christi corpore percepto, sacro cereo agno, lustrali aqua, aliisq; ritu piaculis adhibitis, divino tandem beneficio liberata est.

CLAVDIOPOLITANVM Collegium, & Albana sedes in Transyluania.

SVNT e nostris in Transyluania vnus & viginti: sexdecim Claudiopoli: ex iis decem sunt sacerdotes, è quorum numero duo, tribus adiunctis fratribus, scholis praesunt; tres alij sunt coadiutores. Albae Iuliae residunt quinque, sacerdotes quatuor, vnus coadiutor. De Claudiopolitanis prius. Hi in tanto bellorum motu, atque haeresum colluuione, nunquam cessarunt de hominum salute benemereri. sed in tam vasta, tamque multiplici errorum sylua diuini verbi sementis est admodum exigua. Danda in primis opera, vt errorum squaloro detersо, religio ad pristinum nitorem reducatur, laboratur vehementer, neque sentes solum passim enascentes extirpandae, sed annosae etiam, & multo cortice duratae quercus succidendae: tum si quid emollitis soli reperitur, multa diligentia excolendum. neque ex tam paruulis areolis non idonei fructus colliguntur: eos speramus in dies meliores. Ipso resurgentis Christi die ducenti & quadragin-

ta in nostro templo diuinam mensam iniuerunt, reliquis diebus pauciores quidem, magno tamen rerum diuinarum studio succensi. hos ad propagandam sementem pietatis, dum subinde obsita humus expurgatur, speramus non inutiles futuros. Neque in spinis euellendis, inutilis; materia amputanda colonorum iam cessat industria; & vt tempora se dant, non sine fructu. Contiones Vngarica, & Germanica, pro loci natura, sunt admodum frequentes: ad quas multi etiam ventitant non dum Catholici: qui tamen ad fidem catholicam ostendunt se satis propensos. ab vno e nostris sex, ab alio duodecim, ab alio quatuordecim, ab alio plus triginta è varijs, & maximis erroribus extracti, ad ecclesiam Catholicam sunt aggregati. Inter hos ministri duo pestilentissimi, Caluini dogmatis inani verborum pompa disseminandis, magnum sibi nomen compararant. hi multis cum vno è nostris disputationibus habitis, sua cognita nequitia, acquieuere tandem veritati. Aliqui eo impietatis progressi erant, vt (qui terminus tandem est haereseon, & meta extrema) ne Deum quidem esse vllum existimarent. Hi quoque à tam immani errore ad verum Deum sancte colendum reuocati. Non desunt multa quotidie, tum in societatem nostram, tum in pusillum hunc catholicorum gregem diuinae beneuolentiae argumenta. Sub uerni temporis initium funesta quaedam febris vrbem vniuersam persuadens tantam haereticorum edidit stragem; vt singulis diebus duodeni, quindeni, interdum etiam duodeuiceni sepulturae mandarentur; cum e Catholicis paucos admodum, & eos omnino leuiter attigisset. qui statim atque diuina sacramentorum pharmaca adhibuissent, in pristinam resti-

tuebantur valetudinem. Has aliasq; quibus post inuectas haereses haec gens calamitatibus afflicta est, multi viri graues animo reputantes, palam fatentur; aut Regnum hoc vniuersum collapsurum, aut diuina bene iuuante prouidentia collapsam religionem in veterem dignitatem redituram. Serenissimus Princeps cū Praga redisset, ipso Dominico Palmarum die, in templo & rei sacrae, & concioni, magna tum haereticorum, tum Catholicorum caterua stipatus, interfuit; oleae etiam ramum cum aliis, qui aderant, de manu sacerdotis accepit. idem à serenissima coniuge, quoties in vrbe fuit, magna cum pietatis significatione factitatum. Sunt & ex peregrinationibus manipuli aliqui non inanes reportati. sacerdos cum comite vno per intermissiones studiorum Albam Iuliam peregrinabatur. cum Thortam venissent (ea Ciuitas est in itinere quindecim circiter miliarijs à Claudiopoli) linguae ignari quaerunt per interpretem ex ijs, quos tum forte in foro habuere obuios, ecquod esset hospitium, quo diuerterent: benigne admodum se, suamq; domum vnus ex eodem numero ijs defert. ad se diuertant, rogat. deducti domum, excipiuntur humanissime. cumq; se ex itineris labore aliquantum recreassent, accedit hospes: sermonem cum ijs orditur magna comitate. & quod eius linguam nostri minime tenerent, latine, vt poterat, loquebatur. Deo gratias agit immortales, quod intra sua tecta tales hospites diuersarentur: homines sibi caelo demissos credere: nihil sibi ad sua vota accidere potuisse opportunius; nostri primo mirari in tanto Arrianorum barbarie tantam in homine hospitalitatem. scatet enim hac haeresi omnis illa ora: baptismo abstinent, & externorum contagionem, tan-

quam pestilentiam deuitant, ita vt ferè sunt homines vafro ingenio & calido, initio nostri non ei facile se credere; sed aliquid insidiarum subuereri, quorsum tandem euaderet expectare. Delabitur illa sensim in impiarum sectarum detestationem, & turbulentorum Concionatorum reprehensionem: eos veteratores, fraudulentos impostores appellare: omnium rerum diuinarum, humanarumq; ignaros asserere: nihil in eorum concionibus esse, praeter historias Romanorum, & fictas fabulas, commentaq; poetarum: nullam se posse habere cum hac hominum labe, seu vomica potius, consuetudinem eorum doctrinam fucatasq; conciones exsecrari. Nostri, qui ab homine ignoto se facile circumueniri posse suspicabantur, quo magis eum in suorum reprehensionem inuehi animaduertunt, eo magis exitum rei explorabant: itaque caute ac pedetentim sermonem excipiunt, vniuerse tantum modestèq; haereses damnare: illud tamen potissimum vrgere; quo fore argumento haeretici tenentur, vnam illam, veram certamq; religionem esse, quam olim in Vngaria cum ipsa opibus, & gloria maxime floreret, Reges potentissimi, ijdemq; viri sanctissimi coluissent. Adiecit sermoni hospes; natam sibi esse triumannorum nondum sacro baptismate renatam: rogat emixe, ne eam tam salutaris beneficij diutius expertem esse patiantur: cupere se tantam sibi caelitus delatam occasionem non amittere. Hospita interim pestifero Arrij veneno ab incunabulis imbuta, sagaciter rem odorata. per speciem rei domesticae quaerendae, conclaue illud saepius ingreditur; arculas magna dissimulatione perscrutatur; vt interim quid tam longo sermone ageretur, hauriret; demum quasi id, quod quaerebat, reperisset

risset, puellam ob aduersam valetudinem prope cubantem furibunda corripit; indeq; magno impetu asportat. eam perturbatus maritus insequitur, & ut erat validior, infantem ex eius arctissimo complexu auellit, sacerdotiq; laetus sacro baptismate tingendam defert. Ita magna cum ipsius nostrorumq; voluptate puella Christo aggregatur. victa mater fletus, & querelarum plena in proximum se cubiculum inclusit. Nostri postquam rem agi serio intellexerunt, animosiores facti, liberius in Caluinum, Lutherum, aliaq; sathanica portenta inuecti, copiose multa de catholicae religionis veritate disserere coeperunt. quibus permotus hospes, ingemens vnum illud sibi ad perfectum laetitiae cumulum deesse queritur: coniugem suam id aetatis feminam, nullius vnquam neque baptismi, neque alius sacramenti factam esse compotem. id se rescisse postquam eam in matrimonium duxisset. quare cum neque hanc vnam ob caussam ei posset nuncium remittere, neque eam monitionibus, aut verberibus ad baptisma petendum adducere; vitam se plane ducere miserrimam. proinde eos orare, si quid possent sua aut hortatione, aut ad Deum precatione, darent operam; vt à praepotenti Deo tam expetiti voti compos fieret. iubetur bono esse animo, & rem licet difficilem, à diuina tamen bonitate expectare. Tentatur mulieris animus à marito primum: nihil proficitur. aduocatur mater eadem & ipsa infecta labe, sed ad sana consilia facilioris. Cum matre, quae facile postmodum salutaribus monitis assenserat, & familiares alij conueneranti, & quidam praecipue trium linguarum Germaniae, Vngariae, Italicae periti; qui & ipse forte ex itinere eo die diuertens ad annum. Mater

cum lacrymis filiam obteſtatur, ne in re tanti momenti ſe velit eſſe pertinacem: hortationes adhibentur amicorum: per interpretem illa diſputantur, quae praeſens tempus poſtularet. Quid multa? amicorum contentione, & rationum, hortationumq; noſtrorum efficacia expugnatur muliebris pertinacia: ſpectantibuſq; omnibus, hoſpita ad ſacerdotis pedes prouoluta, incredibili cum mariti voluptate, baptiſmum petijt: myſteriaq; religionis, quantum breuitas temporis permiſit, edocta, vna cum matre baptiſmo luſtrata, & Eccleſiae Chriſti agregatur, & cum marito, à quo religione diſſidebat, arctiore quam antea amoris vinculo coniungitur. ita pio catholici hominis ſtudio, pluſquã ille optare auſus eſſet, abunde ſatisfactum. Ea dies omnium, quas viderat in vita, laetiſſima marito fuit. Sic ſaepe ſolet diuina miſeratio, vnde minime expectatur, eiuſmodi fructus colligere. at quanto plura in eo genere quotidie contingerent, ſi ea nobis operarum copia ſuppeteret, quae meſſis multitudini par eſſet? ſed hoc in priuata familia, & tenui fortaſſe: illud in magno viro, ac perilluſtri, atque in oculis clariſſimae Ciuitatis contigit. Andreas Concreuius fuit, in Scotia loco natus honeſtiſſimo. Is Tranſiluaniae Principis opinione permotus, cum delecta Scotorum equitum manu ad eum ſe contulit. Paucis diebus quam venerat, de repente trepidus nuncius perfertur. Lippam urbem, quam ſuperiore anno Tranſiluanus magna cum gloria de Turcarum Tyrannide receperat, praeſidiumq; ibi relictum, in magno diſcrimine verſari: ita verendum eſſe, ni mature ſubueniatur, ne maximo cum damno tot parta decora corrumpantur. Subſidio mittitur Andreas cum expe-

dita

dita manu, pugna cum hoste committitur, tanta virtute, ac felicitate; vt vrbs obsidione liberaretur. in eo praelio egregiam operam nauauit Scotus; vt illius diei victoria, & firmissimi praesidij defensio vni illius virtuti tribueretur. Interim Transiluanus serio de Themesaurienſi obsidione cogitare coepit: militem, arma, & apparatum reliquum comparare: Andream Lippa accersit: secumq; in eam expeditionem ire iubet. obsidetur vrbs, maenia quatiuntur, murorum parte deiecta: Christiani vrbem adoriuntur: à propugnatoribus animose defenditur: atrox vtrinque concitur praelium. Scotus gloria incensus, atque in primis ferox, qui Principem inuictum virtutis singulorum spectatorem esse cerneret; neque vllum paullo fortius factum eum fallere, in eam murorum partem, quae pugnantibus aditum dabat, per innumera hostium tela molitur ascensum. ac dum aduersus infinitam sagittarum, & glandium procellam, quae ab hostibus accidebant, fortissimis quibusque cadentibus, ipse fortissime dimicando contendit; glande illi alterum brachium traijcitur. quo ex vulnere defectus viribus, praelio excedit: crescenteq; in dies vulneris acerbitate, curru Claudiopolim deuehitur. Tanti viri casu cognito, perditus nefariae impietatis minister, ob veteris amicitiae coniunctionem, vltro hominem ad se inuitat, excipitq; humaniter hospitio. Verum, vi morbi crescente, vt nulla, aut perexigua spes esset, coepit serio vir clarissimus de animi salute cogitare. In ea cogitatione tum ante actae vitae errata hominem torquebant; tum vna illa cura angore maximo animum sollicitabat, quod à prima aetate in pestiferis Lutheri, Caluiniq; fallacijs enutritus, ad eam diem tanta socordia, ac religio-

Digitized by Google

mis negligentia vixisset: vt nunquam ex fedo illo caeno emergere laborarit. nunc se in eum statum deuenisse, vt nullus segnitiei, aut ne tantulae quidem moraе locus sit. magistrum igitur dari sibi cupiebat, cuius opera, discussis errorum tenebris, saltem ante obitum veritatis lucem aspiceret: hospitem autem, apud quem diuersaretur, qui se sat bonum religionis magistrum esse diceret, impostorem nequissimum esse intelligebat. In hoc turarum aestu placuit sacerdotem nostrum, qui ad Saxones Claudiopoli tum conciones Germanicas habebat, per secretum internuncium acciri: ei omnia animi sui sensa detegit: quid sibi in tali re, ac tempore facto opus sit exquirit. Proponit noster, quae & tempus & praesens rerum status postulare videbantur. Hic vesanus Verbi Dei proclamator, qui sibi cum Iesuita homine ad differendum prompto, rem futuram cerneret, non satis ipse, neque à doctrina instructus, neque veritate suffultus, certamen veritus, tutius esse duxit hostem aliena manu arcere, quam suo cum dedecore tali cum aduersario contendere. ita diuinae gloriae velamine obtectus, persona procaciter assumpta pietatis, per summam simulationem, Vrbis Praefectum adit. indignum facinus exclamat: audere Papistam sacerdotem, hominem idololatram (sic enim nos per contumeliam appellant) intra puri Verbi Dei concionatoris aedes, pedem ponere: sibi in ipsius oculis sanctissima dogmata acumine verborum confutare: hominem iam iam moriturum à recto salutis itinere seducere: proinde per Deum etiam atque etiam videat; ne si tanta petulantium hominum audacia non seuere vindicetur, paullatim vniuersa concidat religio. Praefectus, re cognita, se deliberaturum esse,

re-

respondit paullopost importuno simulatori renunciari iubet: ius esse cuique, in eo praesertim vitae statu, quamcunque velit doctrinam sequi: quoscunque velit sacerdotes adhibere. Nostri tamen, vt inanes vitarent altercationes, & ne sacrosanctum Christi corpus in teterrimam domum inferre cogerentur, aegroto suaserunt, vt inde emigraret. itaque commodius nactus hospitium, pestilente hospite relicto, ad Catholicum hominem diuertit. ibi liberius salutaribus Christi praeceptis eruditus, vero cum pietatis sensu veteres errores detestatus, ecclesiae Catholicae restitutus: gliscente postmodum vi morbi sacramentis omnibus munitus, inter sacerdotis nostri manus magna cum tranquillitate animam Deo reddidit. Maritum, ac parentem optimum imitatae Vxor, & filia, à prauis haereticorum corruptelis, ad verum se Christi cultum transtulerunt. Tam strenui ducis iactura, vt omnium animos maerore, sic mors tanta cum pietate obita, Catholicos pia quadam iucundaq; voluptate incredibiliter affecit. Scholas habemus quinque, Grammaticae tres, quartam humanitatis, quinctam Rhetoricae: eae frequentia florent; multoq; felicius florerent, nisi eos parentum metus nostrorum consuetudine prohiberet. speramus tamen eorum numerum auctum iri in dies. sed multum est operae in hoc nouali proscindendo. iam pridem enim catholica religio in his terris exoleuit: ita vt vix surculi pauci reliqui sint. in quibus quidem excolendis non labor ingens est. sed ager vndequaque variis haeresibus sylueſcit: quem, damus operam, vt ad veterem cultum, nitoremq; reducamus. & nunc his paucis annis primam quodammodo fidei sementem facere coepimus; cuius magna pars in scholis, &

puerorum eruditione sita est; quotidieq; quae Dei bonitas est, seges augetur. Auditores magna ex parte ex variarum haeresum colluuione consluunt: Arriani Lutherani, Caluiniani, Anabaptistae aliarumq; infernarum pestium: quibus una cum lacte litterarum studemus succum, & sanguinem verae religionis infundere. Omnes enim Patris Canisij catechismum magna addiscunt animi alacritate; libenterq; sermonibus intersunt, qui ea de re festis diebus illorum caussa habentur. & iam ex eorum numero quatuor, Arriana insania relicta, aquis vitalibus abluti sunt. quod sane ad Gymnasij nostri decus non exigui momenti esse ducimus; cum haud infimae sortis adolescentes, sed Claudiopolitani Ciues essent. horum vnius baptismus apparatu solito maiore celebratus est, cui Serenissima Princeps interfuit. Secundum eum baptismum Alphonsus Vicecomes Episcopus Cernensis, per id tempus in hoc Regno Nuncius Apostolicus non contemnendum numerum virorum, ac mulierum sacro confirmationis Chrismate signauit. res ob desuetudinem prope noua in hac ora. Sed modo diuina bonitas coeptis aspiret, ea paucis annis fore speramus incrementa, quae nos ad immortales Deo gratias agendas excitabunt.

ALBANA Sedes.

Fquatuor sacerdotibus, qui Albae Iuliae residebant, vnus annum integrum grauissimis de caussis varias gentes obiuit. alter ad Themisuarū cum Serenissimo Principe profectus, habendis concioni-

cionibus, audiendisq; confessionibus ad retinendum in officio pietatis militem magno usui fuit. Inde Agriam proficiscens febre correptus, substitit Varadini: magnoq; fuit emolumento eius Vrbis ciuibus sacramentorum administratione. Sacris Resurgentis Christi ferijs Albae confessi sunt trecenti: ex his haeretici nonnulli, qui nunquam antea confessi erant. Haeresim abiurarunt septem. Mahometanam impietatem duo. Neque nos huius tam exigui numeri piget in praesens: si quidem ex his initijs quamuis tenuibus, qualia insequentium annorum futura sunt incrementa, notari poterit. Duae familiae intestino odio multos iam annos dissidebant. Eae per nostros, Dei beneficio, conciliatae sunt. Vicos duos vndeuiginti iam annis Arriani totos possidebant. illuc aliqui nostri profecti plurimos ad fidem Catholicam, & baptismum adduxerunt. in ijs feminae primariae duae: earum vna partus doloribus acerbe cruciata, statim à baptismate foetum sine vllo cruciatu edidit. alterius exemplo adulti sexdecim partim viri, partim feminae, paruuli vero quamplurimi ad baptismum venerunt. Ab impudica viuendi ratione, ad honestam, & ad matrimonium feminae duae traductae. alia haeresi, & schismatico relicto concubino, catholico viro coniuncta, cum magna Christianae pietatis significatione vitam finiuit. ita non exigua praeda per has paucas, & tantulas operas inferno hosti è manibus erepta. Misera est, & horribilis maleficorum hominum cum comprehenduntur, in hoc Regno condicio. nam vbi semel ad Tribunal producuntur, statim lata sententia rapiuntur ad supplicium. Duo ea ratione damnati nostrorum operatantisper à supplicio reducti, dum se ad mortem

catho-

catholicorum more comparauerent. alter abiurata Mahometana superstitione, alter confessionis, & Eucharistiae sacramento communitus per supplicium ad felicem vitam (vt par est credere) peruenerunt. Credam infernum hostem furentem in nostros homines irritari, quotidieq; magis iram acuere in nos: quem longo interuallo ex diuturna huius gentis possessione sensim quotidie depellimus. quo magis danda est opera, vt animi demissione, vitae integritate, precibus in primis maiores quotidie à diuina bonitate vires impetremus; quo tantam animorum segetem, & in hac, & in alijs vbiq; terrarum gentibus, ea, qua par est fide, & diligentia excolamus.



PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA GERMANIA SVPERIOR.



HABET Prouincia Germanica superior Socios trecentos circiter triginta, quatuordecim distributos domicilijs: Collegio Ingolstadiensi octoginta, Dilingano prope triginta. Monachiensi vnum & quadraginta; sexdecim Oenipontano; Augustano trigintaquinque; Ratisbonensi vndeuiginti, Duodeuiginti Lucernensi; Halensi quindecim; Brantruliano tredecim, Domo probationis Landspergensi non multo pauciores quadraginta; Tribus Residentijs Constantiensi quinque, Vno minus Oetingana, Biburgensi totidem. Definitus Sacerdotum, magistrorum, Scholasticorum, & Coadiutorum numerus, quoniam in aliquibus Collegijs notatus non est, vniuerse colligi non potuit. In singulis tantum Collegijs, quod in alijs quoque Prouincijs factum est, qualem ipsi inuenimus; fideliter reddemus suo loco.

COLLEGIVM Ingolstadiense.

FVERE Ingolstadij octoginta, plerique variarum disciplinarum studiosi; aliqui docendi munere, in re domestica occupati reliqui, laboratum est

est hoc anno aduersa valetudine, grassata est enim saeua lues, quae periculosa pleuritide, & acerbo laterum dolore vrbem afflixit. tum Vngarica, quã hic vocant Cephalalgiam molestissimis febribus multos vexauit. ad haec phthisis è nostro numero quosdam tentauit. singulari tamen Dei clementia contigit, vt vnius obitu adhuc periculo perfuncti simus. is fuit Ioannes Liebhandus opificio sutor, cõmendabili quadam morum simplicitate conspicuus. qui cum duodecim annos in Societate versatus esset, ad extremum lenta confectus tabe, post multa patientiae, & pietatis documenta data, ad aeterna caelorum praemia vocatus est: Sacerdotio initiati sunt quatuor: vnus magisterij laurea donatus: varij ad varia collegia dimissi ad erudiendam iuuentutem, aliaue Societatis exercenda ministeria. Conciones vetere instituto habentur ad S. Mauritij, in aula Gymnasij, & celebrioribus festis in nostro templo. e quibus, praeter alia, insignis ille relatus est fructus. haeretici sex, & triginta ad Ecclesiam traducti: in quibus praecipui fuere adolescentes duo: alter insignis cuiusdam haeretici concionatoris filius, alter ciue Neoburgensi natus; insigni vterq; aduersus patria deliramenta, & furores insanos constantia, & fortitudine. Sed Neoburgensis tanto est animi ardore amplexus veritatem; vt non ipse sibi satisfaciat, nisi etiam contubernales, ceteroſq; aequales ex eodem coeno conetur extrahere. nec cessat quotidie aliquos ad nostrum Sacerdotem adducere disputationis causſa, quibus magna cum ipsius voluptate ita os obstruitur, vt fateri cogantur non habere se, quid respondeant. & licet adhuc ij, quos ille optat maxime, quorumq; auctoritate ceteri nituntur, manus non dede-

dederint: non parum tamen profectum est, cum se disputatione victos fateantur; nec tales dehinc tentare audeant congressus. iniectus certe is est iis scrupulus, vt non facile in peruicaci sua insania quieti esse possint. itaque non pauci constantis adolescentis exemplo permoti, aut illius inmitandi studium sensim concipere, aut Lutheranae iam incipiunt fallaciae diffidere: faxit diuina bonitas, vt haec eorum animis iniecta semina fructus illos aliquando pariant, qui expectantur. Quod ad cetera Societatis nostrae munia pertinet, multi e diuersis locis, etiam remotis, eo tantum consilio ad nos venerunt, vt animi sui salutem expedirent; totamq; decursae vitae rationem poenitentiae sacramento explicarent; ac nostrorum consilio totum animi sui statum componerent. Fuere qui id fecerunt, tum vrbani, tum externi, ad nonaginta. Selectis nostris meditationibus exercere se se decem: & in iis variarum familiarum religiosi viri aliqui, & nobilis quidam Canonicus, qui ad maiorem animi sui fructum in secreta illa exercitatione ad primum octiduum alterum etiam adiecit, & fuisset etiam rem diutius tractaturus. nisi prudenti consilio visum esset, feruori modum esse faciendum. Est & aduersus vaferrimi hostis insidias, arteſq; tartareas non nullis opera praestita. Sollicitabatur quidam à malo daemone, vt violentas sibi manus afferret, tamq. vehementer ad id instigabatur, vt aestum fluctuantis animi non ferret, quin se se, qua vi tempestatis pellebatur abripiendum, asportandumque permitteret. In tantis molestissimae aegritudinis ac desperationis fluctibus diuinae illi miserationis radius affulsit; iniectumq; est homini diuinitus consilium, vt tam saeuis curarum agitationibus medi-

cinam

Digitized by Google

einam à nostris peteret; omnem actae vitae rationem aperiret; qua ratione sibi esset in posterum vita traducenda consuleret. Sensit id malefica mulier, miserumq; à salubri consilio conata est auertere: amuleta, ac maleficia auertendis diabolicis terroribus homini e collo suspendit, cum nihil ijs proficeretur, perosus mulierem, ad salubriora, vnde diuerterat, se retulit remedia facta culparum confessione, redditur illi optata tranquillitas; cereaq; agni caelestis imagine, loco muliebrium fascinationum, e collo suspensa, multo se firmiore praesidio, quam inanibus illis, ac mendacibus munitum sensit. Miles praeterea sagarum carminibus ita se torpidum, ac colligatum aliquando fuisse asseuerabat, vt neque pedes, neque manus officio suo fungerentur. is nunc sacratae cerae beneficio testatur ea se molestia liberatum. Attulit hic annus morborum feracitate nostris hominibus copiosam de alijs benemerendi facultatem. nam praeter multos, quibus confirmandis extremo vitae tempore diu, noctuq; affuerunt, multi praeterea tenuioris fortunae homines, grassante Vngarica illa lue, omni ope destituti, hinc morbi grauitate, illinc rerū inopia premente, iacebant. horum casas, & tuguria quotidie nostri obibant; pijs alloquutionibus, & vt facultas erat, eleemosinis afflictorum egestatem subleuabant: monita salutis dabant; integris adhuc sensibus, animi saluti consulerent, mature se sacramentis munirent: neque ad animi solum, sed ad corporis etiam valetudinem praecepta dabant: quibus cauendum, quibus vtendum demonstrabant. multis etiam fascinos, & aniles superstitiones e ceruice detrahebant, eorum loco consecratis agnis substitutis. Impetratum est etiam à medicis, vt arte sua

à lo-

à locupletioribus, vt pecunia miserorum calamitati subuenirent. multi permissu senatus in hospitalem domum deportati, denique omnibus modis omnium inopiae consultum. Adiuti etiam, carcere detenti, in ijs mulierculae aliquae vulgatae pudicitiae, quae custodiebantur, ad honestam viuendi rationem reuocatae; & antequam emitterentur omnis superioris uitae noxis per confessionẽ expiatae. Confirmati sontes ad fortiter malefactorum poenas subeundas. Veneficae quaedam Foburgo (ciuitas est non longe dissita) huc quaestionum caussa attractae erant, hae postea ad supplicium Foburgum, vbi deliquerant, retractae sunt. missus eo Parochi rogatu ex hoc collegio Sacerdos Foburgensis, ad rogum damnatas ita confirmauit, vt & insigni patientia, & commissorum poenitudine omnem circa multitudinem admiratione affecerint. eiusdem prope generis, vt creditur, in ciuitate alia anus octogenaria grandior consuetudinem malo cum daemone habuerat, qui se Spiritum Sanctum esse diceret. ita se praebent ad credendum faciles hominum mentes. eo vocatus e nostris vnus miserae vetuli tenebras discussit: eumq; non Spiritum Sanctum. sed sathanicum hostem esse docuit. neque enim crucis signo, quod illa de feda illa larua asseuerabat, abigi Spiritum Sanctum, sed infernas acies salutis signum perhorrescere. Obijt hoc anno Domina Magdalena Reintalerina, semina non minus omni pietate, ac matronali laude, quam generis nobilitate clarissima. quae amore in nostrum ordinem, nostri templi cultu, & assiduitate, altera dici potest Anna Euangelica, cuius beneficentiam in hoc Collegium, etiam olim extitit egregia, & nouissime moriens eam nouo additamento cumulauit,

Digitized by Google

lauit. siquidem domesticum omne instrumentum nobis testamento reliquit. adiecit etiam certam pecuniae summam, vt ex eius fructu perpetuum lumen sacrosanctae Eucharistiae aleretur. Florent Scholae, tum seueriorum, tum mansuetiorum litterarum. Prima, & secunda Theologiae laurea insigniti sunt sex, quarto iam anno in ijs studijs exacto. Philosophiae supremum assequuti sunt septemdecim; nouem primam. In gymnasio inferiorum litterarum praeter Albertum Principem Bauariae Ducis filium, Baronesq; alios prope viginti, moribus, & litteris frequens iuuentus instituitur. Magno etiam incremento classes adolescentium nuper auctae sunt. declamationes solutа, & ligata oratione de more habitae; aliaq; exhibita, quae sunt scholis solemnia. Arctior, & melior disciplina ad Romanum morem in gymnasium perruptis difficultatibus introducta, & suscepta diligentia religiosior studiosorum examinando processu securitatem torpentium excussit; & studium, ac diligentiam repulsae metus excitauit. Libri aliquot Graeci, & Latini in vsum scholarum, vt superioribus annis nostrorum opera sunt editi. Ad vtranque rationem, & litterariam & sacram pertinent sodalitates auditorum. eae, pro copia caelestium donorum, quae subinde sancta mater infundit, crescunt in dies, & numero, & studio virtutum. Quae maiorum est centum & quinquaginta sodales habet, lectissimos adolescentes, Theologiae, iuris prudentiae, ac philosophiae studiosos: in quibus plus quadraginta Magisterij laurea donati numerantur; adscripti etiam sunt plerique ex Academiae professoribus. In ea quae minorum est, centum septuaginta sunt collecti; in qua, praeter duodecim

Baro-

Digitized by Google

Barones, insignemq; nobilitatis florem, meret quoque iam sub ijsdem auspicijs Deiparae Serenissimus Albertus Sereniſſimi Ducis Bauariae filius, quem ſodales, quo die in album relatus est, dramate cohonestarunt, & tempori, & homini appoſito; producto in Scenam Alberto Magno, vt ipſi Principi cognomine, ita eruditionis quoque laude, & eximia aduerſus caeli Reginam pietate clariſſimo. Placuit actio frequenti ſpectatorum theatro, plauſumq. tulit, tum argumenti dignitate, tum actorum in dicendo, & agendo elegantia, maiore vtique, quam a tantula aetate expectatur. Sed nihil maiori ſpectaculo fuit, quam Princeps ipſe, cum magna pietate nixus genibus, elata voce, ſolemni verborum forma pronunciata, in D. Virginis clientelam ſe commiſit. ex horum numero Sodalium quatuor relicto rerum humanarum curſu Religionis portum tenuerunt. Horum felicitatem ſunt alij, qui expectant. ij nunc crebro ſacramentorum vſu, precandi aſſiduitate, corpore edomando, cura ſalutis alienae, diligenti caelitum cultu, alijsq; id genus rebus, tum ad religioſae vitae genus, tum ad virtutem omnem viam ſibi muniunt egregie. Et fuerunt, qui carnem cilicina tunica quatuordecim diebus continenter atterorent. alij ad tres hebdomadas; ad integrum menſem alij rem traxerunt, adiuncto interdum tridui ieiunio, eoq; tam arcto nonnunquam, & ſeuero, vt ad panem nihil praeter aquam adhiberent. quod quidem eſt cum per ſe magnum, tum gentis more non nihil ab ea conſuetudine alienae, & aetatis imbecillitate multo maius. Deus optimorum adoleſcentium faciet non irrita vota. eam voluntariae inediae rationem alij praetor hos, vel vitijs edomandis, daemonumq; incurſionibus auertendis,

Digitized by Google

vel virtutibus à Deo impetrandis susceperè. Iam quod in alijs transalpinis partibus, vt nouum, & admiratione dignum narratur, hic iam caelesti dono tritum, & vulgatum est, flagris se caedere Quadragesima quidem publice, priuatim vero nullo non anni tempore; vt silentio iam praetereunda res sit, tanquam vetus, & vsitata. Multorum praeterea inopiam subleuarunt Sodales, non modo stipem elargiti ijs, qui ostiatim victum quaeritant, sed & alijs, quos pudor solet à mendicando deterrere. quin etiam annuum vectigal per eos constitutum, quod etiam proximis annalibus perscriptum est, ad egenos eleemosina inuandos: & nuper praesentatae Virginis festo die, in eiusdem virginis aede, peracta re diuina, inuitatis priore Dominica in concione pauperum turmis, mille, & sexcenti panes tenuioris fortunae hominibus distributi sunt. idq; eo consilio factum, vt Deus hac quanta quanta benignitate, & tantae multitudinis prece placatus Turcarum impetus à Christianorum finibus auerteret. Cuius etiam rei caussa ineunte mense Iulio decem horas publice precando Deo in templo nostro, partiti inter se vices, Sodales Deo dederunt, quas non modo ipsi suo quisque loco frequentes: sed ex ciuibus quamplurimi pie admodū celebrarunt. Idem factum cum ex quadraginta horarum supplicatione in quatuor partes, & quatuor templa diuisa, nostro templo sua quoque obtigit horarum decas. Denique quam grata diuinae maiestati sit bonorum pietas adolescentium, non ipsorum recte facta solum, tanto caelesti fauore secundata, sed sanctissimae etiam matris tutela, vel in ijs ipsis declarat, qui miseri, & amentes tutissimo se illius patrocinio vt est humanum malum subduxere. Adolescens nobi-

li

li loco natus, ingenÿque, & corporis dotibus prohandus, in eo fuit aliquando sodalicio. is cum aetatis lubricae spatia inoffenso pede aliquandiu decurrisset, iniecta sensim animo rerum illecebra, habenas paulatim coepit cupiditatibus remittere. inde prauorum incitamentis ablatus, liberioris vitae cursum iniit. eoq; vsque consuetudine proiectus est, vt quae antea magna veneratione coleret studia pietatis. ea demum risui, contemptuiq; haberet; nec quidquam illi magis cordi esset, quam vt per summam lasciuiam compotationibus, ac pergraecationibus tempus consumeret, iisq; genialiter indulgeret, quae illi vitae comitari solent, & vt miser humanae prauitatis venenum altius imbiberet, in aliorum sodalium genio deditorum, familiaritatem se penitus immersit. hi ad ceteram lasciuientis aetatis licentiam, etiam illud addiderunt, vt ardentibus tedis, aut sarmentis accensis, tanquam Orestem furiae, modo hunc, modo illum ex suo numero ex improuiso adorirentur, flammis circumsisterent, corpus amburerent, ni propere caenam expediret. cumq; multos iam furiosa illa alea in orbem percurrisset, die, qui Purificationis virginis festum insequitur hunc miserum nihil minus cogitantem ebriosa illa turba tedatorum de repente opprimit, homini flammas admouet: caenam exigit · paratur, expediuntur pocula, potatur in multam noctem. postquam poculis indultum est satis, onusti vino ad suos quisque lares reuertuntur. hic in suum se recipit cubiculum; & vt quieti se daret, vestes detrahit, ad linteum indusium, inde uino somnoq; victus, vt erat seminudus in mensam, quae posita erat in cubiculo dormitabundus se acclinat, innixus cubito, interim misero alto sopore.

preſſo, ardens candela caſu admota induſium inflammat, idq; peruadit totum non ſentienti. concepta flamma expergiſcitur tandem ſemuſtulatus. exclamat amens, horrendis vocibus familiam conciet. cumq; ſe è flammis exuere non poſſet, humi prouoluitur, ſi forte preſſu corporis flammas opprimeret. nihil proficitur. flamma iam valida magis ſaeuiebat: accurrunt familiares: miſerum adoleſcentem, quas fruſtra male vitarat ante coenam, poſt coenam flammis vident abſumi. perculſi pauore initio, cum quid eſſet ignorarent, verebantur accedere. periculo tamen audaciam faciente, licet ſeram, aliquam tamen opem ferunt, pertinaceſq; flammas, qua poſſunt ratione reſtinguunt, conſumpta ſindone, cute corporis iam penitus ambuſta. & eſt ille quidem praeſenti periculo ereptus: ſed incendij vis iam alte viſceribus inſederat, vt nullis remedijs coerceri potuerit, quominus aſſatae cutis tabes intus ſerpens, acerbiſſimo cum ipſius cruciatu etiam vitalia depaſceret. itaque octauo die, eadem pene hora, qua in eandem calamitatem inciderat, conſumptus eſt. Sed ne ea quidem vitae licentia, totq; ac tantis offenſionibus ſanctiſſima mater irritata, eum qui ſe aliquando in ſuam tradiderat clientelam, deſeruit. tanti refert prima aetatis initia illius ſanctiſſimo cultui addicere. quin tam acerbo oppreſſum caſu alumnum ſuum, quondam ſibi carum, licet in praeſens aeſtu quodam abductum, ita ſua diuina luce illuſtrauit: vt ille ad ſe rediens, eam ſibi calamitatem, ſolutiſſimae, quam duxerat, vitae caſtigandae diuinitus immiſſam fateretur: ita ſummam dolorum acerbitatem, quibus vndique membra omnia continenter vrebantur, magna ſignificatione pietatis non patienti ſolum,

& aequo

Digitized by Google

& aequo animo, sed etiam libenti pertulit, & cum in rebus omnibus toto illo tempore, tum maxime, cum ad sacramenta excipienda se pararet magna signa dedit pietatis. Speramus eius animum, diuinae sinu matris exceptum, non alio fortasse, quam quo illi depasta vita est, incendio, ad sui expurgationem eguisse.

RESIDENTIA Biburgensis.

QVATVOR e nostris rem Biburgensem curant. duo sacerdotes, totidemq; fratres, quibus celebrioribus anni temporibus suppetiae mittuntur. cum videlicet paucitas operarum laborum impar multitudini auxilio eget alieno. Hi tamen pauci, & in vrbe, & in pagis concionibus habendis, docendis rudibus, & confessionibus audiendis praeclare operam posuerunt. abduxerunt ab haeresi nonnullos. expetitur a multis nostrorum aduentus in circumiecta loca, vt si minus sacerdotem aliquem, qui confessiones excipiat, consequi possint, fratre tamen aliquo contenti sint, qui rusticos erudiat. In ijs locis Dynasta quidam, vt fit, sine vlla caussa a nobis erat alienior. hunc iam seu nostrorum innocentia perspecta, seu, vt solet auersione illa animi euanescente, multo habemus aequiorem. nam, & frequens ad nostri sacerdotis conciones, cum ea obit loca, accedit; & ipsum etiam cum comite perhumaniter in arcem inuitatum excepit; permisit etiam, vt ipsius materfamilias eo vteretur confessario, multaq; alia mutatae voluntatis signa dedit. Multi praeterea ex diuersis locis, tum nobiles, tum

de populo Biburgum, vna tantum nostros conueniendi causſa venerunt: vel vt per confeßionem maculas eluerent, vel vt conſcientiae ſuae difficultates conſilio noſtrorum expedirent. quibus magnotum ipſorum fructu eſt abunde ſatisfactum. Sontes, & rei capitalis damnati, alijq; vincti, tum Biburgi, tum alijs in Vrbibus rogatu maxime Praetorum, & in ipſa cuſtodia, & ſub ipſum ſupplicij tempus per noſtros adiuti. vt eorum aliqui eam animi laetitiam conceperint, quaſi futurae vitae gaudia praeciperent. Vacauit hic ſpiritualibus exercitationibus Sereniſſimus Bauariae Princeps Philippus Epiſcopus Ratisbonenſis. qua in ſeceßione quatuordecim poſuit dies, ſecretus ab omni ſtrepitu aulicorum, vno tantum famulo, & ſuo Theologo retento. horaſq; poſt cibum, remiſſioni animi dari ſolitas, cum aliquo noſtrorum pijs colloquutionibus tranſegit. Sanè apparet, ipſum ex tam vtili opera eos fructus cepiſſe, qui & à praeclara Principis indole, & ab eximia Antiſtitis pietate expectari ſolent. Exemplum praeclari, & Alumni, & Domini ſequutus Doctor Quirinus Leonihar eius inſtitutor, & ipſe otium hoc rerum diuinarum adamauit, & magno ſuo cum fructu contemplationibus illis operam impendit. Templum S. Leonardi, ſuperiore anno ex ruinis reparari coeptum, hoc anno piorum eleemoſinis, & liberali contributione poenè perfectum eſt. nam cum antea lacunari careret, & vix tecto arcendae pluuiae ſatis eſſet inſtructum; nunc, & tectum reſartum, & lacunar non inelegans conſtructum eſt, ambitus coemeterij iampridem profanis vſibus violatus, vt vix aliqua ipſius veſtigia ſupereſſent, erecto circum pariete, denuo deſcriptus, & à profanis locis ſeparatus eſt. Erat

parie-

parietis fundamenta cum foderentur altius, repertus est ingens numerus anathematum, olim S. Leonardo dicatorum, ferreae compedes, catenae, collaria, manicae, serae, vectes ferrei, cingula, equinae soleae, agalmatia, musculi, multorum animalium simulacra. Clavi plurimi, aliaq; eiusmodi donaria ex ferro omnia, tanto numero, vt ijs ingens area compleretur: omnia antiquam, & Templi, & gentis religionem, ac pietatem protestantia: nunc (rem miseram) ita proculcata, & fodata iacent omnia, ita longa desuetudine, & oblivione abolita, vt neq; à quo, neque quo tempore, aut quo consilio defossa sint, vtrum religionis abolendae, an illa iniuria prohibendi, nulla sit memoria. creditur eiusmodi monumentorum multo plura effodi potuisse, si operae in eam rem diligentiam adhibere potuissent, cum casu, & aliud agentes tot reperierint. Futurum speratur, vt sicut olim his defossis S. Leonardi religio ex hominum animis paene obliterata est: ita nunc ijsdem in lucem eductis reuiuiscat; tuteliarisq; diui patrocinium, & praesentius sentiatur; & maior dein cultus, veneratioq; imploretur. huius rei fama certe vicini coloni excitati ingentem carrorum numerum rebus ad reconcinnandam aedem oportunis onustorum per eos dies ex vicinis locis adduxerunt: & iam supplicationes ad hoc templum ex circumiectis vicis magna populi frequentia susceptae, magna item religione obitae sunt.

COLLEGIVM
Dilinganum.

IN Dilingano Collegio modo plures, modo pauciores versati sunt: nunquam tamen trivenarium numerum expleuerunt. omnes commoda vsi valetudine, praeter vnum, qui tamen è grauissimo, & poene iam desperato morbo, diligenti cura medicorum conualuit. Tres sacerdotio consecrati: totidem admissi in societatem: cum multo plures eiusdem voti compotes se fieri exoptarent. Floruit Academia vt cum maxime & nobilitate, & frequentia. Sed illud in primis magnam augendae religionis spem facit, quod ex diuersis Religiosorum familijs plus septuaginta in ea versantur: qui quidem non minus, quam in doctrinae, in studio quoque pietatis insigniter proficiunt. Ex ijs domi nostrae, nostro more in spiritalibus commentationibus exercitati nouem: tres ex ijs fuere sacerdotes. neque vero Dilingae solum, qui nobiscum versantur ad sua quisq; instituta, legesq; seruandas edocti; sed ad alios etiam absentes consilia transmissa. grauesque, & periculosae turbae, è quibus ruinae non leues timebantur, inter eos sedatae; integerq; bonae existimationis odor coenobijs conseruatus. Missi ad varia coenobia libri non pauci: quorum lectio, speratur in primis vtilis, & frugifera. Parthenia sodalicia duo maiorum, & minorum ex omni iuuentutis flore delecti frequentant. capit vtrumque in dies maiora, & numero, & pietatis amore incrementa. testes menstruae schedae, quas quisq; patri defert, notas earum exercitationum, quas ad certa extirpanda

ritia; virtuteſq; inſerendas ſuſcipiunt. Iam hic quoque vetus, & frequens eſt flagellorum, ac ciliciorum vſus. elucet eorum ſtudium in iuuandis egenis, aegrotiſq; inuiſendis, moeſtis amica alloquutione ſublenandis. & fuere, qui cum pecunia minus poſſent, diebus ieiuniorum detractum ſibi cibum pauperibus ſubminiſtrarent. quin etiam noſtrorum ſtudiorum aemuli, & ipſi docendis rudibus, ad pietatem alijs hortandis, maledicis vocibus comprimendis, haereticis ab errore reuocandis nauarunt operam. ſuperiore anno inducta conſuetudo, etiam hoc anno per eos continuata; vt ſingulorum menſium calendis à Quinctili menſe ad Octobrem horis decem, tribus in templis, publice ſupplicaretur. ipſoq; die feſto Pentecoſtes quadraginta continentium horarum perſoluta ſupplicatio. quo etiam tempore ingens fuit eorum numerus, qui ſe flagellis verberarunt. eaedemq; exercitationes, & priuatim, ſeorſimque; & publice, communiterq; magno ardore animi repetitae non ita multo poſt, cum ex Hungaria triſtes rumores perferrentur. Quod ad rem attinet litterariam, primam in Philoſophia lauream adepti ſunt vnus, & triginta, duodeuiginti ſupremam. Drama item datum in repetitione ſtudiorum, Herculeus in Biuio, egregie laudatum. Conuictorum Collegium nunquã fuit auctius, & cum in illud non niſi delecti admittantur, ad tantum tamen excreuit multitudinem; vt triginta ſupra ducentos aliquando numerati ſint. Sed quia anguſte nimium habitare videbantur, placuit R. P. Viſitatori numero modum conſtituere, itaque multi excluſi, qui id ægrè ferebant. Ratiſbonenſis Epiſcopus, cum hac iter faceret, vtrãque collegium inuiſit, excepitq; eſt oratione vtroq;

Sed iam quae sacrorum administratione facta sunt aggrediamur. Auditarum confessionum numerum, & quidem generalium non est operaepretium referre: nullam enim res habet nouitatem. Ab haeresi abducti quadraginta, aut eo amplius: à concubina satis multi: & in ijs nonnulli sacerdotes. tantus conscientiae libertas tenebras inuexit. remedia adhibita ijs, qui unxijs animi sollicitudinibus torquerentur. Multis sceleribus alius coopertus, eorum conscientia in desperationem actus, vel consequendae veniae, vel vitae emendandae, statuerat haeresios perfidia noxarum multitudini nubem obducere; quasi, quae alij facinora non agnoscerent, vel Deum ipsum, vel suam ipse conscientiam scelera sceleribus cumulando coelare posset. Sed non eum in desperatione illa deseruit diuina bonitas: meliorem; illi mentem, cui obtemperaret, inieoit. unum è nostris confessionis caussa conuenit: omnia; vitae suae ratione explicata, tanta hominem subijt animi tranquillitas, vt se repente factum alium magna cum admiratione laetaretur. Alij tres ex eiusdem desperationis barathro extracti, quorum vnus tantis agitabatur intemperijs vt lucem, aspectumq; hominum uituret. & fuit cum aliquando tantopere insaniret, vt intra domus lauuaria se adderet. his omnibus idem remedium confessionis salutem, & animi peperit tranquillitatem. Ad supplicium & patratam taedem, aliaq; indigna scelera reus conuictus ducendus erat. is tanta scelerum suorum poenitudine affectus est; & ita animum suum contra se ipsum odio culparum vbfirmauerat, vt deserret se, ne si posset quidem, liberum abire vellet. sed nequissimo animo grauissimos quosque cruciatus exceperunt, atq; in hac animi firmitudine ad extre-

trimum vsque perstitit. Crucifixi imaginem suis ipse manibus tulit; palamq; magna voce circumfusae, tum haereticorum, tum catholicorum multitudini identidem ingeminabat, se in Romanae Ecclesiae catholicae fide vitam finire. Ad rudium enim catechismi illud additum, hoc anno: Christianae fidei capita omnia scitu necessaria, ad eruditionem eorum, qui litteras ignorant, imaginibus descripta sunt: vt non edisci solum mente, sed ab ipsis etiam rudibus spectari oculis possint. cetera, & multa, & quotidiana, quoniam ab aliorum locorum rebus non sunt dissimilia, facili negotio possunt aestimari. Quae in circumiectis pagis acta sunt, non multum differunt ab vrbanis: laboris tantum magnitudine, & vtilitate nostrorum ministeriorum ad nouos populos, & nostrarum institutionum insolentes profecta, notatu digna fuere. Sed auditarum confessionum maior fuit numerus, quam facile ab vno, aut altero sacerdote ferri posit. ab haeresi nonnulli reuocati, alij ne ad Haereticos desciscerent retenti: contractus iniqui rescissi: multaque, quae mala fide gerebantur, iureq. fieri videbantur, seu quia exemplo, seu quia impune fiebant, impedita, & sublata sunt. compositae inimicitiae, quae in caedem eruptura erant, & infamiam. inter quosdam simultas grauis intercesserat; atq; vtrinque magna cum multorum offensione dicta procacia, & contumeliae profectae erant. curatum est, non sine magno quidem labore, vt antequam ad sacrosanctum mysteria percipienda dimitterentur, alteri alteris iniurias condonarent: & vt neutris fraudi esset, quidquid alteri alteros dictis, factisue laesissent. Mense Decembri superioris annis (nam eo mense ineunte fere superioris Germaniae litterae datae sunt)

sunt) Campidurum duo de nostris profecti populum sane frequentem concionibus, sanctimoniales, quae in vicino habitant hortationibus; aegros pijs alloquutionibus ad officium adhortati sunt, auditae ducentorum, & quadraginta quatuor poenitentium confessiones: duodeuiginti totius vitae noxis absoluti: ne sensus iniquissimum, & intoleranter magnum perciperet, deterritus vnus. anabaptistae duo cum omni prole. edocti prius fidei nostrae summam, redditi Ecclesiae catholicae. Pernicioſus in ijs locis abusus inueteraverat; vt ad Missae sacrum venientes antequam diuina planè peragerentur, e templo discederent. is totus sublatus est. & vt diligentius, quam ante illud frequentent, effectum. Eam rem plurimum promouit loci Episcopus, tum exemplo, cum ipse diuinis officijs semper palam interfit, tum cura, diligentiaque, quam in extirpandis erroribus, auitisque ritibus restituendis continenter adhibet. cuius item instituto indicta est consuetudo, vt sexta cuiuslibet hebdomadis feria, aeris campani signo memoria expirantis Christi renouetur. Distributa in vulgus rosaria, aliaqui id genus multa, libelliq; pij multum ad pietatem facientes: contraq; sublati qui, aut haereses, aut aniles superstitiones continebant. Reditum eodem ineunte Quadragesima. confitentes eo tempore. auditi plus mille trecenti. Ecclesiae aliquot reconciliati. Disputatum etiam cum haeretico, qui se tanquam ceteris sapientiorem venditabat: eoque processum est, vt victum, vel nolentem, & rubor, & linguae haesitantis confusio testaretur. Viuenti uxori alius pellicem superinduxerat; & quod est sceleſtius, sacrilegum, & vanum cum ea matrimonium contractum, in sextum iam annum cum mul-

multorum offensione continuarat. hic tandem verae redditus vxori pellicem eiecit. Eluoangae eadem praestita, quae alibi? illud praeterea: viginti-quinque ad catholicam fidem sunt reducti. nec minore cum fructu circa Bauariae fines ab vno è nostris ea loca peragrante, eadem ministeria magna assiduitate praestita: quippe festi, ac profesti dies concionibus, catechesibus, & confessionibus audiendis consumpti: idque tanta cura, & diligentia, vt ipsi senes, & grandaeui palam sublatis in caelum manibus, Diuinae benignitati grates agerent; quod se ad ea tempora reseruasset, quibus ea docerentur, quae essent ad salutem necessaria: seq; perpetuo tum nostrorum memores, tum eorum, quae ab eis didicissent diligentes cultores futuros profiterentur. Ereptae multis opiniones haereticae, impiae, fabulosae, de Deo, de immortalitate animorum, de morte, de ijs quae mortem consequuntur. vt valde dolendum sit, tam docilia hominum ingenia, tantopere amantia pietatem, prauorum hominum malitia in tam perniciosos errores pertracta, tamdiu nullo viam monstrante, in suae inscitiae tenebris haerere. incredibile dictu est, quantopere comitate nostri Sacerdotis, & peritia capti eum de rebus omnibus consulerent; illius consilia probarent; illi obtemperarent; nihil eum nescire existimarent, quippe quem non animis solum, sed etiam corporibus mederi posse crederent. tam frequentes ad ipsum hominum concursus fiebant, vt vix necessariae quieti locus esset. parentes, qua ratione filios educare, patresfamilias domos regere, pro suo quisque statu condicioneq; munus suum praestare deberent, condocefacti. Faxit Deus, vt tanta cura, diligentiaq; mollitum solum, & subactum conceptis

semen

semen, in copiosam bonarum actionum segetem effundat. Neque vero vrbes solum, locaq; frequentia obita: sed vastas quoque solitudines, auiaq; loca penetratum. Est Almangauia pagus syluis, & camporum solitudine in primis vastus: incolae victu aspero; & homines plane rusticani, rustico intenti operi in agris fere, & saltibus vitam agunt. rara apud eos oppida, vicique. suntq; in Dioecesi Reuerendissimi nostri Placuit igitur Reuerendissimo populos per vastas syluas, auiaq; camporum, & solitudines dispersos, per idoneos Euangelij ministros inuisere. duo ex hoc collegio delecti. qui vt rectius, & constantius in eo versarentur munere, collegere se à strepitu, & turbis domi aliquot diebus. tum demum egressi, opus cum Deo, & caelitibus bene iuuantibus aggressi sunt. eorum primus aduentus in oppidum fuit maximam partem haereticorum plenum. Praefectus oppidi, qui Consulis nomine insignitur, Lutheranus. ab eo concionis habendae petitur potestas: aduersus nostrorum petitionem Lutherani proceres consulem adeunt: negant Iesuitis potestatem esse faciendam dicendi ad populum de religione. Consul homo magnae aequitatis integrum esse cuique Ciuium respondit, eam sequi doctrinam, quae sibi maxime probetur. suos item ministros, cum illac iter faciunt, ad populum solere de religione verba facere. proinde negari Iesuitis, quod iure petissent, nec posse, nec debere. itaque haud grauate potestatem fecit. libenter, & omnium probatione auditi sunt. Itum deinde longius ad ea loca, ad quae eos Episcopus destinarat. ita partiti inter se vicos locaq; diuersi quotidie discedebant; sic tamen, vt sub noctem eodem quotidie semper conuenirent. ergo festis iuxta

ac

Digitized by Google

ac profestis diebus irrequieti animarum venatores indagant in syluis, in vallibus, in saltibus latitantes homines: docent quae vtile, quaeq; perniciosum est agere: singulas interdum familias, interdum plures instruunt: agunt vbique de rebus ad animi salutem pertinentibus, tum de loco superiore, tum de plano: in medios se cetus inferentes, vt vtrique se occasio offerret docent puerorum, & puellarum greges Christianae fidei rudimenta: obeunt quae apud illos sunt xenodochia: afflictos pijs monitis attollunt, insuper, & parochos sui commonent officij: distribuunt promiscue pios libellos, Rosaria, Imagines maximo numero: omnia impensis Episcopi coempta. Demum grata fuit, vbique eorum commemoratio, & plurimis vtilis. Plus sane potuisset effici, si res commodiore anni tempore suscepereturnam eo tempore ea loca peragrarunt, cum omnes demetendis, condendisq; frumentis tenerentur. itaque commota sunt hominum studia, non expleta. Sed fuit saltem operaepretium gentem ad eam diem nobis incognitam, & intractatam attentasse; & hominum ingenia à pietate non abhorrentia explorauisse. Expectabitur igitur iterum aquae motus.

COLLEGIVM Monachiense.

MONACHIENSE collegium vnus, & quadraginta socij incoluerunt: sacerdotes viginti quo: magistri diuersis praepositi scholis, nondum sacris initiati septem. ex toto numero sacerdotes duo, & magister vnus in collegio degunt con-

Digitized by Google

conuictorum duodecim, reliqui sunt coadiutores. ex humanis excessere tres, duo sacerdotes P. Iacobus Sturmius Velchirochensis e Constantiensi dioecesi. Oen ponto desperata valetudine medicos consulendi caussa huc profectus. & P. Ioannes Brennerius Luxemburgensis; qui ex Rhenana in hanc prouinciam translatus erat: ibi Philosophiam publice professus erat; Rectoris etiam diu munere perfunctus; multisq: ac varijs missionibus exercitatus magna cum laude pietatis, & zelo animarum; triginta ipsos annos, & eo amplius egit in societate. Vtrumque eodem pene tempore secutus tertius Laurentius Cassalius Romanus coadiutor, qui multos annos Monachiensi aedificationi praefuerat: in Societate vero fidelem operam pius triginta & ipse annos praestiterat. Alij, tum è vicinis, tum e remotioribus collegijs reparandae caussa valetudinis huc profecti conualuere. Sed ijs vtique sua statuta dies erat. Conciones tum in vrbe, tum extra vrbem solemnes fuere. & quidem in vrbe ternae, vna in aula gymnasij ad discipulos, altera in templo nostro ad ciues, tertia in sacello ad Serenissimos Principes, Ducis Bauariae filios, & aulicas earum familias. extra vrbem per vicos. varijs in locis rustica plebs christianae fidei mysteria, potissimum catholicum confessionis obeundae ritum edocta. In Vrbe rursus catechisticae explicationes, praeter vsitatas singularum scholarum exercitationes quatuor in locis habitae; e quibus collecti fructus, si minus ad speciem magni, ad spem certo futurae segetis non exigui. Omnes qui ante actae vitae noxas confessione expiarunt, tum in Vrbe, tum in pagis ducenti quinquaginta: Cum sancta Romana Ecclesia tres, & viginti reconciliati; multorum studia

Digitized by Google

dia ad pietatem incredibiliter excitata: catholica Virgo duodeuiginti annos nata ab haeretico consanguineo ad comedendas vetitis ab Ecclesia diebus carnes adigebatur, morte intentata, ni obtemperaret, constans aduersus petulantis hominis audaciam, intrepidaq; perstitit, vitam sibi eripi posse, auitam religionem non posse protestata. Tres aliae, quarum duae sorores, religiosum D. Clarae institutum suscepere. Sacerdos ex ordine S. Benedicti spiritualibus exercitationibus à nostris eruditi voluit. Alius vir grauis, & honestus nunquam antea nostrorum consuetudine vsus, die quodam ex ijs, qui Virgini matri sacri per annum colunter, caelesti monitu ad nostrum Templum venit: sacerdotis, in quem primum incidit, ad pedes se abiecit: magnoq; cum doloris sensu conscientiae maculas detexit: alteri deinde e nostris sancte affirmauit, patrem illum, cui confessus esset, se ne nomine quidem antea nouisse; sed eum esse, cuius diuinitus obiecta sibi species erat per quietem: eiq; culparum confessionem replicare iubebatur. Alij decem, alij viginti millibus passuum disiuncti Monachium venere tantum, vt suae arcana conscientiae poenitentiae sacramento patefacerent. Et Parochus quidam loci remotissimi longum iter, & incommodum eiusdem rei causa suscepit. Sacerdos è nostris incidit in itinere in quendam alio proficiscentem. Cum eo, vt est nostrorum consuetudo, in sermonem venit de vtilitate recte confitendi; quanteq. opere sit pernicioſum, vel vnam culpam letalem consulto in confessione praetermittere. Hic ille ictus suae conscientiae consuetudinis, grauiter ingemiscens, per fodi sibi pectus, ait aculeis orationis, ac prope exanimari se se; quod maxima quaeq. crimina in

confessione supprimere soleret. Iubetur à nostro bono esse animo. posse ipsum, si velit uno tempore totius actae vitae crimina detegere. propitium Deum habiturum, qui omnem illum mentis pauorem, anxiamq. aegritudinem, facta peccatorum confessione, in summam animi laetitiam, tranquillitatemq. conuertet. hac oratione tanto illius exuendae sollicitudinis, seq. accusandi studio succensus est, vt e vestigio sua peccata detecturus fuerit, nisi moneretur à Patre, confessionis horam expectandam. quam ille confecto itinere primum nactus, animi sui vlcera nostro sacerdoti curanda patefecit. Venerat Monachium vir munere publico fungens, is incidit in morbum, qui cum in dies ingrauesceret, eo uentum est, vt de illius vita iam desperaretur. Neminem tamen in tanto discrimine constitutus, ne nostros quidem eius rei caussa adhibitos de confessione se monentem audiuit vnquam. Diuino tamen beneficio is periculum euasit. cum iam conualuisset, forte quendam e nostris in catechesi ad rudes de confessionis sacramento audiuit disputantem. ibi tum, quasi veterno quodam experrectus, coepit ea intelligere, quae de confessione ad eam diem surda aure praeterierat; eaq. tam alte impressit animo, vt quasi tum primum sui compos factus, recta ad nostrum templum pergeret, sacerdotem confessionis caussa summopere flagitaret. ea enim se illo die audisse, quae nunquam antea, neq. audisse, neq. legisse meminisset. o tenebrae, nempe his omnibus voluntas, & pietatis amor non defuit: sed qui tenebras inscitiae depellerent defuerunt; & licet postremo huic oportuni aliquando monitores non defuerint: tamen saepe accidit, vt quemadmodum qui in tumultuosa turba aliqua versantur

non

non statim primam vocantis vocem percipiunt, sic ad primas interdum aliqui monitiones obstupescunt: iidem rursus lacessiti excitentur. nempe illustrator spiritus, qui vbi vult spirat, eam saepe obseruat opportunitatem, vt sibi vni, non humanae sapientiae salus hominum tribuatur. Consules ciuitatis nostri ordinis amantes, student quoad possunt, homines minus bene de religione audientes ad nos confessionis caussa transmittere. Mulier veneficijs multis annis dedita, veneficiis combustis sceadis resipuit. à flagitiosa vita, turpiq. abducti alii qui; à concubinatu, à pellicatu, à bigamia, priore adhuc coniugio manente, à vulgandi corporis consilio, ac ne se in certam perniciem dederint, feminae deterritae. Anus stuprorum conciliatrix, & mulierculorum perductrix, a vilissimo ministerio abducta, totius vitae confessione facta, in meliorem vitae statum restituta. Salutaribus monitis instructae virgines, munera, quibus sollicitabantur, forti animo prae virginitatis thesauro contempserunt. Multis quaestionibus de iure satisfactum, ac praecipue sacerdoti cuidam, qui à triginta millibus vrbis consulendi caussa saepius nos adit; & Iudaei saepius scisciranti, qua ratione munus administret suum. Data multis remedia aduersus animi aegritudines, & tartareas inferni hostis infestationes; quibus aut liberati omnino sunt, aut non mediocriter adiuti. a morte sibi consciscenda; ab alijs, quas oderant, inferenda reuocati multi. Egregius adolescens iam se domo proripuerat, vt in flumen se deijceret; obuium habuit nostrum discipulum; qui ex vultu eius maestitia deprehensa, hominem ad quendã de nostris patribus adduxit, à quo ad meliorem sanionem, & magnum aegritudinis leuamen

adductus est Dissidia multa sublata etiam inter cognatos, & affines: diuturna odia, & inueteratae simultates è multorum animis abstersae: nec misericordiae officia neglecta. vt non modo qui in vrbe, sed etiam qui in agro pauperes aegroti essent, nostrorum praesenti alloquio leuati sint; interdum corporis quoque indigentiae subuentum. Ferijs Pentecostes instituta est quadraginta horarum supplicatio, sed in dies quatuor tributa. Eadem repetita, & continenter diu, noctuq. celebrata, bidui etiam ante ieiunio indicto, cum tristis nuncius de copiarum nostrarum strage, praelio cum Turca comisso, perlatus est. incredibilis fuit ad nostrum templum omnium ordinum concursus: vt in multam noctem magna refertum multitudine fuerit. Quo tempore accidit in Puero nobili res plena quidem festiuitatis, sed miraculi euidentia relatu non indigna. is tenera aetate infimae scholae discipulus, cum aequalibus, & maioribus per vicem suam in templo precationi dabat operam. precando iam tertium rosarium percurrerat: cum ecce tibi minus aduertenti rosarij fidicula dirupta globuli precatorij dissiliunt, dissipantur. omnes tamen in tanta hominum multitudine, praeter superius frustulum crucis, colliguntur, conduntur in peram. non ita multo post maesto eo casu puero venit in mentem in honorem S. Catherinae studiosorum patronae, cuius eo die natalicia celebrantur, quartum addere rosarium. sed priore casu tristis, alias precationes è precatorio libello recitare constituit. quem cum detrahit de pera, una etiam rosarium cum globulis omnibus ordine insertis extrahit: vt summa tantum crucis pars, quae reperta non est, desideraretur. ipsa fidicula, qua parte rupta

Digitized by Google

pta erat, concinno colligata nodulo apparuit. credibile est gratam fuisse Caelicolis, imprimisq. D. Catherinae innocentis pueri pietatem, incitamentum illi ad maiora. & cum de totius rei veritate nonnulli dubitarent, facta à multis accuratissima disquisitione, nullus est plane suspicioni locus relictus. Templi aedificatio crescit in dies; & iam praecipua pars, quae chorum continet, est paene absoluta. sacellum est praecipuum S. Cruci dicatum. id die, qui diem festum S. Mariae Magdalenae sequutus est, solemni cerimonia consecratum est, praesentibus sereniſſimi Ducis filijs. Venio ad scholas; quarum ita auctus est numerus, vt necesse fuerit earum binas congeminare: cum infima centum & quadraginta pueros contineat. Florent ingenijs, & nobilitate, exercitationibus maxime. festi dies celebriores declamationibus, versibus, emblematis, & actiunculis decorantur. in ipsa studiorum repetitione exhibita est actio Godefridus Bullionius bello sacro Palaesthinam ad Christiana iura revocans. Cuius praeclara praestantissimi Ducis virtus amplam poetae ingenio facultatem dedit Christianos docendi, quibus artibus Christianus miles aduersus impios bella gereret. Neque vero studio, & litteris tantum nostra iuuentus, sed religione etiam, & amore pietatis operam nauauit. Sex ex earum numero humanis rebus nuncio remisso, ad diuersas se religiosorum familias aggregarunt: vnus ad Franciscanos, Capucinos; ad obseruantes alter. Centum prope libros reliqui haeresis labe infectos, alij alios ad confessarium comburendos detulerunt. eorum vnus matri licet renitenti, ac recusanti victor tandem propositi persuasit, vt superstitiosas chartas in ignem injiceret. ita tam serio tenera aetate imbi-

Digitized by Google

bunt pietatem, vt parentibus duces se praebeant ad virtutem. Puer alius furentem patrem, qui accepto gladio, manum sibi admouerat, efficaci monitione, & precibus filio, & aetate dignis, à nece sibi inferenda reuocauit. Sodalitates B. Virgini dicatae tres sunt; maiorum prima, altera minorum, coniectorum tertia, de singulis dicendum. Maiores Dominicum diem, qui cineralia antecedit, sacro conuiuio, & corporis diuerberatione, alijsq. pijs exercitationibus celebrarunt. Postero die vtraque sodalitas maiorum, & minorum in aedem D. Virginis conuenere, solemnemq. eius diei psalmodiam instructissima symphonia, multis, varijsq. musicis admixtis instrumentis decantarunt; confluente eo magno ciuium numero. rarum omnino, & tali tempore inusitatum religionis exemplum: vt non tam bacchanalia seruare, quam religiosissimus agi dies videretur. sed praecipuae caritatis documentum, in graui vnius morbo ex eorum numero maiores dedere, cui perpetuo frequentes affuerunt: vt noctes totas eius assistentes lectulo insomnes saepius traducerent: sacrosanctum viaticum illi afferendum curauerunt: ipsiq. agmine, accensis cum facibus pompam comitantes processerunt, spectante, & maxime probante ciuitate. Eundemq. ingrauescente morbo, extremo chrismate curarunt inungendum, cuius, statim ac percepit, sacramenti diuinam vim persensit. coepit enim exinde ita conualescere, vt integram penitus valetudinem reciperet. Minorum sodalitas mire creuit, & numero, & studio pietatis. Qui ad probationem exercentur, fuere interdum ad quinquaginta: admisse toto anno ad octoginta, quibus vt daretur locus, submittendi aliqui fuere in superiorem. Hi quan-

tum

tum in amore proficiant virtutum, ex ijs quae subinde in eorum vita, & actionibus signa interlucent pietatis, non obscure intelligitur. Puer ciuem suum iam adultum multos annos in haeresi haerentem precibus, hortationibusq. adortus, multa de virtutibus B. Virginis, deq. eius erga suos clientes patrocinio, multa de misero statu haereticorum, multa de poenis inferorum edisserens, eo adduxit, vt ipsius victus persuasionibus in viam rediret: & abiurata haeresi, totius vitae noxas poenitentiae sacramento perpurgaret. Nonnulli ex eo die, quo supremam Christi cum discipulis initam caenam annua memoria recolimus, adeo seuerum indixere sibi ieiunium, vt (quod in adultis, ac grandibus mirere) nihil omnino degustarint, donec optatissima lux aduenit, quam Christi excipit resurgentis gratulatio. Tertia porro conuictorum sodalitas, vt interiore disciplina nobis coniunctior, ita videtur reliquas studio, & pietate superasse. Est ijs iam vsitatum, & solemne in peruigilijs religiosorum dierum, & flagellatione, & cilicijs corpus atterere. Idem die, quae parasceuen consequitur, supplicationem ad Christi sepulchra (quae in templis adornata, antiqua regionis consuetudine etiam vltra feriam sextam ad sanctum vsque Paschae diem retinentur) instituere. Septem eo die templa eiusmodi monumentis ornata obiere; varia Christi patientis argumenta praeferentes. in quibus aliqui non modo rerum simulacra gestabant, sed veros Christi cruciatus in suo ipsi sibi corpore referebant: spinas, vincula, virgas, flagella ipsi sibi incutientes. quae viuae rerum imagines, multo magis, quam alia efficta simulacra hominum animos permouebant; vt ad spectaculum populus, neque

lacrymas, neque voces contineret; quin ad vnumquenque cruciatuum Christum multi ea ludibria, eos dolores pro se passum esse ingemiscerent. Idem eodem, aliove tempore? in Monte sancto (locus esse videtur in vrbe, aut non ita longe insigni aliqua religione venerandus: nobis ex germanicis litteris nulla lux) panis ingentem numerum pecunia collaticia coempti pauperibus distribuerunt: tanta cum omnium probatione, vt etiam postero die à turbis pauperum faustis vocibus gratiae illis agerentur. Alia multa de illorum pietate dici possent, quae taedij vitandi caussa silentur. Haec singulae sodalitates seorsim. illa vna omnes. Pridie ascensus Christi Domini in caelum peregrinationem ad locum eundem, quem Montem sanctum nominant; & alias alio tempore. eadem ratione diuinae contra Turcas opis implorandae susceperè. D. O. M. optima tam bonae iuuentutis studia promoueat, vt multis familijs, atque adeo ciuitatibus facem ad pietatem praeferentes, quamplurimos possint ad eiusdem pietatis exercitationem inflammare. Addam postremo loco, quod ad insignem Dei pertinet beneficentiam erga nos. Est Eberspergense monasterium D. Sebastiano dicatum, hinc millibus passuum viginti dissitum, cuius iampridem vna cum fortunis est collapsa disciplina. id Gulielmus Bauariae Dux, à summo Pontifice accepto diplomate, impetrauit, vt Monachiensi Collegio adiungeretur. assensum praebuere Ernestus Ducis frater Colonienſis Archiepiscopus cum Frisingensi Canonicorum collegio. itaque pridie calendas Nouem. Rector Monachiensis collegij, in eius Monasterij possessionem immissus est. Commissario Apostolico Iacobo Ratisbonensi Praepositio,

posito, Gulielmi Ducis nomine nobili viro Iacobo Serene de Egnating Ducis consiliario, & superioris Bauariae Quaestore. Res Dei in primis beneficio, & secundum Deum fauore Principis, & prudentia Commissariorum summa tranquillitate peracta, maiore prorsus quam in re, quae magna inuidia non careret, sperare poteramus. Videtur autem diuina bonitas tanto hanc rem fortunasse magis, quanto minus illud emolumentum ambieramus. Et iam homines ei subiecti ditioni bene affectos erga nos habemus. Locus est insigni religione, & frequenti hominum concursu celeber: in primis vero ipsius S. Sebastiani martyris cranio, aliisq. sanctissimis reliquijs nobilitatus; quo vndique quotannis religionis caussa mortales plurimi conueniunt. Spes est non minora nos, ad tenues nostras fortunas augendas, quam loci, tum incolas, tum aduenas ad animarum fructum emolumenta percepturos.

OENIPONTANVM Collegium.

OENIPONTANVM Collegium sedecim incoluere; sacerdotes decem: ex his quatuor cum fratre vno scholis praesunt. ceteri res curant familiares, omnes commoda satis vsi valetudine, vno excepto: qui die vigesima tertia Ianuarij cessit è vita, Gaspar Zelosus Pedemontanus, natus Taurini, formatus coadiutor temporalis, annos natus circiter octoginta, quorum prope quadraginta egit in Societate: vir magnae obedientiae, ac B. Virginis cultor insignis; orationis, & suae in primis abnegationis studiosus, admirabili quoque in aegro.

Digitized by Google

aegrotos, & egentes humanitate; vt inopes patronum, & parentem mortuum lugerent. eum quidam obseruarunt à caenatione, antequam caeterorum se colloquiis insereret, intentis oculis aliquandiu Christi iudicantis tabulam iutueri solitum. rogatus cur id faceret, comparare se animum, respondit, ad tempus illud recte transigendum, quod animi remissioni datur. In societatem adscitus coadiutor vnus, & hinc Landspergam ad probationis domum missus. Concionum fructus illi sunt. Adducti multi ad frequentiorem Missae, & sacramentorum vsum, qui antea vix semel quaque hebdomada rei diuinae solerent interesse. ac semel iterumue singulis annis poenitentiae, & Eucharistiae obire sacramenta. Ablati quamplurimis libri haeretici, obsceni, superstitiosi. magicis carminibus, & anilibus deliramentis referti: igneq; combusti. abducti etiam aliquot ab haeresi, in his Alsata nobilis, semen verae fidei Augustae concepit. hic sex continentibus annis in Gallia haereticorum castra sequutus, aduersus Catholicos suis stipendijs militauerat. consumptoque patrimonio, catholicos tandem, in quorum perniciem omnia consumpserat, coepit suspicere. & cum forte Augusta iter faceret, nostrum sacerdotem ad concionem verba facientem audiuit: probanda ei, quae tractabantur, visa sunt. inde fluctuans egressus Oenipontum venit, hic nocturno visu monetur per quietem, vt Romanae Ecclesiae fidem amplectatur. adit Collegium; patrem aliquem, quem de suis rebus consulat, quaerit; cum eo de praecipuis religionis capitibus agit. quibus cum facile assentiretur, haeresim eiurat; factaq; totius vitae confessione, & sacrosancto Eucharistiae percepto sacramento, se eam imposterum

fidem

fidem defensurum professus est, quam ante impugnasset. Doctrina Christiana, & in vrbe, & in suburbanis agris bene procedit. Pia quadam controuersia rustici certarunt inter se, qui eorum potissimum domum suam Cathechismo commodaret, cum suam quisque opportunissimam esse contenderet, ad tenellulam eorum, qui instituuntur, aetatem ab hiemis iniurijs tuendam; praesertim cum ipsorum maligne instructi vestibus essent quamplurimi. atque is, qui victoriam tulit, factus voti compos, non ipse solum cum omni familia ex editiore agri parte, in qua habitabat, illuc descendit, cathechismo semper interfuit; sed etiam cum ad domum, quam dederat inspiciendam venisset, quo magis suum beneficium faceret, ligna quoque ad ignem comportauit. magnum in re parua, & agresti facto, magni animi, & non vulgaris indicium pietatis. Translata per aestatem in vicum alium, quo plures iuuarentur, exercitatio ab: ac redeunte hieme in eundem locum restituta, magno cum vtriusq. loci incolarum bono simul, & laetitia. Adiutus est etiam loci Parochus: & illo aegrotante, eius per aliquot menses à nostro sacerdote Vicaria opera munus expletum. Camerae Tirolensis Praefecti à nostro Praeside admoniti, renouandum nobis esse perennis aquae fontem, & commodiorem in locum transferendum; canalesq. cupreos ad emittendam aquam pluuiam faciendas, in eos sumptus ex aerario ducentos nobis florenos assignarunt: centum alios ad Bibliothecam augendam addiderunt.

Sunt hic sodalitates duae B. Virgini dicatae; studiosorum adolescentium vna, & Ciuium aliorum à Gymnasio alienorum altera, & cum vtraque floreat frequentia, & pietate, tum multo magis illorum studia

studia excitata sunt, cum circa festum Annunciationis Virginis indulgentiae à summis Pontificibus *hisce sodalitatibus concessae pro concione explicatae sunt; deq; earum sodalitatum instituto copiose etiam pomeridiana concione disputatum. Magna cerimonia eo die Missae sacrum peractum; & plus quingenti sacrosancta Eucharistia recreati; magnam ea res, tum sodalibus, tum ceteris attulit animo voluptatem: vt multi in eam se aggregandi studio excitarentur. Ex his ciuis honestus postquam in album relatus est, Dominicis, festisq. diebus duos pauperes in honorem B. Virginis mensae semper adhibuit. Idem eiusdem Virginis amore partem aedium suarum sodali egenti gratis incolendam dedit. Alius cum in haereditatis possessionem venisset, exacta iam aetate pupillari, non paruam pecuniae summam, quam ei tutores ex foenore bonorum ipsius collectam, numerabant, constantissime repudiauit. Alius rei familiaris angustia, magnis difficultatibus iactatus est. nam à creditoribus, quod soluendo non esset, bonis omnibus exutus, in carcerem coniectus est. ei nocte intempesta daemon humana specie se visendum praebet, plenum pecuniae marsupium ostentans pollicetur: tantum quae secum gestaret petit, vt abijciat: & Christi, matrisq; eius cultum detestetur. percontanti quae nam illa essent, quae iuberet abijci: non ausus plura; ad collum inquit, & in caligis, quae habes. habebat ille ad collum agnum cereum, & rosarium in pera caligarum. Negat constanter sodalis se vnquam illi obtemperaturum. quin contentius B. Virginis, praesidisq. Angeli opem imposterum imploraturum. deniq; post longam trium horarum altercationem infernus hostis victus abscessit. Et vt*

appa-

Digitized by Google

appareat gratos esse Caelitibus huiusmodi cetus hominum, Dei, & sanctae Matri cultui dicatos, non desinit infernus hostis eos obtrectatorum vocibus, & insectationibus lacessere. Ciuis grandis natu constituerat aliquot annis ante ad hanc sodalitatem se adiungere; sed aduersis maledicorum hominum rumoribus retardatus procrastinabat. Is iter faciens cenosa, & lubrica via, prolapsus latus grauiter offendit; tum negligentiae, atq; errati memor spondet B. Virgini, se cum primum conualuerit, curaturum, vt in eius sodalitatem adscribatur. sentit confestim benignae matris opem. nam & dolore leuari coepit; & non ita multo post plane conualuit. Alteri familiares aperte denunciarunt, ni ab ea sodalitate se abduceret, se neq; ipsum, neque ipsius liberos amicorum numero esse habituros: neq; si quid ipsi aduersi accidat, vllam opem laturos. tanto ergo, inquit ille, studiosius in sanctissimae Virginis, quae neminem deserit, patrocinium me dedam. Denique is est omnium amor in Deum, ea in sanctissimam Matrem animi propensio, vt nullam de alijs bene merendi omittant occasionem; rudes, quibus cum versantur, edocent; catechismum explicant; alienos in fide catholica instituunt, à vetitorum ciborum vsu auocant ad sacramentorum frequentiam hortantur; omnia denique faciunt, vt quae à sanctissima matre ijs collata sunt bona, quoad eius fieri potest, ad alios etiam promanent. Est altera sodalitas scholasticorum. hi sanctioris hebdomadae postremis diebus atris linteis induti, flagris se cedentes, supplicantium more agmine ad templum nostrum venerunt. noua res, & insolens in ciuitate magnam habuit probationem; eoq. laudem maiorem, quod à tenera aetate adolescentibus

tibus tanta animi alacritate gesta est. Et sane mirus est adolescentium quorundam ardor in puniendo corpore, vt mirum non sit potuisse eos tam facile cetum vniuersum ad eam diuerberationem inflammare. nam priuatim ita se ieiuniis, cilicinis thoracibus, ac zonis, flagrisq. conterunt, vt fraeno cohibendi sint. Fuere qui Quadragesimae diebus singulis flagella corpori admouerint; & aut in stramine, aut nudis asseribus cubarint. Et haec adolescentuli faciunt, & Germani adolescentuli mollissimo fere cultu domi educati; & inter eos, apud quos nuper inuectarum opinionum vitio, nihil est inuisius, quam odio habere carnem suam. Mense Iunio, die S. Vito dicata vtraque sodalitas, ad opem rebus Vngaricis poscendam, decem horarum supplicationem in nostro templo, sacra Eucharistia proposita, habuerunt; postridieq; omnes vna Caelesti pane refecti sunt. Eodem die sodalium sequutae pietatem matronae nobiles eandem sibi facultatem poposcerunt; partitaeq; sibi inter se vices, & ipsae denas horas eadem ratione in preces perstiterunt. Tertio die quando instituta res bene processerat, domestici nostri, adiunctis sibi familiaribus externis, & ipsi suas denas peregerunt; ac ne quid quadragenarum numero deesset, nobiles aliae a prioribus matronae, postremas denas absoluerunt. cum quotidie bis hortatio, ad eos qui conuenerant, rei, & tempori conueniens haberetur. & fuit inter matronas eas, quae quarto loco supplicarunt, Vidua nobilis, quae pauperes feminas, mendicato viuentes, corrogatas, sibi precandi socias adiunxerit. easdem finita precatione domum deductas, prandioq. exceptas congiario donatas dimiserit. Credibile non est, non admodum Deo gratam fuisse tantam pietatem;

tan-

Digitized by Google

tantumq; repente studium orandi, tanto cum omnium vbique motu animorum, non diuino Sancti spiritus instinctu excitatum, neque irritas fuisse preces ad multa certe belli mala auertenda, quae forte imminebant, nobis inscijs. De reliquorum scholasticorum pietate satis erit illud addere: aliquot eorum Capuccinorum institutum amplexatos esse: alios eandem religionem cogitare. Pauperibus scholasticis nostris est a multis benigne factum: morbo affectos matronae nobiles, & illustres inuiserunt saepius, usq; quotidie, quoad prorsus conualescerent, lautiora, ac delicatiora esculenta domi suae magna cura praeparata, submiserunt. itaque viget adhuc in multis antiqua Germanorum pietas, neque omnia prorsus haeresis obliterauit. Quo die anniuersaria templi nostri dedicatio celebrabatur, Serenissimus Archidux Matthias Austriacus Imperatoris frater, qui triduo ante ad hãc vrbem venerat, in templo nostro rei diuinae, & concioni interfuit. Collegium ingredientem soluta oratione vnus ex patribus excepit: abeuntem scholarum nomine adolescentes nobiles, & baronet carmine salutauerunt. Eius iussu non ita multo post, cum de Agriensi obsidione tristes nuncij afferrentur, tota ciuitate, quadruplicata quadragenarum in centum, & sexaginta horas continens in dicta supplicatio: eaque in quatuor Religiosorum familias distributa. Initium fecere Obseruantes Franciscani: excepit nostra familia: nos sequuti Capuccini, vltimi Praemonstratenses. Oratum est continenter diu, noctuq; plerique, quo gratius diuinae maiestati ipsorum esset obsequium, ante supplicationem peccata expiarunt. Ipse Serenissimus Matthias suam quoque statam peregit horam.

Et

Et Sereniſſima Dux Vidua Sereniſſimi quondam Archiducis Ferdinandi Coniux, cum ad nos eſt ſuplicatum, non vna prioris diei contenta, poſtero die duas humo nixa genibus horas precando con-sumpſit. Eiuſdem periculi cauſſa multae à multi-noſtrorum familiarium corporis afflictiones ſuſce-ptae, cilicia, flagra, ieiunia. & fuit qui horis qua-draginta ita ieiunium continuauit, vt ne potioni-quidem guttam vnam hauſerit. Matrona nobilis per eos dies lapillos acutos calceis iniecit, quos in-tegros dies, vt ſe cruciaret multo preſſu calca-uit. Quae ſi minus in praeſens ad illa arcenda ma-la, quae timebantur profuere. ſperandum tamen in aliud tempus, à diuina prouidentia ſtatutum pro-futura.

COLLEGIVM Auguſtanum.

IN Collegio Auguſtano fuere ſocij viginti quinque, ſacerdotes nouem, humanitatis, & litterarum magiſtri tres; eorum diſcipuli quinque, reliqui rei familiari inſeruientes, proſpera fere vſi omnes va-letudine. deſideratus eſt nullus, quae Dei benigni-tas fuit. duo cum plures idem poſtulaſſent in ſo-cietatem recepti. Conciones ſolemnes, & viſitatae in aede primaria ad Beatae Virginis magno con-curſu ciuitatis celebratae. in noſtro item templo tota quadrageſima diebus dominicis, reliquo anni tempore feſtis dumtaxat celebrioribus. Pomeridia-na item habita concio in templo maximo cum alias ſaepe toto anni decurſu, tum ſolemni ieiunio, & Decembri menſe. Habitae ſubinde aliae nonnullae,

tum

Digitized by Google

tum ad sacras virgines, tum in suburbanis vicis, opidisque doctrinam Christianam antea tribus in locis explicabamus. his accessit quarto loco Goggingа Vicus suburbanus. cuius Parochus noster quondam discipulus, plurimum sibi ad suam pareciam regendam in nostrorum opera praesidij collocauit. Incolae Lutheranorum consuetudine nonnihil in prauos mores deflexi, & in aliquam religionis negligentiam adducti, vehementer initio à nostro nomine abhorrebant: sed eorum postmodum degustata consuetudine frequentes, & magno suo cum fructu ad catechistam audiendum conueniunt. Vrbanis concionibus multi à praua consuetudine ad rectam, piamq; viuendi rationem traducti sunt. & ex iis plus centum totius vitae crimina confessione eluerunt. disputationes aduersus Lutheranos, & publice ad concionem, & priuatis congressibus susceptae non sine fructu abiere. siquidem ad triginta se doceri passi, veritati adhaesere; neque ij infimi homines. Primus Praetoris Augustani germanus frater, patria Misnensis, fratrem, & Catholicum, & studio pietatis apprime deditum, visurus Augustam venit. is nullam prope certam religionem sequebatur: tanta labes nouorum Euangelistarum vitio facta est. huiusmodi enim plurimos reperias, vbi diligenter isti videlicet satores verbi Dei omnem viuendi licentiam suo suppositicio euangelio inuexerunt. ad nostrum tamen Collegium adductus, & edoctus errorem, facili, & libenti animo probatam sibi Ecclesiae Romanae religionem amplexus est. Alter annis non minus septuaginta in tenebris haereseos transactis, catholicis tamen concionibus edoctus, veritatis lumen intuitus, libenti animo sequutus est. Tertius vir nobi-

lis patricius Augustanus Raimundus Rechlingerius captus à Turcis seruitutem seruijt annis septem. is licet Lutheri discipulus, singulis tamen hebdomadis feria sexta religionis caussa, cuius sunt illi magni contemptores, se coena priuabat: vt à diuina clementia aliquando & libertatem, & reditum ad patriam impetraret. impetrauit tandem, ipsum diuina prouidentia in suae salutis semitam dirigente. Redijt Augustam, paruaq; illa Religionis scintilla, quam in seruili inedia intra se suscitarat, hominem coepit sensim maioribus in dies stimulis sollicitum habere. magistros consulit haereticos. sed talpae videlicet de luce disputabant. nam diuinae lucis exortes, & diuinarum inspirationum ignari, neque aliis viam monstrare, neque internas diuini spiritus motiones interpretari, quae nunquam ipsi didicissent, potuerunt. hominem igitur maioribus anxium curis ab se dimittunt, quam acceperunt. excitabatur interim, & succrescebat in eius animo paruae scintillulae incendium: & vt ex vmbra remotam subinde lucem emittebat; diuiniq. motus ex eius animi latebris maiores se se in dies aperiebant. venit illi in mentem à nostris aegritudini suae medicinam quaerere. Quae se sollicitum habent demonstrat. docilem se praebet rationibus. nimirum lux pio, doctoq. sermone extrinsecus allata; cum ea, qua per vmbram ille sibi cerneret in animo, consensit. Ita factus mentis, & tranquillitatis compos, catholicam religionem adeo auide arripuit, vt in ea se victurum, moriturumq. testaretur. Totius igitur vitae criminibus expiatis Ecclesiae Catholicae est aggregatus. Alius per quietem nocturnâ parentum iam ante defunctorum oblata specie sollicitabatur. dubius

quid

quid ageret, doctorem consuluit haereticum, non idem error vbique, & sane in easdem hic tenebras incurrisset, si consultus de sua sumpsisset, non de alieno respondit praeter omnium opinionem homo haereticus, quod responderet in simili caussa catholicus. Pro salute parentū preces esse Deo offerendas. Ita quantumuis errorum peruicacia conetur extrudere pietatem, eogunter tamen perfidi eam reuocare, vel inuiti. homo eo responso permotus, non modo parentum manibus opem ferre, quos haud dubie catholicos fuisse credendum est, sed se quoque ad Catholicorum adiungere numerum constituit. Alius ab vxore sollicitatus, vt filium in nostram disciplinam traderet, aegre initio adductus est: comiterq; à nostris exceptus non filium modo, sed seipsum quoque catholica doctrina nobis informandum praebuit. Vittembergensis pictor mira probitate, & eximia spe adolescens Augustam venit, & cum alium cultum, ritumq; sacrorum apud sectarios Augustae comperisset alium in sua patria anne obseruasset, dissensione illa offensus, nobiscum egit de mutanda religione, eamdemq; consensu, & harmonia Catholicae doctrinae; omniaq. sibi apta respondere, neque vllam in ritu sacrorum diuersitatem; tam ardenti studio catholicam fidem amplexus est. vt ne verbo quidem nostra violari sacra, aut Caelitum Laudes, Virginis Matris praesertim audaci sermone à sodalibus haereticis patiatur. quin aliquando immoderato feruore actus (sed laudandus in Vittembergensi ardor animi) asserendae Virginis laudis caussa cum contubernalis adlitem, & iurgia descendit: quae vix sodalium interuentu sedari potuerunt. Alius taedio humanarum rerum affectus, & haeresim, & saeculorum

vitam deserere, seq. Societati nostrae perpetuo adhaerere constituit. In Catholica religione amplectenda est illi satisfactum: societatis vero expetendae tantisper dilata vota, dum constantia probetur. Neque viri solum, sed etiam feminae ad veritatis lucem sunt traductae. Haeretica puella in familia item haeretica famulabatur. haec ad religionis prauitatem adiecit magicas quoque cantiones; quibus magna eum animi sui pernicie iam biennium consumpserat. ex tam tetra nefariorum spirituum consuetudine, scelerumq; suorum conscientia in ingentem maerorem, horroremq. deuenit: vt prope desperata salute, diris se addiceret. ad aestum fluctuantis animi, pauidiq. nocturni terrores, & horrenda spectra miseram exagitabant. sensere intemperias domestici, & cum remedijs nullis sanari posse animaduerterent; vt terriculamenta auerterentur, puellam haereticam, haeretici homines ad nos adducunt; à nobis omnia rati expectandum auxilium, aut de illius salute desperandum. nostri consuetis piaculis adhibitis, peccatorum confessione, & sacri agni cerei ope puellam prius catechismo institutam cum Ecclesia reconciliant: & è mali daemonis faucibus ereptam, incolumen multa cum eius familiae voluptate dimiserunt. & tamen, quae est hominum mentibus effusa caligo, in tam clara luce praestinguitur acies, non illustratur. nam tanto rei miraculo perspecto, quasi religio ad rem non pertineret, in eadem illi perstitere mentis hebetudine. Puellam aliam item ancillam; sed & Catholicam, & religionis studiosam daemon in magnam perniciem peruersa dominorum caritate impellebat. haec in lutheranae item familiae ministerijs versabatur; tam omnibus

tus cara, vt tanta erga se humanitate emollita in periculum venerit ne de auita religione moueretur; vt hoc bene volenti obsequio cum sua pernicie, tantae erga se beneuolentiae responderet. quod periculum, vt vitaret, angeli tutelaris beneficio, vt par est credere, iniecta est illi temeraria quidem, & stulta primo aspectu suspicio, sed ipsi salutaris. Nam vnde minime oportuit, timere coepit, vnde vera pericula imminerent non cernens. ergo vt inania vitaret, veris periculis liberatur. nimiam erga se humanitatem suspicaci cogitatione, vt sibi insidiosam, coepit auersari. aditoq. confessario, maioris periculi, quam quod timebat, admonita, abstersa temeraria, veriorem, ac periculosiorem induit suspicionem. Itaque à familia parum sibi opportuna beneuolentia in se propensa discedens in famulatum catholicae familiae recepta est. Multi item alij, nocturnis terroribus, setrisq; imaginibus ijsdem piaculis, confessione, aqua benedicta, & agno sacro liberati. sunt & alia in alio genere à nobis in hominum salutem profecta. sacerdos profugus, & erro, omni sacrorum, atque adeo diuini officij recitandi ommissa cura, suae salutis incertus, & expes vagabatur. hic & confessione expiatus, & ad vitae emendationem, pristinamque sacrorum consuetudinem, reuocatus est. Defciuerat alius à religiosa, quam professus erat disciplina; annosq. aliquot extra coenobij septa exegerat. consilio tandem nostri sacerdotis ad sacrum vitae institutum, & religiosi hominis officium reuertit. Alius homo catholicus ille quidem, sed à circulatore vaferrimo in fraudem illectus, rebus sacris, templis, aris, precibus abstinere iussus, ac ne per annum quidem integrum vllum Christiani hominis, ne vel crucis

quidem signum ederet, parum abfuit, quin se diro, atque execrando voto daemoni deuouerit (Deus misericors quot portenta isti edidere, qui se solos euangelicae virtutis lucem nuper intulisse profitentur: quot tenebras, quot offucias inuexerunt.) sensit fraudem e populariibus homo catholicus, professione miles, hominem pro amicitia monet, vt à nefario consilio desisteret. adducit tandem ad nostros. is simul atque statum rerum suarum coepit exponere, seu tanti flagitij horrore, seu inimico hominum illius mentem percutiente, quasi fulmine ictus cadit exanimis: frigidae tandem aspersione recreatus, & patris sermone confirmatus salutari totius vitae confessione, & exsecrandae deuotionis detestatione ex orci faucibus extractus est. Ex eodem baratro, & haud paullo maiore, eadem ratione extractus est alius, qui proprio sanguine chirographum, quo se deuouerat hosti tradiderat inferno; quem quasi suo iure malus daemon clam, palam quacunque ratione ad necem impellebat. Christo laus, diuina eius ope tandem periculum euasit. non est silenda pietas feminarum. Generosae virgines sacra apud nos frequentantes, vti sibi liceret pudicitiae florem illibatum Deo consecrare, à parentibus impetrarunt. Illustres, & nobiles matronae maiore hebdomada, praeter corporis afflictationes, quas inedia, cilicio, alijsque id genus rebus subierunt, praeter religiosam ad templa omnia, & Christi cenotaphia commeationem; valitudinaria etiam egrotorum, ac pauperum magna caritate inuiserunt. aegrotos amicis verbis solatae, cibis domo allatis recrearunt; singulis certam pecuniam suis ipsae manibus distribuerunt, & erat eorum bene magnus numerus. quae res eò maiorem habuit

buit probationem simul, & admirationem, quod prope omnes aegroti erant lutherani. Diem suum obijt hic Ioannes Velser vir clarissimus. Duunuir, & Praefectus vrbis maior, qui singulari probitate, & virtute Ciuitati vniuersae fuit apprime carus, & de societate cum primis meritus: ei morienti duodecim ipsas noctes noster sacerdos ad extremum vsque spiritum continenter affuit. Scholae Dei beneficio maiora capiunt in dies incrementa: frequentia est bene magna: nobiles complures. nam praeter quatuor Fuggeros, aliosq, Patricios Augustanos, ex Gallia, Italia, aliisq. Regionibus conuenerunt. Excusa sunt iterum florida Pontani nostri, Marci Velseri Consulis viri doctissimi, ac nobilissimi impensa. Parthenij saepius in turmas diuisi vicina vrbi sacella precabundi obiuere. sed illud vrbe tota fuit insigne. Est solemnis Augustano populo Christi Domini in caelum adscendentis supplicatio, ad locum antiqua religione venerandum, quem hic quoque Montem sanctum nominant. eo nostri quoque se conferunt per id tempus; magnamq. ijs iuuandorum animorum materiam audiendis confitentibus, concionibus habendis, & rudibus doctrina Christiana instruendis frequens ille conuentus suppeditat. huc quoque Parthenij pennulati agmine iere. redeuntibus pars, quae in vrbe remanserat, augustum Crucis signum praeferentes, & ipsi ornatu supplicantium cum baculis viatorijs obuiam iere. festoq. cantu per mediam vrbem ad B. Virginis primum, deinde ad nostrum templum rediere. Eodem etiam agmine alias ad mutuae inter ipsos caritatis documentum; funus prosequuti sunt vnius, qui primus ex eorum numero vita concesit: neque is adhuc erat in coetum ad-

scriptus ceterorum, sed in tirocinio tantum versabatur: imminente tamen morte, ipso enixe flagitante relatus est in album, magna cum spe Virginis matris tutela expeditius sibi ad caelestem vitam iter futurum. Haec communiter omnes. Alia praeterea magna pietatis signa multi sigillatim dedere. Vigilarunt multi totas noctes aliquando, & precando Deum traduxerunt. Alij e cubili plumis, stramentisq; subtractis, cilicia supposuerunt. Fuit qui quarta hebdomadae sanctae feria Christi dilacerationem, & necem in argumenta viginti quatuor tribuerit; eorumq. in horas singulas singulorum memoriam repeteret, diemq. cum nocte excluso prorsus somno eas exercitationes continuaret. Alius tribus postremis eiusdem temporis diebus, nihil praeter panem, & aquam adhibuit ad mensam. Flagella, cilicia, precationes alias, aliasq. exercitationes tum ad corporis motus comprimendos, tum ad pietatis sensum in animo excitandum adhibuere. vnus in publico Ciuitatis, audito stata hora ad salutandum Dei Matrem signo, haereticis vndique circunfusis, atque eam rem irridentibus, prouolutus in genua ter rite salutationem pronunciauit, magno animo aduersariorum irrisionibus contemptis. Alius culpae accusatus, cuius expers erat, quoniam ex ea re nullus aduersus rumor, aut sinistra oriebatur opinio, cum purgare se posset, conticuit. magnum in re parua vigilantis in animo studij placendi Deo documentum. Sedulam praeterea operam dederunt, vt familiares suos ad nos adduserent, vel ab haeresi reuocandos, vel ad vitae praeceptis, moribusq. Christianis instruendos, & ipsimet pro facultate rite confitendi rationem edocent assidue. Sanctissima parens, cui & immen-

tus

sus. haec, & nostra qualiscunque opera dicatur, pia adolescentium studia augeat in dies. Templi auctum est instrumentum centum florenorum impensa. armaria etiam ad sacra condenda plus centum aureorum pretio constructa. Non erit alienum huic loco inserere ridiculam de die dominico quaestionem inter opificem Lutheranum, qui textrinam exercebat, & alterius sectae haereticos ignoti nominis. quae & Societatis nomen in re parua illustrauit: & quantum insipientiae sit, vel in ijs ipsis, qui antiquitatem Ecclesiasticam se tenere profitentur, non obscure indicauit. Asserebat textor Dominicum diem ab Ecclesia esse institutum, submoto Iudeorum sabbatho, longe post Apostolorum Collegium ex humanis ablatum: contra illi ab Apostolis praeceptum esse contendebant; in eamq; rem sacramento pecuniam diposuerunt. Arbiter totius controuersiae pseudoparochus eligitur, vtrisque vt apparet imperitior. dies arbitrio certa statuitur. Interim textor varios consulit ministros. illi qui extra suos catechismos peregrini essent, nihil ad controuersiam respondere. hoc vno sapientes: imperiti hominis esse non disputare, sed credere. textor ministrorum inscitia offensus, nostros adit: ab ijs testimonium antiquissimorum conciliorum accipit in suam sententiam; quo in caussa superior ille euasit. sed nimia contentione ipse sibi nocuit. Venit dies arbitrio constituta. Arbiter, homo aequus, parum doctus, vtranq. caussam probandam esse arbitratur: proinde controuersiam tollendam, pacemq. inter eos reconciliandam. contra textor vrgere caussae suae bonitatem; postulare, vt quemadmodum ipse grauissimonio, sic illi suam sententiam probarent: quod si recusarent, posse se suum auferre

sacra-

sacramentum. Victi argumentis aduersarij iracundia, & conuicijs pugnare, fremere; homini suam humilitatem exprobare; imperitum, & peruicacem appellare: idiotam sine litteris audere de rebus illis, quas non intelligeret disputare. Hic opifici, homini prompto, & ingentis spiritus admotae faces, itque & ipse paria paribus reponere: ne ipsos quidem doctrina, vt profitentur instructos aduersus humillimae sortis hominem, & idiotam stare posse: contumaces, superbos, inanes appellare: quae ad arbitrium suum sibi fingerent, tueri non valere; quin, si qua ijs fiducia ineſt, argumentum vel vnum ad suam confirmandam, aduersarij sententiam confutandam proferunt? sed ne vnum quidem posse eos proferre. ita iurgia ex iurgijs ferendo de tota controuersia in praesens pugnis, alapisq. decernitur. Res ad septemuiros, & consules postridie defertur. profert textor scriptum suum: optima causſa erat; sed malum nacta auctorem. & alij, quod ostenderent. non habebant. sed quia indignum videbatur hominem idiotam aduersus litteratos tanta confidentia de religione disputare? multa indicitur vtrisque: testorq. ad ministros allegatur, ab ijs doctrinam accepturus: scriptum tamen illud tam accurate ex antiqua erutum doctrina, vnde manarit, placet inquiri. textor à Iesuitis se illud accepisse profitetur. Aduersus id ministrorum sententia exquiritur. respondent homines ingenioſi, & eruditi; textoris non esse disputationes, sed stamina, & subtegmina contexere. hoc sapienti dicto frigidiſſime iudicium dimittitur. Res palam facta est. & tum illius testimonij apud sani homines iudicij, tum societatis stetit authoritas, inscitia ventilata ministrorum. Haec in vrbe. Extra vrbem euoca-

ti

ti nostri à Parocho ad Opidum Bauariae tertio ab vrbe lapide extremis Quadrageſimae diebus magnum opidanorum numerum confeſſionis ſacramento expiarunt. tantuſq. fuit ad eos hominum concurſus, vt à prima luce continenti pene opera in ſeram noctem diſtinerentur. & ſane fuit Opidanis peropportuna noſtrorum hominum acceſſio; quod certis de cauſſis non bene illis cum Parocho conueniebat. ita opportunis remedijs eorum eſt conſcientiae conſultum. Profectus vna quidam e fratribus vtiliter ſane, & ipſe operam ſuam poſuit: cum patribus audiendis confeſſionibus diſtentis; ipſe vagos diſperſoſque, non ex opidi vicis ſolum, ſed ex agris quoque cogeret ad confeſſionem, rudes inſtrueret, rationem rite confitendi, peccata vitandi, ſacrae Euchariſtiae cum fructu percipiendae doceret. Reconciliati Pater & filius grauiſſimis inter ſe, ac diuturnis odijs diſſidentes. Pater ipſius commerito filio ſua domo interdixerat, nec prius in locum priſtinum gratiae, ſedemq; recipere decreuerat: quam ille palam erratorum veniam depoſceret: filius contumacior id vehementer detrectabat: magna tamen ſacerdotis noſtri contentione factum eſt, vt adoleſcens cum omnium admiratione, & gratulatione publice parenti ſatisfaceret. Fuit in ijs locis Parochus homo grandi natu, & qui magnam pareciam, & copioſam quadraginta iam annos tenuerat: ſed longe alijs moribus, quam & aetatem, & perſonam, quam male ſuſtinebat, decerent, qui non modo alijs ad omnem licentiam Ducem ſe praeberet, ſed magna cum bonorum offenſione hortatorem etiam, & laudatorem. is ab vno è noſtris admonitus, vt quantum onus officij ſuſtineret, expenderet, vitam indigne actam cogitaret, & animi in quo

ver-

uersaretur periculum consideraret. qui praua uiuendi ratione eorum uitam, moresq; corrumperet, quibus uirtutum exemplo praelucere oporteret. Debere ipsum etiam de illorum damno esse sollicitum, qui nulla ipsius culpa pereunt, quanto magis dolere, quod eos, quos tueri debet, una secum trahat in interitum? qua fiducia ipsum diuinum aditurum iudicem, ouium sibi commissarum rationem reposcentē, quas ipse tantis emolumentis ditatus, non modo non pauit, non à lupo defendit. defendit autem? immo uero lupus ipse teterrimus miseras oues rapuerit, dispersérit, uorauerit? has aliasq; in hanc sententiam rationes cum suis momentis expendisset, ac vultus, ac totius oris conformatione, viuoq; doloris sensu, quem res & tempus postularet peroraſſet, diuino praesertim spiritu illius linguam, sensusq; mouente, hominem tandem eo perpulit, vt quasi graui sopore experrectus ad se rediret. qui ita sibi terrori, & horrori esse coepit, vt poenitudinis, & lacrymarum plenus se totum patris commiserit potestati. omnia facturum, quae ad animi sui bonum ille praescriberet. Accepit condicionem pater; & coram opidi, lociq; Toparcha eam sponsionem sibi iussit iterari: confessionem primum ille totius vitae instituit; concubinam cum dote dimisit, eamq. cum parentibus suis ad poenitentiam adduxit: à populo veniam pro concione male actae vitae postulauit: ac superiorem omnem vitae consuetudinem retexuit, facta vitae, morumq; renouatione. animum etiam adiecit ad Ecclesiam, Ecclesiaeq; ornamenta renouanda, quae vetustate iam, & longa incuria neglecta, alia squallore, situq; obsoleuerant, alia iam plane interierant. Sacram aedem, altaria in pristinum restituit nitorem: maiorem etiam

illis

illis addidit ornatum: sacrum instrumentum, sacramq; supellectilem purgauit, & auxit: doctrinam christianam explicare instituit: ludi magistrum, quo biennio caruerat, conduxit, sacrumq. chorum ad psalmodiam in templo reuocauit. Dei tandem beneficio, & ipse rectum salutis ingressus est iter; & Ecclesiae pristina facies, dignitasq; restituta; vt vberes iam ex eo populo fructus expectari possint. Villingam opidum Hercyniae Syluae finitimum sacerdotes duo profecti magnum ad animorum salutem emolumentum attulere. hi commendaticias litteras ad parochos illius orae à Constantiensi Vicario, ne sui in procuranda salute animorum conatus impedirentur pertulere. Bullam Sanctissimi nostri Clementis viij. qua plenaria continebatur indulgentia, ijs qui ob praesentia Ecclesiae pericula Deo supplicassent promulgarunt: multaq; in eam sententiam ad concionem disputarunt: itaque populares, ac nobiles permouerunt, vt omnes eius percipiendae causa confessionis adire sacramenta constituerint. Ingens fuit, & opidanorum, & ex locis alijs confluentium numerus: auditae multorum annorum confessiones plurimae, multorumq; vt talibus temporibus fieri solet, conscientiae consultum. Catechismi explicatio, quae ob Sacerdotis mortem aliquandiu intermissa erat, repetita: instructusq. sacerdos alius, qui eam continuet in posterum, habiti etiam sermones de pietate, & religiosa viuendi ratione ad moniales: aditae scholae: praecepta ad iuuentutem recte instruendam tradita; consilia quoque & monita ad templorum cultum ornatumq; restituendum, & augendum data. Rottuuilae, quae duobus Villinga milliarijs abest, Caesareaq; curia nobilitatur, catechismi explicandi ratio, quam an-

te

te ignorabant, demonstrata, & scripto etiam edita. Moniales Coenobij Inscoffensis ex itinere in reditu concione, & priuata oratione salutatae: earum etiã omnium confessiones excepiae. Illustri Comitissae viduae, totiq; ipsius familiae poenitentiae, atque Eucharistiae sacramenta administrata; & indulgentia etiam communicata. In opido Scheuo ab Illustrissimo Christophoro Truchsessio perbenigne, ac liberaliter excepti, tantisper commorati sunt, dum indulgentiam promulgarent. Domini exemplo, & ipsius Illustrissimae coniugis aulici permoti se ad peccatorum confessionem faciendam, sacramq; consequendam Indulgentiam compararunt. Itaque sexaginta homines sacrosancto Domini corpore pasti sunt; in ijsque etiam loci Sacerdotes, Actum cum Truchsessio; vt Catechismi explicatio in eius opido introducatur, atque alia pietatis opera illi commendata. Auditae etiam ex itinere aliorum parochorum confessiones, quaestionibus de conscientia responsum: libelli pij, rosaria, imagines, agni confecti multis in locis magno cum animarum bono distributa: sublati etiam haereticorum libri, & aut lacerati, aut exusti.

RATISBONENSE Collegium.

RATISBONENSE collegium duos & viginti socios aluit. Sacerdotes decem, fratres duodecim: e quibus occupati scholis quinque, domesticis rebus septem, missus ad probationis domum coadiutor futurus vnus, morbis grauibus vexati aliqui, virtutis exercendae materiam, & ipsi babue-

buerunt, & alijs illorum commoda procurantibus suppeditarunt. Conciones quae in cathedrali Ecclesia superiore anno à nostro Sacerdote pomeridiano tempore habebatur, translata in antemeridianum, maiorem hoc anno auditorum numerum habere coepit, non catholicorum tantum, sed etiam haereticorum. qui idcirco libentius conueniunt, quod alteram orationis partem Sacerdos in reuellendis nouis opinionibus, catholicorumq; doctrina confirmanda consumit. Doctrina Christiana duobus in locis explicatur, & in vrbe, & in opido vrbi vicino. Duo praeterea Sacerdotes opida alia, vicosq; circa positos obeuntes toto fere anno parochorum vices expleuerunt; in opidoq; nostrae ditionis celebrioribus Ecclesiae diebus modo plures, modo pauciores confessione expiati ad sacras epulas accesserunt. Haec summatim: nunc ad singula veniamus. In vrbe primum concionibus, priuatisq; colloquijs, ac disputationibus ad catholicam fidem traducti quadraginta duo: & in his homo nonagenarius. Adolescens dines & opulentus aliquandiu catholicae fidei lucem, despicatus, eam nunc tanto animi sensu, at studio intuitus sectatur, vt & exilij, & amplissimi patrimonij, vitaeq; periculum, in quo religionis caussa versatur, lucrum sibi existimet peramplum. multi in fide vacillantes confirmati. editus ab vno de nostris libellus, cui à mendacio inditum est nomen: Verax Lutherus: ironica scilicet gratia haereticorum exagitans leuitatem, qui aliquot Lutheri mendacia crassiora breui comprehendit. Adiuti multi praeterea poenitentiae Sacramento; & qui grauiora inter confitendum antea peccata suppresserant; & qui totius vitae male acta explicarunt; & hi duo & octoginta fuere. Eiusdem Sacramenti

bene-

Digitized by Google

beneficio curatum, vt religiosus suo redderetur monasterio vnde desciuerat. Alij tres qui quod anxiferis scrupulorum aculeis, sine remedij spe torquerentur, à coenobiorum praesidibus dimissi erant, & ad mentis tranquillitatem sanatis vlceribus, & ad claustralem obseruantiam, e qua missi erant, eodem adiuti remedio reuerterunt. Clericus ad eius contumaciam comprimendam, licentesq; ac solutos mores coercendos iussu Archiepiscopi in carcerem coniectus erat. attulit homini intellectum, ea vexatio, conclusus, & coercitus coepit sensim mentem induere meliorem; sibiq; ipsi displicens, anteactam vitam detestari, nouae melius instituendae consilium inire, ac iam mutatae voluntatis signa dare. consilio igitur poenitentiae, confessioniq; suscepto, petit sibi fieri potestatem Sacerdotis è Societate. mirati Praesides nouum in homine consilium, vix illius verbis fidem habuere, rogatus igitur à Proepiscopo, quid illi opus esset Iesuita? an non quiuis alius ei satis esset? Quia, inquit, si vulneribus corporis medicinam quaererem, scientissimi vulnerarij curae me committere praeoptarem: animae vulneribus sanandis, cur non à peritissimo medico opem petam? adhibitus noster, quae res, & tempus postularet homini subijcit. is omnem vitae rationem ab ipsis incunabulis tanto animi angore, & lacrymis exposuit: vt & ipsi Sacerdoti lacrymas eliceret. absolutus, & pane caelesti recreatus professus est nunquam se talem confessarium sortitum esse: neque velle se in posterum alio vti confessario, quam Iesuita Sacerdote. Matrona virtute, & genere nobilis cancro sensim vitalia depascente grauissime laborabat: ipsa in haeretica familia, & à chirurgo haeretico curata, catholica persistens, eam non domestici

mestici solum, sed ipse etiam chirurgus (perinde quasi idem esset unguentis ulcera lenire, & hominum animos curare) ad suam pertrahere perfidiam conabatur: cum sua diceret medicamenta nihil ei profutura, nisi recens, scilicet Lutheri euangelium reciperet. nae ille si tantum manu valuit, quantum consilio, nihil sapuit: consultius esset aegrotis illius curatione abstinere. matrona tamen à nostris salutaribus consiliis instructa non modo insidias elusit, inuitamenta repulit, sed in acerbissimis faedissimi morbi cruciatibus, & foetore, insigne praebet documentum patientiae. saepius, quamuis aegre ferentibus domesticis, e lecto Poenitentiae, & Eucharistiae sacramenta percepit: curatumq; est, vt solito maiore pompa, & apparatu ad eam Sacrosanctum Christi corpus deferretur, prosequentibus vtriusq; congregationis Partheniae Sodalibus. Veherat iam ad extremum, breuiq; moritura videbatur, cum suadentibus nostris extremum ad eam Chrisma delatum est, simul atque sancto illo infirmorum oleo inuncta est, melius habere coepit, vt ipsi eius familiares, quamuis haeretici, vim tamen sacramentorum nostrorum admirati, se faterentur agnoscere. Hi concionum, confessionum, piorumq; colloquiorum fructus. quibus illud tanquam appendicis loco adiungi potest. Diebus religiosioribus in nostro templo, qui caelesti pabulo recreari solent ad mille & octingentos peruenere, magnus omnino numerus, si loci temporumq; rationem habeas. Tres à nobis sacris meditationibus ad pias exercitationes instructi; quorum duos e sacra familia pius coenobiarcha ad nos transmisit instruendos, vt ad primum missae sacrificium maiore se pietate compararent. E carcere quoque non exigui fructus re-

portari. Quinque perpetuo in omnem vitam carceri adiudicati, ad sacramenta poenitentiae, & Eucharistiae sunt adducti eorumq; vni persuasum, vt impostura amentiti criminis alterius existimationi illatam labem publicis litteris magistratus sigillo munitis, adhibitisq; testibus abstergeret. Alter à frequenti diaboli inuocatione consilioq; se et diuitiarum causſa denouendi deterritus. Ad sylvam (Suburbani loci nomen esse videtur, aut non ita longe ab vrbe dissiti) vt superioribus annis maximo ieiunio sacerdotes duo, fratre vno comite, excurrerunt magno cum fructu quingentas confessiones excepere, pleraſque de tota vita; quinque homines ab haeresi reuocarunt, plurimos ad publicam fidei professionem faciendam permouerunt. eodem reditum mense Iunio: Tradita saepius Doctrina christiana, libelli sacri distributi: persuasum etiam quibusdam locupletioribus, vt pupillos omni ope destitutos, parentibus etiam haereticis prognatos, vnius Dei amore, & ipsorum miseratione alerent; eosq. in religione Romana educarent; vt tanto plus opum aduersae haereticorum factioni detraheretur. Horum duorum, qui huc missi sunt, alter ad celebre quoddam monasterium vocatus, magnarum vtilitate familiae totius operam suam posuit hortandis, & communiter omnibus, & singulis priuatim ad officium, & religiosa instituta studia summo retinenda: multorum coenobitarum confessiones excepit, gratificans in ea re videlicet coenobiarchae, à quo erat accersitus; eiq; implicatas & anxias difficultates, dubitationesq; dissoluit: multos salutaribus consilijs aduersus vaferrimi hostis insidias communiit. Hunc in peregrinatione ad sylvam Sacerdos alius longum iter iterum & rursus

fuscepit; vt pastorem quendam animarum male audientem à prauo viuendi ratione reuocaret. id quod tandem diuina ope perfecit. Sunt etiam & e Catechismi agello non exigui manipuli reuecti. & vt quotidiana, & quae intelligi facile possunt omittantur, duobus in locis explicatur in vrbe, & extra vrbem diuersis in pagis: vtrobique relatu digna euenere. In vrbe primum illud actum. Pueri elementarij, tum catholicorum, tum haereticorum filij ab haereticis antea non dubio periculo legere docebantur, & scribere; nunc à magistro catholico instituuntur, curatum est, vt ab ipso magistro dominicis diebus ad christianam catechesim adducantur. frater is qui catechistem agit in vrbe, dum forte per plateam quandam pertransiret, ad faminam male affectum ab eius familiaribus accersitur. Domum ingressus familiam plenam moeroris, & luctus offendit, aegram querentur, occulto ne morbo, an tartareis intemperiis repente occupatam familiarium sermonem, sacras preces, sacramq; lectionem aspernari; sacras Christi, ac sanctorum imagines auersari: rogant, videat, quid morbi miseram exagitet; ac, si quid opis est in ipso, afferre ne grauetur. accedit frater: mulierem alloquitur: tum illa in partem alteram se vertit: suspicatus frater, id quod erat, tartareae fraudis aliquid subesse, diuina ope fretus, ac plenus fiduciae, consilio, haud dubie suggerente numine, clara voce Symbolum apostolorum, aliasq; pias preces pronunciat super aegrotam; aquam illi sacris precibus religiosam aspergit mira res, quasi fugato daemone, repente cum omnium gratulatione, & loquendi vsus, quo carere videbatur, & animi simul corporisq; valetudo restituitur; praeeunteq; fratre

preces, & diuinas laudes expedite, distincteq; prosequitur; ac die Dominico, qui proxime secutus est, & doctrinae christianae scholam adiit, & animum etiam peccatorum confessione expurgauit. Haec in vrbe, illa extra vrbem. In opido vicino haereticus precandi mos in omnium paene etiam catholicorum domos irrepserat: hic iam Deo fauente penitus sublatus est. Mulier vsitato, ac frequente illarum regionum morbo tenebatur, horrendis pecudum formis illi se obijcientibus; idq; tam assidue, vt omnem ei nocturnam quietem interturbarent, quae pestis ad corporis etiam perniciem peruadebat: siquidem lassatis in somnia membris, vires sensim labefactabant. haec rem nostro detegit catechistae. Feruidus pater, quae in promptu habebat statim expedit arma. sacram agni consecrati ceram illi praebet: magnum animum habere iubet, magnam in diuina prouidentia, & religiosa illa consecratione fiduciam: omnino futurum, vt fallaces illae laruae euanescant. fratris promissa mulieris fides, fidem res secuta est, illa infestatione mulier erepta. Vulgata eius rei fama: tanta omnium animos de sacri agni virtute subijt religio; vt sequentibus catechismi scholis certatim accurrerent, viri feminaeq; adulti, grandesq; ac sese puerorum, ac puellarum cetibus insererent; fronti, ori, pectori, cruces imprimerent; & puerorum more clara voce christianae disciplinae rudimenta pronunciarent: vt & ipsi ex certamine victores praemium consequerentur agnum consecratum. Haec gesta feliciter: quod sequitur ex turbido initio feliciorem etiam euentum est consequutum. ipso sacro Pentecostes die catechista idem suam de more in templo docebat vnciunculam: & vt fit, magna, & vocis, & spiritus

tus alacritate pertonabat, vt longe extra templum audiretur. interea rustici duo, venene imbuti Calviniano, ex vrbe domum in vicum alium redeuntes, illac iter faciebant. hi voce dicentis percepta exploraturi, quid hoc rerum sit, se inferunt in templum; accedunt; cum alijs, quae dicuntur, audiunt silentio. forte flagrans ille frater sermonem de virtute consecratorum agnorum explicabat. quae dixerat euento rei certae confirmauit. feminam parturientem grauissimis diuturnisq; doloribus solutam, fetum magna felicitate edidisse, statim, atque admota est agni sacri cera. hic illi, vt nulla est maior contumacia, quam imperitorum, & eorum maxime, qui se volunt haberi sapientes, in stolidissimum cachinnum se effundunt, & quasi eorum nutus pro sententia habendus esset, digressi toto itinere, ea quae audiuerant, risum iocumq; habuerunt. sed non diuturna ea fuit subsannatio, ita alterius diuinitus fracta est contumacia. nam domum ingressus, vxorem reperit tam grauibus puerperij doloribus oppressam, vt in ipso iam versaretur mortis discrimine. tunc omnis illi ex animo risus discussus. adhibentur illa, quae tenuis vicus submini-strare potuit adiumenta, irrito conatu: tota insequens nox summis infelicis puerperae cruciatibus transfigitur. frustra remedijs omnibus pertentatis, venit in mentem postero die homini rustico remedij illius, quod pro sua inscitia cum risu pridie exceperat: necessitate adactus, quando nihil aliud prodesset, statuit illud experiri. filium curriculo mittit ad collegium, qui periclitanti vxori ex difficultate partus remedium à fratre postularet, quod ille tali tempore prodesse pridie eius diei praedicauerat. Datur sine morâ, quod petitur, aegrotae ad-

mouetur, confestim diuina sentitur virtus: sedantur cruciatus, moxq; filiolum cum diuina ope magna totius familiae edit admiratione, & laetitia. Maritus posito iam contumaci illo spiritu, ac rusticano, proximo die cum reditum est ad catechismum, nostrum adit fratrem suae familiae sospitatorem: rem totam vti gesta est exponit: gratias agit. ea occasione hortatu nostri fratris, & totius vitae confessionem vni de nostris sacerdotibus exposuit; & haeresim in qua natus erat, eiurauit; idemq; facturam coniugem asseruit cum filia, nisi toparchae hominis haeretici auctoritas obsisteret. manatq; ea lues latius, ad multosq; pertinet mortales. siquidem tum in vrbe, tum alijs locis plurimis virorum principum auctoritas est impedimento, quo minus imbecilliores ad Ecclesiae gremium confugiant; neq; sentiunt potentes, potenter se tormenta perpessuros: & plerique, quae caeca est hominum amentia, pluris praesens fluxarum rerum statum aestimant, quam certam, quae proponitur spes aeterni boni. Non est omittenda femina opulenta. quae quod haereticx esset à marito orthodoxo cum dissideret, non aliter se cum eo in gratiam redire posse existimauit, nisi in eam reconciliationem nostrorum operam interponeret, qua in re est illi à nostris abunde satisfactum; & cum ea maritus, & ipsa cum Ecclesia reconciliati. Scholarum fuere fructus à superioribus annis non dissimiles: verum hoc anno difficilibus belli temporibus quotidie sub sacrorum clara voce litanias recitarunt. bis in aula Gymnasij dramata dederunt: alterum totum allegoricum: de conuersione D. Augustini ad Deum: alterum spectante Serenissimo Principe, Praesuleq; Reuerendissimo cum magna clarissimorum virorum

corona.

corona. Discipulorum item opera sacrum Christi Sepulcrum sacris hebdomadae sanctae diebus in nostro templo maiore apparatu exornatum, personis praecipue inductis caelestes nuncios referentibus, qui instrumenta cruciatuum Christi Domini ostentantes, pia, suauiq; modulatione adorantium animos maiorem ad pietatem accendebant, pium, speciosumq, spectaculum: vt nemo fere tam in frequenti ciuitate fuerit, qui non eius particeps esse voluerit. Ad hanc plenam pietatis speciem accessit supplicatio nostrorum suasu à primaria aede ducta ad praecipua vrbis templa, tanta clericorum, populiq; frequentia, vt cum ad nostrum templum veniisset, etsi alioqui satis laxum, vix caperetur. Ibi post factas preces carmen ab adolescente pronunciatum est peccatoris hominis seipsum accusantis, omnemq; Christi dolorum (& singulos commemorabat) culpam in se transferentis. quem duo nuncij caelestes ad spem diuinae miserationis erigebant. acta res est tam appositè, tamq; ad veritatis imitationem accommodate, vt multi lacrymas non tenerent: & quia à multis expetebatur, saepius illo biduo repetita est. Parthenia quoque sodalitas B. Virginis, quae maximam partem nostris constat auditoribus, die, qui Annunciationem Deiparae virginis antecedit, hora sexta ante meridiem è Collegij sacello ornata admodum pompa supplicationem in templo duxere ferebatur sacrosanctum Christi corpus: quod cum arae loco parato impositum esset, instituta precandi ratio viginti quatuor horarum tracta est in vesperum, postero die hora quinta antemeridiana precandi series horarum nocturnarum, quae intermissae erant, instaurata est. Conuenere non Parthenij solum, sed

multi etiam magnae auctoritatis viri ad orandum, multiq; eorum salutari confessione peccatis absoluti, & sacro Christi Domini corpore cibati. Persolutis horis eadem pompa, eodemq; ornatu è templo in sacellum rediere magna hominum multitudine spectante; & pia quadam dulcedine, quasi antiquam gentis pietatem reuiuiscere intuerentur, collacrymante. grates aliqui numini agebant, quod tantam in adolescentibus hominibus pietatem, tantam Ecclesiasticorum rituum, religiosarumq; artium peritiam agnoscerent. Eandem supplicationem sabbatho, quo Christi sepulturae memoria repetitur, quanquam ordine alio, aliisq; argumentis, ab oratorio in templum duxerunt, confluente ad rei nouae spectaculum magna parte ciuitatis, persolutisq. destinatis precibus eodem rediere ordine, prosequente semper, ac sese inter sodales, quippe & ipse sodalis, inserente Serenissimo, ac Reuerendissimo Episcopo. Ceterum ipse serenissimi parentis exemplum imitatus, omni nos humanitatis, ac beneuolentiae significatione complexus est. Triduo postquam in urbem solemni pompa primum est ingressus cum serenissimo fratre Alberto collegium inuisit, à P. Rectore, ceterisq; circa patribus, fratribusq; breui oratione exceptus est. inde in locum variis carminum generibus, emblematisq; ornatum deductus: ibi etiam nobiscum cibum sumpsit. Itum à prandio in aulam gymnasij: dramaq; ad tempus accommodatum exhibitum est. quo mirum in modũ, qui spectarunt recreati sunt. crebro de magnis Ecclesiae rebus nostros consulit: sacerdotemq; sibi delegit è nostris, cui sacro poenitentiae sacramento suam detegat conscientiam, quem secum etiam ire voluit, cum religionis caussa ad aedem virginis

Mariae

Mariae in Eremo peregrinationem suscepisset, vt illius meritis diuinam opem Ecclesiae suae regendae imploraret. Et cum ex quadam controuersia inter virum alium Principem, & ciuitatem periculum graue nobis immineret ab aliqua populi seditione contra nos: seuere admodum professus est, se nobis praesidio futurum; praesentemq; si opus esset, nos omni populi impetu impressioneq; prohibiturum. Denique omnia illius studia erga nos paria illius magnitudini fuere: vt quantus quantus ipse est, tantum possimus nobis de illius liberalitate polliceri. Multorum praeterea amicorum liberalitate aucta nobis sacra supellex argentea sacello, seu theca sacris reliquijs condendis: in quo praeter ceteras S. Volfangi; cuius praecipua est in his terris reuerentia, digitus asseruatur. tota res est pretij permagni: additaq; alia ad ornatum templi pretij non modici.

COLLEGIVM Friburgense.

FRIBVRGENSE Collegium vndeuiginti tenent socij: sacerdotes duodecim, fratres septem. Collegij aedificatio multis ab hinc annis instituta, Dei tandem beneficio ad culmen perducta est Reip. impensis, & pia ciuium liberalitate maximam partem absoluta. Sedes est nostris vsibus percommoda. Itaq; in eam hoc anno commigratum: templi tamen fabricam adhuc inchoatam speramus diuina ope, & piorum virorum benignitate aliquando absolutum iri. interim sacello vtimur satis amplo. Conciones habentur tum Gallicae, tum Ger-

Germanicae. Gallicae quidem in templo Franciscanorum, Germanicae vero quadragesima tota, & reliqua anni tempore octauo quoq; die in aede D. Ioannis. tum in scholarum aula sermones haberi soliti nunquam desuere. Sacellum, quo tantisper vtimur, dum templum absoluitur, à sacri Antistite sacra benedictione, vsitatisq; ceremonijs est vsui sacrorum dedicatum; praesentibus Episcopi vicario, aliisque canonicis compluribus; & vtroque Reip. Praeside cum magna senatorum aliorumq; clarorum virorum multitudine. Missae sacrum musica modulatione decantatum: quo peracto prodijt in concionem magna cum omnium expectatione, & laetitia senex ille dignus immortalitate, canicie, & meritorum multitudine suspiciendus; alterq; noster post Claudium Iaium Germaniae Apostolus, primusq; in his terris à P. Ignatio Germaniae prouinciae Praepositus Petrus Canisius: cuius vel sola commemoratio scribentem, qui virum apprime veneratus sim, pia quadam dulcedine me totum emollit. Is de societatis nostrae instituto, ministerijsq; dignam tanta auctoritate viro disputationem explicauit: causas cur societas collegia haberet, cur haec ciuitas tanta impensa tantam aedificij molem perficiendam susceperit, magna cum omnium attentione, & voluptate declarauit. Mensae nobiscum interesse eo die voluere praecipuae auctoritatis viri. Inter mensam domestica concione de more laudata ciuitatis liberalitas est erga nos; dignaeq. actae gratiae; vicissimq; prolixa professione ciuitati officia nostra delata. Quod quantopere viris primarijs gratum fuerit, declarauit alter è Reipub. Praesidibus in digressu totius ciuitatis nomine, non minus ampla, quam facunda oratione, collaudatis

socie-

societatis in homines officijs: parem esse totius Ciuitatis voluntatem erga nos testatus est: iusitq; in posterum de eiusdem ciuitatis benignitate bene sperare: futurum vt maiora in dies caritatis, & beneuolentiae argumenta perspiceremus. Venio nunc ad spiritualium rerum fructum. Sacris commentationibus duo domi nostrae sunt eruditi: quorum alter artium, & philosophiae magister iam erat: alter multae vir auctoritatis, non ita multo post Praepositus Ecclesiae collegiatae factus est. Matrona perhonesta, de mentis potestate deiecta, Christi fidem abiurauerat; nullamq; sibi propterea spem superesse querebatur. De huius incolumitate postulatae à nobis preces suscipiuntur; perq; nostros a concione item preces flagitatae sunt: simul marito persuasum, vt pro diuitiarum copia, liberaliorem se se praeberet in egenos: peregrinationem ad aedem D. Virginis in subalpinis, recenti miraculorum fama ex anno superiore celebrari coeptam, susciperet. quibus rebus tandem diuina ope factum est, vt illa & mentis, & animae sanitati restituta sit. Ab haeresi abducti aliqui, & peccatorum confessione expiati. In ijs adolescens nostrorum concionibus, & familiaribus colloquutionibus permotus tanta cum animi poenitudine sua detexit errata, vt lacrymis, & singultu praepediente, verba subinde cogeretur interrumpere: is tanta copia diuinum hausit spiritum; vt ad agendas Deo gratias ad D. Mariae in heremum & ad D. Nicolai Subsyluani sacellum (loca sunt religiosa tridui dissita itinere) pane solo, & aqua ad victum adhibita; adire constituerit: quod in homine religioni assueto à corpore apprimendo alienae; signum magnum fuit animi prorsus vere immutati. modus tamen rigido illi ieiunio

est

est à confessario adhibitus. Senes duo, alter septuaginta natus annos, alter eo grandior decennio, haereseon perfidiam tot annorum aetate retentam cum vera religione magna ipsorum felicitate commutarunt. Eorum prior diuino plane nutu, praeter omnem id genus hominum consuetudinem, ad nos leuandi animi caussa tot annorum male actorum conscientia grauati accesserat. nimirum praefinitae Dei voluntate illum ad salutem vocante paene, vel inuitum. ita illi satisfactum, vt & peccatorum vinculis, & haeresibus liberaretur. Posterior cum febri grauius agitaretur, vitae iam finem prope imminentem intuens, seriam de religione mutanda cepit cogitationem, quippe in vera tantum religione non in multiplici delirantium dissensione salutis spem esse repositam intelligebat: neq; post mortem locum esse garriendis, agitandisq; controuersiis: vnam proinde salutis ancoram apprehendere necesse esse. accersitur vnus è nostris. is solita palaestra hominem catholicae religionis summa capita compendio edocet: monet abiurandam haeresim; salutarem instituendae confessionis rationem demonstrat. paret ille, confitetur: tertioq; inde die caelesti cibo recreatur. paucis agendis gratijs, & reparanda valetudine diebus positis homo id aetatis conualuit, ac Friburgo Secessit. Doctrina Christiana duobus in locis explicatur; ad D. Virginis toto anno Germanice, certis tantum temporibus ad S. Francisci Galliae. Pueri vniuersi vtriusque catecheseos dominica in albis, & natali die virginis matris extra vrbem ad Deiparae sacellū religionis caussa agmine iuerunt, comitantibus Parthenijs. tantus ciuium numerus ad id spectaculum excitus est, vt templi aditu excluderentur. Multorum odia discordiaeq;

com-

compositae. Inimici à quo laesus erat, congressu, & sacris diu quidam abstinuerat; neq; vlla cognatorum auctoritate precibusue adduci poterat, vt exulceratum animum sanaret. is familiari sermone edoctus, quanto in periculo ij versentur, qui obstinato alunt animo inimicitias, tandem manus dedit, atque inimico offensionem omnem condonauit. Duo militares capitanei diutino odio dissidebant inter se. quod nunquam, neq; fratrum magna auctoritate virorum, totiusue familiae, neque Ecclesiasticorum hominum interuentu ex eorum animis euelli potuit; nostri tandem sacerdotis opera, diuina ope fauente reconciliati sunt. Nouas scholas non ita multo post factam in nouum collegium immigrationem à nostris auditoribus ope prius diuini spiritus inuocata, publiceq; missae sacrificio in honorem Sancti spiritus, adhibito symphoniaco concentu, peracto, habitaq; de more ad iuuentutem oratione, frequentare coepimus. Addita est hoc anno Rhetoricae schola, feliciore Dei beneficio initio, speramus item progressione, quam superiore. Siquidem tum sub ipsam studiorum repetitionem, pestilentiae metu, & qui aliunde Rethoricae discendae caussa confluxerant, & qui antea nobis operam dederant, delapsi solitudinem fecere: nunc Dei beneficio, metu posito, conueniunt sane frequentes. Scholarum facto initio, drama exhibitum est de Sanctorum Ioannis & Pauli martyrio. quod eo fuit ciuitati gratius, quod eos iampridem sibi patronos asciuerat, & eorum capita in aede primaria summa religione asseruantur. Cum scholis coniuncta est Parthenia sodalitas, in classes duas, vt in plerisque locis, distributa. Maior hoc anno magna clarissimorum virorum accessione aucta est. Sunt enim

in

in ea cooptati R. Decanus Rotundi montis cum sex collegij sui canonicis, & senatoriae dignitatis viri Principes aliqui. Minores postremorum bacchanalium priorem diem in preces totum posuerunt. altero ad aedem B. Virginis extra moenia in colle sitam supplicauere: Missam etiam symphonia decantarunt: Missam Latina concio sequuta. Institutam eo tempore pietatem, & conceptum diuini spiritus afflatum consequente ieiunij tempore multo studiosius retinuerunt. quotidie magno hominum concursu psalmum quinquagesimum pia lugubriq; symphonia modulati sunt: quotidieq; aliqui se flagris ceciderunt. Ipso parasceues die vtraq; sodalitas supplicationem multo quam antea maiore apparatu splendoreq; instituere. Haec in vrbe: illa peregre. nam cum toto anno saepius rogatu curionum diuersa adita loca cum fructu animorum; tum praecipue profectiones tres ad remotiora loca susceptae. Ad praefecturam quandam primum catholicis, & haereticis communem maiore hebdomada, vbi conciones habitae magno fuere catholicis solatio. Deinde per idem tempus ad opidum Grueriam ibi concionibus, & confessionibus opidanis opera praestita. Tertio loco in opido, cui Rotundo monti nomen est, quadragesima tota transacta. binae quaque hebdomada conciones habitae, catechistica schola vna: ad clerum altera latina. ad sanctimoniales hortationes ternae. Cum interea multi tum ciues, tum vicinorum pagorum curiones sacerdotem nostrum de rebus multis consulerent. Puerorum praeterea, qui vt in fide eruditentur, nostros adirent, tanta diuersis temporibus multitudo, tantaq; contentio; vt persaepe fuerit ijs cibi capiendi opera in aliud tempus longe differenda.

abeun-

Digitized by Google

abeuntes Praefectus epidi, magistratus, & ex clero praecipui magna cum benevolentiae significatione extra vrbem prosequuti sunt: loci sacerdotes tanto nostri studio sunt incensi, tantamq; de nostris hominibus opinionem imbiberunt: vt si quis ex eorum cetu à recto tramite deflexerit, eum per nostros officij sui commonendum curent. eorum vnus nostrorum litteris admonitus, non modo se revocauit: sed etiam Friburgum venit: gratias egit: se id magni beneficij loco ponere declarauit: confessione etiam animum expiauit. Hic rerum Friburgensium cursus felix hactenus, nisi humano quidem, sed acerbo casu, & quem minime vellemus impediretur. nam cum ceteri commoda vsi sint valitudine, duo beneficij huius expertes fuere; alter inueterata tussi, & anhelitu conflictatur adhuc: alter P. Petrus Michael huius collegij Rector, eodem morbo Deo ad meliorem vitam vocante confectus. Domo fuit Silesius: collegio praefuerat annis duodecim, tertio decimo inito, aetatis suae quadragesimo septimo: cum multis magna virtute superatis difficultatibus collegij fabricam ad finem adduxisset, magno nostro, totiusq; ciuitatis luctu naturae concessit. & sane videtur laboribus confectus. siquidem vi morbi ex aeruminarum perpessione contracti intima vitae penetrante, quasi senectute dissolutus, tam breui aetate consumptus est. laboraucrat aliquando tussi molestima, ac dysenteria. v. Kal. Nouembris cum circiter duarum horarum fuisset iter, domum redijt fessus; tantamq; vim sanguinis e pectore euomuit, vt aegre fisti aut vita retineri potuerit. Octauo inde die prid. non. eius cubiculum P. Minister ingressus hominem manibus mensae innixum offendit, sanguinis ex ore emittendi,

incla-

inclamat domesticos; ac dum aegro opem ferre contendunt, inter curantium manus exspirauit. Postero die iustis funebribus in collegij sacello persolutis, funus ad aedem D. Nicolai elatum est, praeeunte agmine discipulorum, tum nostrarum, tum scholarum alienarum, qui multa erga nos humanitate, ad rem cohonestandam, conuenerant: insequutis Augustinianis, & Franciscanis, clericis denique totius ciuitatis cum linteis; nostris cum funalibus circa feretrum dispositis, prosequente ingenti ciuium virorum, ac mulierum multitudine, & varijs querimoniae vocibus cum defuncti laudibus coniunctis maestitiam significante: illum fidum conscientiarum moderatorem, illum animarum medicum, illum in dubijs rebus peritum consultorem, in difficilibus adiutorem appellare. tertio die iterum eodem in templo cum sacra funebria peragerentur, viri graues, & matronae honestae tanquam communi patri parentarunt, mediam aram adeuntes, munera ipsius expiando animo imposuerunt: qui mortuis honos in his locis est amplissimus. Vir fuit ad res gerendas ingenio peracri, ad alios regendos dexteritate magna: sui contemptor, suiqi animi motuum compressor egregius, obedientiae inprimis, & praesidum suorum tuendae auctoritatis studiosus, & caelestium rerum amori semper intentus. Multos nobis eius similes diuina bonitas largiatur.

LVCERNENSE Collegium.

NVMERANTVR in collegio Lucernensi Socij duodeuiginti: sacerdotes duodecim reli-

reliqui coadiutores; morbis leuioribus tentati plerique, Dei tamen beneficio grauiora passi non sunt. Duo in societatem cooptati domesticae operae idonei. Sacris commentationibus operam dedere quinque; è quibus vnus ex ordine Cistercienſi speratur eo praesidio munitus & reliquis coenobij sui monachis, & monialibus, quarum confessiones audit, & vniuersae etiam pareciae, quam regit, profuturus: alter senatorij ordinis, qui cum aliquandiu in Belgio supremus Heluetiorum ductor militasset, reuersus in patriam summa omnium nostrum admiratione, & animi sui fructu hoc pietatis genere se praebuit excolendum: eaq; exercitatione perfunctus peregrinationem ad aedem lauretanam suscepit. Quod multis ab hinc annis exoptatum erat, & nemo futurum sperabat, hoc anno magna nostra cum voluptate, Dei tandem beneficio, perfectum est; vt nostra concio ex Franciſcanorum in nostrum templum transferretur magno animarum bono. nam & concio est duplo frequentior, & matutinum tempus sacris rebus oportunius. tum praesentes, atque adeo in manibus confessarij animi motionibus in concione excitatis praesto cum sint, in maius tota res cedit emolumentum animorum. cuius rei argumento est incredibiliter auctus concursus poenitentium. vsque eo, vt nonnulli aliquando per longas horas licet contenderint, accessum sibi reperire ad Sacerdotem non potuerint; multiq; longo multorum annorum spatio commissa repetita memoria euoluerint; & quidem vitae totius ad septuaginta. Abducti à praua viuendi consuetudine multi, & quidem aliqui sacris ordinibus initiati; ad honestioremq; & suae conditioni decentiorem traducti. Meretrix florenti admodum aetate, facta peccato-

rum confessione, a cenosa vita, & flagitioso quaestu ad salutis viam se recepit, coniugia vitio copulata, dissociata sunt: alia nefario dissidio disiuncta, amicabiliter reconciliata. dissentiebat à suo capite arduo quodam in negotio congregatio quaedam; ex quo, & scandalum apud vniuersam ciuitatem timebatur, & ansa dabatur senatui in Ecclesiastica se iura ingerendi. sed diuina ope vnius è nostris consilio turba sedata, & compressa est. Composita etiam controuersia, & conciliata pax inter partes; quas haereditatis successio dissociauerat. Sublata quoque discordia alia non leuis inter duos sacri ordinis viros. Reconciliati viginti cum Ecclesia: quorum magna pars non modo haeresim imbiberant cum lacte; verumetiam illis à maioribus traditum, persuasumq; haerebat; nihil esse momenti in religione ad salutem consequendam, vtram sequere, vel probatam, vel reiectam: quo nihil ab Epicuri atheismo abest propius. & verò recentes isti commenticij Euangelij praecones, ad suam vaniloquentiam tuendam, nullam demum habent arcem firmiorem, quam omnem religionis metum ex hominum animis abstergere. alius non obscuro loco natus, depraua-tus haeresi, diuino spiritu instinctus, miro coepit catholicae religionis studio teneri. Itaque eius vnius rei caussa Lucernam contendit, vt quibus animi motibus agitaretur intus, vni de nostris patefaceret. à quo satis superq; instructus, & haeresim eiurauit, & totius vitae peccata confessione peracta expiauit. Lutheranae sectae alius coniugij caussa ex Vngaria huc venit: & hic Ecclesiae catholicae est aggregatus. is saepe expediendae sibi viae ad salutem confessarium adit: curat se in rebus omnibus instituit. quod non leue argumentum est animi

mi iam bene in suo consilio constituti. Zuinglianus mercator, lètaliter vulneratus in nundinis, serio coepit de animi salute cogitare. cumq; parum suae sententiae confideret, vni de nostris ad se accersito se tradidit vera doctrina imbuendum; seq; diuinae voluntati obtemperantem praebuit. itaque haeresim detestatus, & vitae totius exhomologesi facta, cum Ecclesia restituitur in gratiam. reparata animi salute, non ita fuit difficile corporis etiam recuperare valetudinem. haec sunt diuinae facta miserationis. Narrabo aliud, ex quo quam sit pernicioſa haereticorum familiaritas intelligatur. Est parochus extra hanc dioecesim, in catholicorum tamen Heluetiorum ditione, ipse quoque catholicus, & corporis proceritate, ac totius oris dignitate imprimis venerandus: sermone non indisertus, & nullo dumtaxat ad id tempus vitio infamis, is cum negotiorum suorum causſa Tigurino iter ad destinatum locum faceret, super mensam à duobus praedicantibus, poculis factus hilarior, circumuenitur; eoq; nimia ipsorum loquacitate, magnificisq; promissis, dum inter pocula aberrat à mente, deducitur, vt polliceretur se eorum sectae futurum, si, quod illi instabant, sacrarum litterarum testimonio catholicos esse idololatras sibi probarent. Sane fuit in ea re nimium praeceps sed fuit illud nimirum experimento comprobandum, quod Christi discipulus praecepit: Cum id genus hominibus, ne cibum quidem esse sumendum. id audacter se illi pollicentur facturos: nam nullum est genus confidentius, quam qui nihil praeter sua deliramenta didicerunt; & verbis armati, animi confidentia vtuntur pro ingenio; inani & fucata traditione pro doctrina. Deducitur postridie ad quendam, qui inter ipsos

Digitized by Google

habebatur Corypheus; ab eo certi nihil ad rem in praesens exprimitur: sed hominem longis ambagibus circumagit. iam prolixa illa promissorum fides labare coepit; sermonesq; & pacta in alia omnia abiere. hominem id aetatis, tum verendo aspectu, iubet diebus dominicis, ternis omnino interesse concionibus; tertia quaque, & quinta feria, binis; reliquis hebdomadae diebus, singulis: ac nisi illi graue sit, Isaiae interpretem Dionysium, credo aliquem Ariopagitam, aut Origenem, Didymumq;, ac non potius imperitum, & nugacem audire blateronem; (quem non fatigasset tanta congeries nugarum?) & interim suae religionis experimentum capere. sed nimirum labantia iam ab initio promissa, quo longius trahebantur: eo minus apparebant. nihil ille miser in tanta dicacitate, nisi proiectam quandam audaciam, & effrenatā in Sanctissimam Virginem, sanctos caelestes, & catholicos maledicentiam deprehendit. Hanc esse illorum pietatem, hanc doctrinam, hanc sanctitatem; haec demum argumenta ad nostram redarguendam idolatriam. His ille rebus vehementer perturbatus, anxius animi, ac sibi iratus, consilium suum reprehendere, factum damnare, stultitiam detestari: nec qua se ratione inde eriperet, facile expedire. facti poenitens, confugit ad preces: diu noctuq; non cessat à Deo opem flagitare, qua se è perditissimorum manibus eximeret. Resumpto igitur pristino animi vigore, diuinoq; fretus auxilio, vndecimo quam venerat die, dum se simulat de more ad blasphemas adire concliones, fuga Lucernam ad nostros contendit: ea, quae par est tanto sceleri poenitudine, & dolore erratum suum palam facit: eo doloris sensu, & lacrymis, vt appareret penitus esse commotum, quaerit

rit quid facto opus sit : ad quamcunque se paratum satisfactionem profitetur. iubetur bono esse animo: male facta vera poenitudine deleri. ipsius lapsum, & sibi vt cautior sit inposterum; & alijs, vt caueant, profuturum. interim confessione esse eam labem abstergendam. quod ille tanto cum animi sensu peregit: vt speremus, quod ille quoque dicitabat, nunquam ex eius animo tam grauis facinoris dolorem excussum iri: quin sibi stimulos in omne tempus additurum, quo alios accuratius à fermento, vt ipse dicebat, deterreat haereticorum.

Venio nunc ad piorum liberalitatem erga nos. Matrona honesta superstes adhuc florenos mille ab ipsius obitu collegio legauit: ac ne qua eius rei mutatio fiat, publicas tabulas confecit, & collegio seruandas dedit. Scholarum quoque pauperibus florenti ducenti à Canonico Beronensi, nostro quondam discipulo testamento relicti: quibus iam legitimus census est coemptus. spes est eius exemplo plures alios excitatum iri. Templi parietes, qui specioso arae decori parum aptae respondebant, ligneis asseribus crustarum instar regionis more eleganter contecti, facti sunt ornatiores. Matrona alia signum crucifixi mirae artis, & operis, magno coemptum, altaris ornamento dedit. Florenos quadraginta templi ornatui dedit alius: & magni pretij casulam vir nobilis. accessere tum templo, tum domesticae rei & alia minutiora: quae quia sunt quotidiana, omittuntur. D. O. M. tantam pietatem caelestibus donis compensabit. Scholae comoediam dedere de Iosaphate à Barlaam ad Christum traducto. Data sunt etiam praemia discipulis maiore sumptu, & magnificentia, quam ante. Sed festam eam laetitiã interturbauit pestilentia, quae

Digitized by Google

cum alios multos, tum praecipue tres magnae spei adolescentes, & qui partes essent acturi in comoedia, nobis abstulit. eo casu territi reliqui magnam partem dilapsi sunt. Parthenij quoque ipso assumptae in caelum Virgini die sacro in aula Gymnasij dialogum dederunt de virginis laudibus. Est vtraque sodalitas, & numero, & ingeniorum bonitate, & studio ad virtutem solito auctior; vrgentibusq; rei Christianae periculis maiore & frequentia, & assiduitate solitas pietatis exercitationes vsurparunt; largiores eleemosynarum quoque distributiones fecerunt: temere iurantes, & publice delinquentes Christiani hominis officij admonuerunt. Haec in vrbe. Extra vrbem solita Societatis ministeria decem & septem in locis toto anno diuersis temporibus praestita. Sacerdos vnus de nostris tres ipsos menses operam suam pareciae cuidam praestitit, parocho certae rei caussa absente: pareciamq; totam assidue administrauit.

MISSIO VILLISOVIANA.

OMNIVM è Lucernensi collegio peregrinationum maxime insignis fuit Villisouiana missio. Natalicijs Christi Domini superioris anni (nam vt alias dictum est calendis Decemb. datae sunt huius prouinciae litterae) duo Villisouium parochi rogatu profecti, ibi audiendis confessionibus, duabusq; concionibus triduum morati. Luteren etiã, & Malterfium (locorum nomina sunt) obierunt magno incolarum bono: multorum vbique confessiones exceperunt. tam grata fuit opera nostrorum, vt ieiunio verno ineunte, iterum, sub finem, tertio eodem flagitati redierint. poenitentium numerus maior

ior fuit, quam quibus à duabus operis posset satisfieri. Sed, quod magis mirum est, ex vico quodam haereticis confini centum ad eos confessionis caussa venere. Ingens omnino animorum lucrum factum est extremis Quadragesimae diebus cum eo redierunt. decies ad populum eorum alter de suggestu verba fecit: cum interim alteri locus cessationi nullus esset. nam praeter assiduam confessionum operam, populum ipse quoque alio in loco erudiebat. eorum comitate, & dicentis oratione ita capti sunt incolae, vt eorum quidam libenter se de suis bonis valde magnum pecuniae numerum, quae ad eos alendos satis esset, detracturum polliceretur; modo id consequi posset, vt apud ipsos annum vnum nostri morarentur. alius veritus ne ante discederent, quam sacram Dominicae passionis historiam pro concione explicarent, parochum adijt: rogauit, vt homines ad eum diem retineret: pecuniamq; ad eorum impensas valde copiosam detulit. ita vterque sacro die parasceues diuinis mysterijs diuersis in locis suae vterque concioni explicandis piae plebis vota cumularunt: studiose enim illi auitas consuetudines vna cum religione student retinere. Decem infectos haeresi Ecclesiae restituerunt: eorum vnus cum tota domo catholicis est aggregatus. Quos culpis confessione explicatis absoluerunt, mille plus minus fuere; multo plures futuri, si per occupationes alias ijs licuisset. Decem generalem totius vitae confessionem explicarunt. Profuit nimirum accurata de tota hac ratione concioni explicata disputatio. Perlustrata est ibidem bibliotheca: pernicioſi inde exempti libri. Sedata est grauis tempestas, quam duae aduersae factiones excitarant, magna deniq; inferno hosti erepta praeda duode-

uigesimo, quam discesserant die ad collegium rediere. estq; postea pari cum fructu bis eodem reditum, Pentecostes tempore, & circa festum assumptionis Virginis. agendae gratiae bonorum omnium datori.

COLLEGIVM Halense.

PVSILLVS grex Halensis non caruit caelestibus donis. siquidem quindecim numero, Sacerdotes quinque, magistri scholarum quatuor, reliqui laborum administri, strenue in suo & ipsi agello excolendo laborarunt. pauci enim homines loca, & ministeria partiti inter se, multorum vices expleuerunt. Primum poenitentium numerus, Paschae praesertim tempore, quam superioribus annis auctior fuit. vt Pater ipse Visitator, qui per eos dies ibi versatus est, frequentiam miraretur: siquidem ipse primo loco sacris operatus sexcentis circiter sua manu caelestem panem praebuit: nec toto reliquo anni tempore numerus defuit idoneus. Confessionis beneficio multi capitali odio dissidentes, reconciliati: multa iniuste, vel possessa, vel retenta, aut iustis Dominis, aut eorum haeredibus restituta. Et praeter statam concionem, quae diebus festis toto anno habetur in nostro templo, est idem munus alijs in locis ab alijs subinde praestitum. In xenodochij templo mensibus aliquot concionandi onere parochum leuauimus. eadem opera, & in vico quodam extra vrbem ab vno de nostris impensa. Iam catechismus & in vrbe, & iam biennium extra vrbem in eodem vico, vbi habitae concio-

nes.

Digitized by Google

ciones, explicatur. quo non tenera aetas solum, sed adulti quoque informantur. & quidem in vrbe actum cum ludimagistris, vt pueros suos ad eruditionem adducant. e quibus quanti fructus colligantur, illud sit argumento; quod ex ijs pueri admodum imbecilles cum percepissent, nefas esse libros ecclesiastica censura vetitos apud se habere; & eos, quibus ipsi vtebantur; & qui domi vsui essent aliorum, recognoscendos attulerunt. Die sabbatho paterfamilias, qui tamen filium in catholica religione educabat, carnes mensae intulerat; idq; eo fecerat, vt inopiae butiri, cuius esset magna caritas subueniret. filiolus tenera admodum aetate, qui id nefas esse didicerat in catechismo, factum reprehendit; neque vnquam adduci potuit, vt inde sumeret, aut ori admoueret. pueri continentiam domestici dumtaxat depraedicarunt: melius imitarentur. sed è paruis hisce scintillulis Deus aliquando flammas excitabit. sublatae eadem catechismi opera superstitiones plurimae muliebres, vt stultitiae, sic horroris plenissimae. Elucet etiam in impuberibus illa virtutis indoles ex eodem hausta fonte, vt ab ipsa infantia quatuor, triumue annorum pueri, puellaeq; praetereuntibus sacerdotibus, aliisq; religiosis viris assurgere, & alia reuerentiae signa edere consuescant; seseq; ad id hortentur mutuo; & segnes, ac torpentes verbis excitent, castigentq. & quis neget ab radice excitari in his locis antiquae studium religionis? modo hae tenerae plantae adolescant; ferent haud dubie suo tempore fructus suos: neque incrementum Deus abnuet ijs, quae ipsius diuina ope tanta cura cultorum manu irrigantur. Est & illa vtilitas in primis magna, quod & commodius, & planius catechismi explicatione,

catione, quam concione, plebecula docetur rationem rite, integreq; confitendi. Haecq; à catechismo profecta tum in vrbe, tum in agro. In vrbe illa praecipua, libri haeretici multis ablati. Matrona nobilis cum in concione didicisset, non eos solum peccare, qui libros nefarios legerent, sed etiam, qui retinerent, si vel supprimerent: omnes quotquot domi habuit, ad collegium examinandos misit. Pius quidam Baro castrum suum licet habeat sub ipsis paene vrbis moenibus, vt inde nullo negotio possit vltro citroq; commeare; perindeq; sit, ac si in ipsa vrbe habitaret: vt tamen natalicia Christi Domini nobiscum, quam commodissime celebraret, in vrbem venit; atque octo ipsos dies in publico externorum hospitio diuersatus est, quos omnes in nostro templo rite sacramentis expiatus, pijs precationibus, sanctisq; occupationibus consumpsit admirabili exemplo pietatis. Iam scholae non magnum ipsae numerum discipulorum habent; sed compensatur paucitas ingenio, & probitate puerorum, diligenti opera ad studia, & erga magistros obseruantia, vt difficile dictu sit, vtrum illis magistri, an ipsi sua probitate sint magistris cariores.

COLLEGIVM Bruntrutanum.

PAVCIORES, quam Halenses Bruntrutani sunt, non tamen pauciores tulisse fructus iudicantur: siquidem tredecim in ea vrbe versati sunt: Sacerdotes quinque totidem magistri: e quibus vnus factus Sacerdos, ceteri rem domesticam curarunt. Conciones in oppido tres habentur, Gallicae

Digitized by Google

cae duae, tertia Germanica apud Reuerendiſsimũ Baſileenſem. Catecheſis, & intra opidum, & ſex circa vicis, octauo quoque die haberi ſolita, eſt intermiſſa nunquam. Concurſus ad ſacellum noſtrum Sacramentorum cauſſa tantus fuit vt natalicijs feriis (& ſacra alia tempora omitto) ſeptingenti ſacram hoſtiam perceperint; qui numerus in opido nec ampliſſimo, nec frequentiſſimo, valde magnus habeatur neceſſe eſt. cetera, quae ſunt opidanis à noſtris praeſtita, quoniam viſitata ſunt, & à ſuperioribus temporibus non abſimilia, omittuntur. Ab haereſi reuocati quatuor. damnati libri exuſti: eorum loco pij aliquot excuſi. edita etiam Reuerendiſſimo Epiſcopo poſtulante precationis forma, qua parochi vtantur ad opem à diuina clementia rebus Vngaricis petendam. Sacrum inſtrumentum matronae Burgundicae, & Abatiſſae cuiuſdam liberalitate argentea pelui, & velo Damaſceno auctum. Vir pius opidanus duo millia florenorum alendis in ſtudio inopibus aſſignauit. Capitulares Baſileenſis Eccleſiae, vna cum ſuffraganeo à Reuerendiſſimo Epiſcopo graues ob cauſſas huc euocati, noſtrum gymnaſium inuiſere. excepti ſunt à diſcipulis ijs muſarum munuſculis, quae fuere, & illorum aetati, & tantorum virorum dignitati conſentanea: habita non inelegans oratio: propoſita carmina tum Graeca, tum Latina: ſuſceptae concertationes Gallogermanicae, & Germanolatinae, explicata etiam emblemata, rem omnem mira varietate, & amenitate condecorarunt. Actum in aula ſcholarum ſenatuscoſ. de Epaminonda. acta tota res eſt ſpectantibus magiſtratibus, iiſdemq; Reuerendiſſimis Baſileenſibus. qua peracta nobiliſſimi quique è ſpectatorum numero ſigillatim epigrammatis,

tis, & anagramatis à discipulis, & praecipue à duobus Illustribus Comitibus consalutati. Ex ijs suffraganeus hydraulum egregio opere nobis dono dedit. quo ipse ad afflictae valitudinis, qua conflictatur, molestias leuandas vtebatur. dignum sane munus, & quod florenis ducentis aestimatur. Sodalitas Parthenia superiore anno instituta, hoc anno confirmata est; & cum Romana primaria coniuncta. Sodales sacrum diem nascentis Virginis apparatu concinno, & ad pietatem composito concelebrarunt. eodemq; die supplicationem duodecim horarum instituere, concursu reliquorum discipulorum & popularium. Praesul ipse facta in sacello eodem re diuina, & audita concione, tum sodalibus, tum reliquis animos addidit ad pietatem studio maiore consectandam. Idem octauo post die cum primarijs ciuibus decreta, quibus Sodalitas confirmabatur, & Latinam orationem de earum sodalitatum instituto perlibenter audiuit. Haec non vt magna, & admirabilia (nam maiora hae plantulae tenellae adhuc ferre non valent) sed tanquam initia rerum futurarum memoranda esse duximus, vt hinc maiora à Deo O. M. in dies incrementa expectemus. Foris aliquanto validius laboratum est. Itum bis diuersis temporibus in loca finitima; atque adeo in Basileensem dioecesim penetratum longius. in ea peregrinatione duo de nostris Sacerdotibus, alter Gallus, Germanus alter, lustranti Episcopo dioecesim ad opida, & vicos prodromorum vicem obiere. praeibant, & plebem ad elementa fidei Christianae conuocantes, ad confirmationis Sacramentum percipiendum praeparabant. Prima lustratione sex millia prope, altera ad quatuor millia sacro chrismate confirmati sunt. Christo laus,

qui

qui vel in ipsa Haereticorum ditione, & in oculis hostium catholicae Ecclesiae, non patitur verae religionis suae cultum euanescere. Per idem tempus eorum Sacerdotum alter ex itinere duobus in coenobijs ad quadraginta monachos cum suo praeside confessione expiauit. Aduentus, & Natalicijs Christi feriis vocatus vnus ad S. Vrsicinum (opidum id à S. Viro nomen traxit) concionibus, catechismo, & confessionibus audiendis strenuam operam nauauit opidanis. In montem quoque Burgundicum sub ipsum Quadragesimae initium idem profectus, tum alia multa praestitit, tum diuersis in vicis nouem habuit conciones, magno populi concursu. per montes niue, geluq; rigentes, tempestate perfrigida trecentas, & quinquaginta excepit confessiones; quarum aliquae totius vitae fuere: inuisit aegrotos; pecuniam in eleemosynam pauperum scholasticorum impetrauit, vniq; persuasit, vt ad duo millia Francorum (monetae genus est) in eorundem subsidium erogaret. Redijt eodem iterum, ac sexcentas excepit confessiones. Quadragesima reditum est ad Sanctum Vrsicinum; opidaq; duo à Sacerdote vno obita: alternis enim hebdomadis S. Vrsicini, & Delemonti opido vicino in valle Delemontana conciones, & conuentus ad diuina habebantur. in S. Vrsicini opido, praeter vsitata, sacerdotum vtilitati, quoad potuit in tantis temporum angustijs, explicandis praecipuis quibusdam capitibus ex Nauarro consultum est. Restauratum, & antiquae religioni restitutum est in vicina rupe, quam ferunt Vrsicini viri sanctissimi sedem fuisse, dum viueret; eius altare, quod antea profanatum erat, ac dirutum; nunc restitutum, magna cum cleri populiq; gratulatione, Basileensis Archiepi-

scopus

Digitized by Google

copus consecrauit. Tres ibi ab haeresi reducti sunt: nutantes aliqui in fide confirmati: conatus haereticorum repressi; mulieres & viri aliqui à cenosa vita abstracti: dissidentes reconciliati: loca religiosa ad suum nitorem revocata. Edoctus populus orandi rationem in duodecim continentes horas, eius rei caussa Sacello adornato. Bis inter opidanos & vicos eiusdem Praefecturae publicae institutа est de catechismo concertatio praesentibus parochis, & suos adhortantibus, victoriamq; illis festo plausu gratulantibus. auxit laetitiam organorum, piarumq; cantionum modulatio, & laeta munuscul orum distributio. Delemonti eadem adhibita diligentia est, concionum, confessionum, & catechismi. eaedemq; concertationes eadem ratione, & studio susceptae. distributa rusticis senibus rosaria: quorum magnam copiam Praefectus Delemontanus comparарat. ita diuina ope aspirante, vetustate iam paene collapsa religionis cura paullatim renouatur. Matrona quaedam affecta iam aetate periculose aegrotabat: data est opera, vt confessione expiata, sacroq; susceptio viatico, etiam extrema vnctione, vt multis alijs locis ob soleta, lineretur. futurum vt sacro sacramento munita, aut ad valetudinem recipiendam aut ad iter aeternae vitae capessendum iuuaretur. Factum est Dei beneficio, vt cum omnium admiratione ad Dei laudem expeditius conualesceret. quod haud dubie tota illius familia sanctissimo illi sacramento acceptum referendum esse intellexit.

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS Landspergensis.

LANDSPERGAE in domo probationis nostrorum numerus varius fuit, nouicōs subinde diuersis anni temporibus in varia collegia dimissis, ac reuocatis. Summum quadraginta fuere: Sacerdotes quinque, quibus sextus accessit, sacris recens initiatus: quinque domesticis vacant muneribus; e quibus coadiutor formatus est vnus, reliqui tirones, in quibus tres sunt sacerdotes. Emissi, ac diuersa in collegia distributi viginti tres; biduo primum per vrbem, triduo deinde per pagos, Patris Visitatoris iussu victum emendicati. admissi ob domus, ac rei familiaris angustias, aliasq; ob causas non plus septem. Ex horum numero adolescens e Lotharingia Heidelbergam studiorum caussa missus à patre, catholico illo quidem; sed vt apparet haereticorum dolo in id consilium illecto; seu potius acto diuinitus; vt inde occasionem caperet probus adolescens tanto citius ex ijs, in quae mittebatur, periculis ad vexillum Crucis euolandi. is enim odio pestilentis ciuitatis, quo ipsum ab haereticis instituendum imprudens pater mittebat, conuerso itinere, relictis comitibus Bruntrutum primum, inde Friburgum, Friburgo longo itinere pedes Landspergam venit; maluitq; abiectus esse in domo Dei, quam cum tanto salutis discrimine in synagoga versari malignantium. Ceterum valetudo quorundam est leuius tentata: vnus grauiori morbo vt flos oriente sole excisus, Petrus Brantius ex Volfachio Alsatiae opido, adolescens senili morum

rum grauitate, insigni studio pietatis, & multarum odore virtutum, quae in eo erumpebant egregius: qui breui cursu ea in virtutis stadio spatia confecit, vt viginti menses, quos in probatione posuit, diuturnae aetatis instar esse potuerint. annum agebat alterum, & vigesimum. is missus ex hac domo Dilingam, vt aegroto Sacerdoti ministraret, inter Landspergam, & Augustam incidit in nautam, hominem feris moribus truculentum, qui ipsum adolescentem, totamq; nostram societatem maledictis inceßit. quem cum Petrus blande compellaret, studeretq, leni oratione ad mansuetudinem reducere, exarsit ille furentius, arreptaq; bipenni hominem semel & iterum citra vulnus percußit. cumq; ille cursu furori se subduceret, vecors eodem furore fugientem aliquandiu insequitur; morae tandem impatiens bipennem, sed incassum in fugientem conijcit, angelo praeside suum alumnum protegente. Hoc perfunctus periculo Dilingam venit. indeq; post reuocatus Landspergam in febrem incidit; quae cum post aliquot dies ingraueßceret, ad mortem se non forti solum, sed laeto etiam animo excipiendam comparauit. & cum alia multa pietatis plena loqueretur, tum nouicium illum, qui ei ministrabat hoc praecipue salutari monito instruxit: suo vt praesidi omnes animi latebras apertas esse vellet. quod si faceret: ipsum eadem animi laetitia, qua se affectum videret, mortem exceptu-rum. Saepe illud in ore habebat; gemino se vocationis beneficio à diuina bonitate affectum esse: & quod ad fidem catholicam, & quod ad religionem ab haeresi traductus esset. Et quoniam vocationis semel est facta mentio, erit credo operae pretium rei totius seriem à prima origine retexere. Hic puer olim

dum ab illustri viro, qui eum in clientelam excepperat, ad scholas nostras haereticis parentibus ingenitis, missus veras religionis semina quaedam coepit haurire: sed non altas potuit radices figere. à patre missus longo intervallo Rostochium in ultimam Saxoniam: atque, ut melius venenatam doctrinam imbiberet, traditur in disciplinam infamis cuiusdam praedicantis Dauidis Cythraei. Commodum in Saxoniam proficiscenti, in itinere se illi catholicus Theologiae Doctor adiungit comitem (Deo videlicet hunc ipsum itineribus, quibus Lotharingum adolescentem ad se trahente) cum eo inter varios sermones disputationem injicit de religione: demonstrat, quam sibi constans & consentiens doctrina sit catholicorum: quam unus & idem omnium consensus: contra quam apud sectarios plena omnia dissidiorum. quae, si nihil aliud, hoc tantum profecerunt; ut cum prava illi dogmata coepissent displicere, ad nostra recognoscenda se revolueret. in praesens tamen neutram in partem propendens, anceps catholicus ne esset, an sectarius, Rostochium perueuit. Forte per id tempus Saxoniae Lux, qui Caluinismum, utpote rem sanctiorem, & maiores profunditatis, & acuminis, in omnem suam ditionem induxerat, exacto Luthero, ut hebetiore, & minus laudato, ad inferos prorepserat, & qui ei successit, Luthero addictus, rursus, explosa Caluino, Lutherum ciuem suum postliminio in patriam reuocauerat. offensus inconstantia adolescens coepit iam illorum opinionibus diffidere. Erat à Cythraeo Dantiscum mittendus in Poloniam: fortasse, ut in ea ciuitate, in qua maxime triumphat haeresis, sanctioribus mysterijs initiaretur hic dum alium nomen conscendunt, clam se subducit, felici sane euen-

tu, ac plane instincto consilio diuinitus. nam in altum prouecta nauis submergitur; ipse eo periculo exemptus, Fuldam profugit. Cythraeus interim, ratus adolescentē nauem conscendisse, datis litteris ad patrem, eum de filij naufragio facit certiorem. pater filium extinctum lugens, omnem de illo cogitationem ponit. Fuldam vt venit adolescens bono casu incidit in eum Theologum, quem comitem habuerat in itinere Rostochiensi, ab eo ad scholas nostras deductus, omnem de catholica religione abiecit dubitationem. Fulda non multo post Ingolstadium profectus, magna constantia de vita in Societate agenda cogitare coepit. Admissus eos processus habuit ad virtutem, quos veteranorum multi forte non aequent. itaque iam caelo maturus, decimoquarto, quam in morbum inciderat die, magna contentione, breui confecto cursu multis aetate praeeuntibus palmam praeripuit. Ceterum qua disciplina, quo cultu, quibusq; studijs, haec nouella tironum Christi familia instituatur, id iam in tota Societate visitatum. nam cum suae quisque primum virtutis augendae rationem habeat, tum vero etiam in iuuandis alijs datur opera, vt rudimenta quaedam ponant nostrorum ministeriorum. carcerem adeunt, hospitalia inuisunt, pijs colloquijs solantur aegros, ceteraq; praestant omnia, quae his rebus comitari solent. Dum his funguntur officijs aegrotae mulieris haeresim detexere, quae postea ad Ecclesiam traducta est. cuius rei occasione data est opera, vt per magistratus, tum haeretici, aut suspecti, tum vetiti libri inquirerentur: multi item aegroti eorum officijs, & cohortatione sunt adducti, vt metum, quo ante tenebantur, suae confessario conscientiae penitus aperiendae, deponerent. Sed non vrbe solum

eorum

eorum se continuit industria: nam Quadragesima Constantiam profecti duo cum Sacerdote vno non ita multo ante tirocinio emissos catechismo, & confessionibus audiendis, patribus illius residentiae adiumento fuere. Sacerdos alter ad Syluam Herciniam, & Ratisbonam, tertius Oetingam cum socijs singulis earundem rerum caussa dimissi. toto anno praeterea, aut certe maxima eius parte, Dominicis diebus extra vrbem, quatuor in vicis rusticanam plebem catechismo erudierunt. Sub autumnum in alia tria Sueuiae loca, nostra ad eam diem cultura intacta, summa parochorum, incolarumq; voluntate per eos catechismus, & nostra ministeria illata. promouere totum negocium multo studio Parochi: sed omnium maxime Episcopus Augustanus; qui, datis litteris patentibus Societati per omnia suae dioeceseis loca, potestatem fecit nouicijs catechismi explicandi, confessiones audiendi, & ijs, qui saltem Diaconi essent, concionem è suggestu edocendi; parochisq; mandauit, omnibusq; Ecclesiastici ordinis hominibus, ne qua in re nostrorum promptam operam impedirent: sed omni potius studio prosequerentur. Quod optimi praesulis studium mirum, quantum rem Christianam promouit. nam quo tempore Proepiscopus Augustanam dioeceseim obiuit, dispersi per diuersa loca, tum alij, tum nouicij rei catechisticae caussa, ingentem hominum numerum ad Confirmationis percipiendum sacramentum aduentanti in ea loca Antistiti praeparauerunt; vt qui eius rei caussa Landspergam modo conuenerint, bis mille & quingenti numerati sint. Non defuere tamen irualidi nonnullorum conatus, qui catechistis nostris se opponerent, Deo tamen bene iuuante, facile illorum orsa repressa sunt: tantaq; felicitate

proiecta res est: vt multi senes se vinci ab adolescentibus Christianarum rerum peritia fatèrentur: doleantq. suae aetatis caecitatem, ac superiorum temporum iniuriam accusent, praesentem felicitatem laudent. quod si tales, & ipsi pueri magistros habuissent, nunquam futurum fuisse, vt per tot inscitiae tenebras vitam tamdiu traducerent. Se tamen Deo grates agere, quod ad hanc diem vixerint, qua tam opportuni magistri viam sibi ad salutem praelata tanta luce aperirent. Neque docendo solum, sed peregrinationibus etiam & incommodis rebus obeundis Societatis se disciplina instructos declararunt. Celebriora Bauariae, Sueuiae, Tyrolis templa adierunt: ad ipsos vsque Heluetios penetrarunt. quocunque venerunt, coacto in plateis coetu catechismum explicarunt: vt significatione aliqua gratiam ijs rependerent, quorum eleemosinis vtcunque sustentati essent. In itineribus ea perpessi sunt, quae solitarijs in locis, & ab externorum huc illuc commeantium commercio semotis, euenire necesse est, pecunia praesertim destitutis, victum sibi mendicantibus in diem; & de quibus Deo curae sit, vt ad virtutem roborandam incommoda nonnulla patiantur. Saepe non alio, quam mucido pane, & frigida recreata lassitudo: nocteq; vix sub tecto, & sub strato tantum foeno traductae; nonnunquam etiam ne panis quidem tanta copia fuit, vt fessa ambulando corpora sustentarentur. ac si quando monasterijs aliquibus (religiosorum enim omnium liberalem admodum hospitalitatem sunt experti) aut ab alijs commode habiti sunt, non defuere postmodum occasiones incommodarum rerum sese subinde ingerentium, probra, conuicia, maledicta multis in locis, tum ab haereticis, tum à catho-

sbolicis parum nostro ordini propicijs passi. in nobili quadam vrbe pro monstris habiti, ludibrio circumfusae multitudini fuere: mirantibus vniuersis Iesuitas ausos esse illuc penetrare. Quodam in loco vix temulenti militis plagas euaserunt. qui cum aduenientibus more patrio poculum porrigeret, contra illi ab eo stipem flagitarent, ratus ille sibi fieri contumeliam, excanduit: & proh nefas, inquit, quam indignum emendicari Sacerdotes. Deum inde, & sacra detestatus in eos coibitur: ac nisi à circumsistentibus teneretur, male eos videbatur accepturus. ne in his quidem rebus negari potest inesse diuinam prouidentiam, quae mortificat, & viuificat: suisq; alumnis per dura, & aduersa meritorum praeparat octasiones; & eos è medio periculorum turbine incolumes educit. Quadam die hospitium ingressi octo rusticos offendunt, magna linguae procacitate Deum ipsum, religionemq; lacerantes. Enimuero tam blasphemam licentiam silentio tolerandam non putarunt: sed ad eam cohibendã non ita pronus erat accessus. ergo aliquandiu tacti rem Deo precibus commendant. versatisq; variis consilijs, tandem vnus ex ijs rem suscepit peragendam. perhumaniter rusticos alloquutus, apposita, & elegante paragoge, quaesiuit aequumne videretur eum domi suae conuicijs lacessere, à quo opipara cena sit exceptus? negantibus: atqui vos, inquit, lautis eius donis nunc vescimini, quem tot maledictis proscinditis: aliisq; in eam sententiam continuatis, didicere omnes, quam sit vtile in rebus arduis ad opem diuinam exposcendam precibus accedere. quippe orationis dexteritate, Deo duce ita eorum animos demulsit, vt violati Numinis culpam agnoscerent, & datis dextris sponderent se, id in

posterum facturos nunquam; ac poenitentiam primo quoque tempore pollicerentur. atque vt eius promissi vna cum memoria staret fides, pro pignore ab ipsis multae nomine deponendo, monimenta eius foederis sacras imagines sibi dari postularunt, ita turbulenta illa, & molesta exsecrationum sedata tempestas est. His atque alijs nostrae militiae rudimentis teneri Christi tirones ad maiora crescentes exercentur. Nunc ad veteranos transeamus. concionesque habentur ternae: in vrbe prima in principe ciuitatis templo; extra vrbem reliquae duae diuersis in vicis. Isdem in locis interim à Sacerdotis comite christianae disciplinae rudimentis tenera aetas informatur. multoq; id maiore studio in vrbe fit. Siquidem praeter statam in nostro templo catechismi scholam, quae magno iuuentutis numero frequantatur; schola etiam altera in templo alio instituta est, ad quam orphani, & ij, qui ad ludum litterarum itare per inopiam non valent, admittuntur. Concionum fructus ex re parua, tanquam ex vngue leonem, licet aestimare. Cum in concione noster sacerdos maiorum munificentiam in templis exstruendis, & ijs sartis tectis conseruandis, orandisq; laudasset; eorum motus exemplo homo tenuis decem florenos, quos sibi fortasse de suo quasi demenso detraxerat, parocho suo detulit, quantulumcunque noui templi aedificio adiumentu. plura vtique collaturus, plura si suppeterent. praeclarum sane indicium insitae à natura pietatis. Confessionum fructus domi idem; qui superioribus annis: culpas tamen in omni vita admissas confessi sunt paulo minus ducenti. A lustris & prostitutione corporis ad honestatem se recepit mulier. V inctorum multorum auditae confessiones. in quo sane Praetoris

Landf-

Landspergensis est laudanda pietas, qui nullum paullo famosiorem vinctum è carcere emittit, antequam apud nostrum sacerdotem peccatis per confessionem expiatis, caelesti sacramento pauit animam; vt duplici donatus libertate, & carcere, & diaboli seruitute emittatur. Praeter insignem iurisconsl. qui antequam ad publicum cancellarij munus fungendum in quadam Bauariae ciuitate proficisceretur, domi nostrae per sacram hebdomadam se collegit; quatuor alij spiritualibus exercitijs sunt adiuti: nouicius celebris monasterij, antequam ad solemnem emittendam professionem accederet: Augustanus Sacerdos: & nobilis item Augustanus adolescens, Augustae patriciorum ordini adscriptus: & quem omnium primum nominatum oportuit, Curio Lederstensis, qui magnam subinde nostri ordinis hominibus de animarum salute benemerendi suppeditat facultatem. siquidem diebus anni celebrioribus nostros ad se ad parochialia munia iuuandum aduocat. neque magis ille, quam populus nostri ordinis studiosus, nostrorum opera, & auxilio laetatur: neque vnquam sine magna vtilitate inde reditur; aut eorum qui peccata confitentur, & plerique à prima aetate; aut haereticorum, qui ad Ecclesiae gremium se referunt. Rediere hic ab haeresi viginti quatuor: quorum tres ita natu grandes vt tantum non sepulchro deberentur. Diuina prorsus miseratione factum, vt ad tam diuturnam, tamq; male actam aetatem corrigendam, haec paucorum annorum, qui ijs iam supersunt, fieret accessio. Haeretici libri, ac superstitiosi, aliaq; eiusmodi doliramenta igni tradita: ac pro ijs meliores libri, salubrioraq; remedia ex consecratis agnis substituta; quibus & infans phraeneticus, & virgo na-

Curnis agitata terroribus, & femina alia à daemonis insultibus liberati sunt. iisdem terroribus liberatae uxor viri primarij, & feminae aliae, universa totius vitae confessione nostris Sacerdotibus explicata. Data est opera praeterea, ut quaedam contractuum formae, quas usuram sapiebant, corrigerentur. & quamquam res usque eo difficilis fuit, ut confici nullo modo posse crederetur: nostris tamen adnitentibus, & Deo in primis adiuuante, feliciter transacta res est. Accersuntur crebro nostri à Dynastis, qui circa sunt. Sacramentorum caussa: neque unquam inde sine fructu redeunt. Addam pauca quaedam de piorum liberalitate erga nos. Ad templi instrumentum accessere nonnulla ab Illustri quodam viro una cum florenis quinquaginta dono data: à nobili viduu donati florent mille. ad priora domus vectigalia vicus, seu pagus, cui nomen Wogachium, adiectus est, partim amicorum nostrorum liberalitate. partim pecunia redacta ex venditione veterum quorundam censuum coemptus: unde maiorem nostrorum numerum alendi copia suppeditabit.

RESIDENTIA OEtingensis.

FVERE in Oetingana residentia magna annj parte sacerdotes duo, totidem adiutores fratres, quibus postea tertius accessit sacerdos mense Iunio. Concionem habuere toto anno in aede maxima Dominicis, festisq; diebus. Aduentu, Quadragesimaq; duobus alijs in opidis confitentibus aures dedere: & tum in urbe, tum in pagis reliquo anni tem-

tempore Christianae praecepta disciplinae rudes docuere. quibus rebus ex hac Oetingensi vinea non-nullae racemationes sunt in Domini cellam comportatae. Illud tandem Deo adiuuante effectum est: vt Missae sacrificio, & concioni ad finem vsque, qui conueniunt, in templo morentur. quod antea iniecto etiam metu à magistratibus, missoq; eius rei caussa saepius apparitore, obtineri potuit nunquam. Christianae fidei elementa varijs traduntur in locis: sed quotidie fere apud S. Castulum: (vici suburbani nomen esse videtur) post consilio P. Visitatoris, vt ad plures rei fructus pertineret, hinc in locum alium, mille passibus dissitum, diebus dumtaxat Dominicis transiata res est. aegre id initio pati Castulenses: nolle se deseri: itineris longitudinem, & dura incolarum ingenia caussari: homines esse hebetes, & stolida barbarie indociles: religionis non modo contemptores, sed etiam irrisores: & non frustra solum, sed etiam cum periculo operam in ijs exolendis collocari. noster tamen obedientia fretus, & diuina ope, ad locum pergit: iubet cetum campanae pulsu conuocari: conueniunt pueri, puellaeq; omnino septem: tres prorsus fari nescientes, quatuor vix balbutientes: hac ille concione laetus, vna cum ijs ante sacrosanctum Christi corpus in genua se abjcit: à Deo precatur vt bene vertant coepta. inde ad auditores conuersus, format signum Crucis. attoniti infantes haerere: rem nunquam antea visam obstupescere: vt mirum fuerit, eos, tanquam dira aliqua vmbra territos, non pedem cum eiulatu inde retulisse. hortatur nihilominus ipsos blande, vt & ipsi idem faciant: non plus mouentur, quam si essent plumbei: proponit singulis praemiolum; vix quidquam impetrat. tum ille fortitudine,

& di-

& diuino zelo armatus constanter nihilominus rem exequitur. tunsaq; diu silice, vix vna, aut altera excutitur scintilla: quae tamen breui ingentem flammam excitauit. sessus tandem nihil agendo, orat quasi mentis compotes auditores suos, vt octauo die audito signo reuertantur. Redit ille dicta die; datur campana signum: mirum dictu, concurritur ab omnibus, non secus, atque ad publicum spectaculum; vt saltatoria domus, in qua per lasciuiam choreae, & saltationes ducebantur, inanis relinqueretur. adduntur animi nostro catechistae. Venitur ad initium. hic rursus obijcitur alia durities. initium ducebatur à salutari signo Crucis. Ducit ille semel, iterum, & saepius: illi stupidi instar columnarum haerent immoti. persistit in incoepto pertinax; & qua iuuenes, qua senes, proximum quemque compellando, hortatur. peruicit tandem, vt manu ducta corpori crucem signent; ac se sequantur verba praeeuntem. demum breui, eò deducta res est labore, & constantia; vt qui modo caudices, ac stipites sensu carere videbantur; iam maxima alacritate, animiq; contentione de nostrae fidei mysterijs, cum magna parentum voluptate certamina capessant. Proponitur à patre certamen pueris, puellisq; : declarantur praemia victoribus ea lege, vt omnium primo ius sit eligendi, quod ipsi videtur optimum. iudicium victores renunciandi penes duos est è senioribus vici. Victori puero inditur nomen, puta cuius? Alexandri magni an Achillis? S. Mauritij: puellae victrici, S. Vrsulae: lepido sane commento, & iucunda illecebra ad pietatem: in locum praeterea eminentiorem deducuntur. hi infra se decuriones habent distinctis ordinibus, subselliisq; dispositos, quorum singulis cer-

tus

tus puerorum, puellarumq; numerus attribuitur, quibus praesint, & quos doceant. mirum quantum puerilibus hisce honorum imaginibus excitentur, & ad Doctrinam Christianam ediscendam, sincerumq; verae pietatis odorem imbibendum recentes, & tenellulae testae comparentur. accedit, & illud ad victoriae condicionem, vt non nisi illi praemio digni iudicentur, qui praeter doctrinae rudimenta, ter in die mane, meridie, & vespere, positis genibus orandi consuetudinem habuerint: vt non tam naturae bono, & memoria confidere, quam pietate, & sanctis moribus consuescant. ita sensim intermissa antiquae pietatis instituta reuocantur; & quae ante inculta sylua, & aspera esse videbatur, iam virorem aliquem lectarum plantarum incipit proferre. speramus quoque breui fructus erupturos. & sane mirum est agrestes pueros, agrestibus tantum assuetos, nullis litteris, magistro nullo, nisi nostro catechista voce praeeunte, idq; octauo quoque die tantum, tanta memoria, tantam rerum seriem percipere, ac retinere. Catechisten vt obuia laetitia venientem excipiunt, sic abeuntem prosequuntur interrogationibus, & quaestiunculis: cum alij alia, vt cuique exciderunt, in memoriam sibi reuocari documenta petant. In vtraque Oetinga, noua & vetere, idem tenetur doctrinae christianae cursus pari cum fructu. supplicationes puerorum instituuntur ad aediculam B. Virginis, ex quibus & grandes formam supplicandi condiscunt; & consuetudinem parochi nonnulli imitantur; suosq; iam monent, & hortantur, vt statis anni temporibus eandem B. Virginis aediculam supplicabundi inuisant: quod populares non modo studiose faciunt. sed pia quadam aemulatione populi ne vincantur

alteri

Digitized by Google

alteri ab alteris, certamina suscipiunt. ita religio B. Virginis incredibiliter augetur in his locis. quod declarant crebri, frequentesq; ad eam aediculam undique concursus, & donaria oblata. & testantur aeditimi, nunquam antea neque plura, neque maiora esse collata. Iam ex remotissimis locis huc conueniri, & soluendi voti caussa, & crimina expiandi, cibiq; caelestis sumendi, visitatum est: nostriq; sua operà non desunt rei promouendae; confessionibus audiendis, aliisq; nostris ministeriis exercendis. Aucta huius sacelli religione, dispataq; fama, nostros ibi à confessionibus assistere, salutariaq; monita aduenientibus dare; auctus est etiam numerus confitentium. & licet eorum qui annorum omnium confessionem instituerint, iniri numerus non potuerit: certum tamen est, paucis mensibus ab vno tantum supra sexaginta auditas esse. Duo domi nostrae religiosi viri monasterij nobilis, alter Prior, alter tironum Magister spiritalibus exercitationibus vacarunt. Horum pleraque in veteri domo acta sunt. IV. Non. Octobr. ipso die S. Francisco dicato in nouum domicilium, quod triennio ab hinc impensa serenissimi Bauariae Ducis aedificari coeptum est, immigrauimus. aedificium est venustum & commodum caelo circumquaque libero. Intra ianuam ad dexteram area est commode ampla, strata silicibus: in ea puteus perennis salubris aquae: ad sinistram horti sunt olitorij: vltra domus à septentrione porrecta in meridiem tres habet contingnationes, quarum singulis ambulationes praetenduntur, porrectae in longum pedes centum, latae decem: suprema licet sit angustior. cubicula fere spectant orientem solem, duobus exceptis versis ad meridiem. eorum decem habent hypocausta.

fine

fine hypocausto sunt quatuordecim. despectum habent omnia in hortos; quibus porticus centum quinquaginta pedum est adiuncta, quae praeter amenitatem ad inambulandum, & meridionalem aestu temperat, & occupata eorum parte, hortos prope redigit in quadram. E fenestris prospectus est in campos late patentes, syluasq; peramenas. E quibus cum agmina hui. confluentium prospicimus, vexillaq; & concentum supplicationum percipimus, monemur esse ad opus accurrendum. Huc igitur postero quam commigrauimus die III. Non. Octobr. Praepiscopus Frisingensis petente id Archiepiscopo Salisburgense consuetis precationibus, & Ecclesiastica benedictione domicilium totum lustrauit. Pridie Non. solemni ceremonia, rituq; nouum Templum consecrauit; ac Sanctae Mariae Magdalenae dedicauit. Eius rei fama ad tantam religionem, tamq; augustam cerimoniam, nunquam antea omni recentium memoria vsurpatam, ingentem hominum numerum ex omnibus circa opidis vicisq; excitauit. Collegium canonicorum cum choro symphoniaco ictam rem sua & praesentia, & opera augustiorem reddidere. Serenissimus Dux ad domesticum explendum instrumentum trecentos florenos suppeditauit. Matrona nobilis centum templo legauit ex testamento. Et adhuc sacra supellex in dies augetur. Piae aliquot feminae illo ipso, quo templum consecrabatur die, calicem argenteum inauratum S. M. Magdalenae obtulerunt.

RE-

Digitized by Google

RESIDENTIA Constantiensis.

IN Constantiensi Residentia tres, quatuorue sacerdotes, cum fratribus duobus administris versati sunt. Conciones habuere magna frequentia statis temporibus primario in templo: & subinde diuersis temporibus ad monasteria diuersa. Egregia est ciuium beneuolentia erga nos, & aduersus diuina: pietas, vt in his locis laude digna: quotidieq; religio maiora capit incrementa. Deo laudes. Poenitentiae, & Eucharistiae sacramenta frequentant multi. Qui animum vniuersae vitae noxis expiarunt, duo fuere & quinquaginta: exemplo ceteris fuere canonici; e quorum collegio multi, ijq; nobilissimi, nostris confitentur. Idem suam erga nos beneuolentiam quacunque occasione testari non dubitant; magnamq; ex eo percipiunt laetitiam, cum tantam in dies vident fieri accessionem ad religionem. Magna est & reliquorum ciuium de nobis existimatio; vt saepe in suis rebus aduersis, tanquam ad sacram ancoram, ad nos confugiant. Matrona pia nobis confiteri solita, tam grauibus partus doloribus vrgebatur, vt omnium iudicio eius salus deplorata esset. moestus maritus famulum ad nos allegat; rogat, ne se in tanto periculo deseramus. nostri suadent, vt ad B. Virginem in heremo votum faciat. mittitur continuo, qui votum soluat; ac, dum sacerdos ex nuncupato voto ibi sacris operatur, eadem hora sentit se aegrota suis doloribus alleuari; & iam magna omnium laetitia conualescebat. quae res, & eam familiam nobiscum maiore

re studio conciliauit, & Sanctissimae matris, ac venerandae aedis religionem auxit, & illustrauit. Ab haeresi ad Ecclesiam se recepere sex & quadraginta. Et in ijs, quod maxime mirere, praedicantis uxor, quae vt salutem sibi quaereret, ad nos venit, vana contempta coniugis doctrina. hanc dicunt auũ habuisse catholicum, & quondam consulem Tiguri. Spiritualibus exercitationibus exculti duo: & horum alter fuit è Benedictinis Abbatibus. Catechismi explicatio tantas habet vtilitates, pueriq; & puellae tantopere in eo studio proficiunt; vt magnã nobis, & sermonis, & agendarum Deo gratiarum materiam suppeditent. Auctum est sacrum templi Instrumentum piorum hominum liberalitate multis rebus, sed illo imprimis sacrarum reliquiarum thesauro insigni. nam cum hac iter faceret ex heremo à B. Virginis rediens Serenissimus Philippus, Ratisbonensis Episcopus, rogatus à nobis, vt eorum sacrorum pignorum, quorum est in eius Ecclesia magna copia, aliquam nobis gratiam faceret: etsi res eius generis erat: vt non cuilibet facile concederetur; magna tamen beneuolentiae significatione annuit: ac cum primum domum venit, nihil prius habuit, quam vt nostris postulatis satisfaceret. Ossa igitur praelonga sex cum capitibus duobus: illa cum capite vno ex legione Thebeorum; alterum caput ex coetu virginum vndecim millium ad nos magna cura transmisit. accessere ornamenta candelabra sex ex oricalcho, adiecta alia quaedam holoserica ad sacrificantium indumenta.

Excursiones ad diuersa loca quo nostri acciti sunt, solito fuere crebriores: septem vicos item vocati obiuimus. monasteria inuisimus sex: nouem etiam adiuimus ciuitates. extititq; omnibus ijs locis fru-

ctus

ctus operae. Orta erat in vico quodam discordia quae ita inter parochum, & populares exarserat, vt pastoris sui vocem audire, qui ouis esset, omnino recusarent. Ei malo vt mederetur, Vicarius vnum è nostris sacerdotibus eo mittendum censuit; qui amicis sermonibus cum singulis, & graui reprehensione ad concionem, Deo propicio, nascentis mali causas omnes amputauit. In alio sacerdos alius concioni indulgentias quasdam promulgauit; eiusq; beneficij magnitudinem copiosa oratione explicauit. centum triginta septem homines, rebus omnibus posthabitis confestim se consequendi causa ad confessionem faciendam expedierunt. Et ex ijs sex vitae totius culpas explicarun. ita manipulos non leues operae perpaucae in Christi saepe horrea reportant. Rabensburgi, nobili sane ciuitate, tanta omnium probatione vnius nostri sacerdotis conciones exceptae sunt; vt nostri ordinis hominibus nobilissimi quique omnia sua studia vltro detulerint: liberamq;, quotiescunque nostris eo libuerit accedere concionis potestatem fecerint. quin ex ordine senatorio non nemo fuit, qui benigne nostris alendis polliceretur insumptum, si modo illuc venire animum induxerint. In liberam Sueuiae ciuitatem, in qua nonnulli nutare dicebantur in fide, Vicarij rogatu missus Sacerdos fructus retulit aliquanto spe maiores. nam promulgatis item pro concione Indulgentiis, non exiguus ciuium numerus se ad eas percipiendas compararunt. Ibidem dissidium inter duos coniuges magno vtriusque bono sublatum est; & pax inter eos, coniunctioq; reconciliata. Curatum item, vt in sua parœcia Curio retineretur, e qua per iniuriam exigebatur. quod vniuersae ciuitati laetitiae fuit. quippe vir probus, & laude dignus

gnus omnium ordinum hominibus gratus, acceptusq; erat. Nobilis coenobij virgines à suo Abbate per litteras iubebantur se ad confessionis Sacramentum praeparare; missurum se eius rei causſa ad certam diem hominem de Societate Iesu, qui eorum animabus satisfaceret: illae territae nomine Societatis, multis precibus ab Abbate flagitarunt, ne tam graue suis ceruicibus iugum imponeret: quemlibet alium si mitteret, quam Iesuitam, sibi gratum futurum. certumq; hominem ad eum destinarunt, hoc ei mandantes, vt non curriculo solum, aut ciſio, sed si posſet Pegaseo volatu ad Abbatem properaret. Sed vt secundae sententiae sunt meliores, haud ita multo post, vno è nostris in vicino commorante, in messe vtique Dominica occupato, moniales eaedem, eius fama commotae suſpicari coeperunt, non ita esſe Iesuitarum consuetudinem pertimescendam. quare ei nunciari iusſerunt, vt ad se veniret: cupere se illius sermonum fieri participes. Eo semel audito, ita sensim immutatae sunt, vt statuerint illius se conscientiae committere; vt ne vna quidem defuerit ex toto numero, quae non ei omnes animi sui latebras detexerit. quin etiam duae, cum propter valetudinem ad balneas proficiscerentur, Constantia eius rei tantum causſa transire voluerunt, vt apud eundem Sacerdotem iterum peccata expiarent.

Digitized by Google

PROVINCIA RHENANA.



IN Rhenana Prouincia Sacerdotes sunt vnus, & sexaginta supra centum: magistri ad sacros ordines nondum admoti quadraginta nouem: philosophi, & Theologiae studiosi vnus & triginta: qui domestica obeunt ministeria octogintaquinque: nouicij quatuordecim: omnes omnino trecenti quadraginta in quindecim domicilia distributi. In Collegio Colonienſi triginta septem: in Treuirenſi triginta duo: in Probationis domo viginti quinque, in Herbipolitano triginta sex, in Spirenſi vndeuiginti, in Fuldenſi triginta duo, in Heilgenſtadienſi duodecim, in miſſione Erfordienſi duo, in Molſemienſi Collegio vigintiſex, in Confluentino septemdecim, in Paderbornenſi quindecim, in Monaſterienſi sexdecim, duabus in reſidentijs Embricenſi decem, Hildeſienſi octo. Migrarunt ex hac vita quatuor: octo admiſſi in Societatem. Et cum moleſti quidam morbi paſſim Treuiris, Confluentiae, ac Fuldae multos mortales abſumerent; peſtilentia etiam longe perniciosius malum graſſare:ur, vt ſepti parietibus morientium gemitus ex eorum vſque aedibus audiremus, nullum tamen e noſtris foeda lues pertentauit. Deo in primis laudes.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Colonienſe.

COLONIAE praeter quotidianos, qui e concionibus fructus colliguntur, illa relatu digna contigere. Femina, & orthodoxa, & pia, pretio dato, renitentem, atque omnino recuſantem perpulit haereticum, vt ſaltem ſemel noſtro ſacerdoti verba ad concionem facienti daret operam. Et vero non ſine diuino inſtinctu id factum videtur, ſiquidem ille ita prima concione victus eſt, vt & haereſeon & culparum ſe laqueis primo quoque tempore expedierit. Ingens poenitentium numerus, etſi partim confeſſariorum induſtriae, partim familiaribus colloquijs, aliiſque cauſis: maximam tamen partem concionibus tribui poteſt. is tantus perhoſce annos fuit, vt ſacerdotes duodecim aegre ijs ſufficiant. Qui celebrioribus anni diebus ad nos accedunt, & ſacra menſa reficiuntur, raro non millenarium numerum exeedunt: & quidem vitae totius maculas eluerunt quinquagintaſex. neque ſolum qui in Vrbe viuunt, ſacra haec in noſtro templo frequentant: ſed ſaepe etiam ex remotioribus locis eam ob cauſſam huc ſe conferunt. Virgines tres nobili loco natae iter viginti amplius milliariorum ad nos confeſſionis cauſſa ſuſceperunt: aliae nouem à noſtris inſtitutae ad religioſam vitam ſe contulere. Quatuor & quadraginta abiurata haereſi ad catholicos tranſiere. In ijs adoleſcens ita profligato fuerat ingenio, & turbulento, vt compluribus haereticorum academijs pererratis nullam non modo non haereſim imbiberit, ſed praefractis moribus,

effrenataq. viuendi licentia parentibus etiam terrori esset: neque mirum vbi nullis pietatis habenis improbitas, & audacia cohibentur. hic tamen Deo adiuuante tam importuna, tamque soluta viuendi ratione, eiecta haeresi, veritate perspecta, una cum religione, nouos etiam mores, nouaque viuendi studia concepit. ac ne malitia mutaret intellectum ipsius, postquam Christo, & Ecclesiae reconciliatus est, sacroq; sancta Christi corporis mysteria percepit, in ipso melioris vitae quasi tirocinio subita morte sublatus est. Adolescens alius anabaptista patre natus nondum sacrum susceperat baptisma; à nostris fidei mysteriis imbutus, graues ab aduersario humani generis infestationes perpessus est, cum quotidie se illi horrenda specie obiiceret, terroribusq;, ac minis à suscepto consilio deterreret: sed constans adolescens, aduersus eas machinationes salutaribus monitis instructus, inania terriculamenta contempsit: quae omnia baptismate suscepto euanuere. Huc alia narratio attexi potest. Badensis Marchio Coloniae aliquandiu versatus est. hic habuit in suo comitatu Hebraeum adolescentem, patre valde opulento natum, & christianae iam religionis cupidum. eum haeretici baptismo lustrare voluerunt. Sed prudens adolescens nullam sibi cum iis pestibus contagionem esse voluit: ac Marchione permittente, nostris se christiana fide imbuendum dedit. domi nostrae non fidei solum, sed piarum etiam contemplationum, antequam sacris aquis ablueretur rudimenta percepit. Productus inde ad salutare lauacrum, ante mersionem in maxima hominum corona fidei nostrae capita tanta memoria exprompsit, vt multis prae laetitia lacrymae defluerent. is nunc suscepto baptismate in aula

Sere-

*Sereniſſimi Principis Archiepiſcopi verſatur; tanto*q; *fidei feruet ardore; vt aulicos, & exemplo, & hortationibus ad ſancte pieq; viuendum, atque ad ſacramentorum frequentationem aſſidue impellat. Haereticorum vero ita ridet inſcitiam, vt nihil ijs putet eſſe contemptius, & nonnunquam inter diſputandum multis praeſentibus illorum hebetudinem redarguit.*

Rogatu Sereniſſimi Vilhelmi Bauariae Ducis duo dati ſunt ſacerdotes eius filio Ferdinando; qui nunc huius Epiſcopatus factus eſt adiutor, vt illius aetatem doctrina, & ſtudio pietatis ſuſtentent. horum induſtria nequaquam aulae finibus ſe continet. nam & praeſidiarios milites, qui arcem cuſtodiunt ad peccatorum confeſſionem adduxerunt, omnemq; ex eorum coetu aleam exterminarunt. ſtatas interim in Vrbe Bona non ita longe ab arce ſita, conciones, & catecheſes magno incolarum bono habere ſolent. praeſto etiam fuere militibus, & ſaucijs ex bello reuertentibus, aluſq; aliena benignitate indigentibus. ex ijſq; multos ab haereſi ad catholicam fidem traduxerunt. Hi rerum ſpiritualium, e concionibus, confeſſionibus, aluſq; Societatis miniſterijs praecipui fructus. Quibus illud accedit. Ad fidem orthodoxam veniſſe haereticum hominem, cum ſacerdotem noſtrum moribundo homini vidiſſet aſſidentem; rationemq; & ſtudium iuuandorum in extremo illo diſcrimine animorum incredibiliter probauiſſet. Scholae frequentia iuuenum celebrantur ſolito lectiorum, ſiue mores eorum ſpectes, ſiue ingenia. Eorum decem partim ad noſtram partem ad alias ſe probaturum Religionum familias tranſtulere. ſed felicem earum curſum mors impedijt lectiſſimi ac doctiſſimi adoleſcentis fratris

nostri Henrici Putsii. quae eo nobis fuit acerbior, quod interuallo anni vnius morti alterius sodalis, atque ipsius fratris Mathiae Putsii superuenit. ambo duo huius Prouinciae ocelli habebantur. Alterius superiore anno Moguntiae extincti obitum egregia superstitis indole, & dotibus admirandis solabamur. nunc altero quoque extincto, vtrunque vulnus visum est acerbius. pares omnino fuere studijs, virtutibusq; , ingenio ad miraculum excellenti; probitate, & pietate ingenium superabant. peruoluerant mira ingenij celeritate omne scriptorū genus, vt nihil esset, de quo non in illo iuuentae flore disputare possent; peregrinas linguas nullo docente ita didicerant, vt & Italica Latina facerent, & vicissim Latina in Italicum transferrent. multosq; iam pios libellos ex ea lingua cum Germanis communicarant. Nemo ad eos vnquam accessit, quin & doctior, & ad studia litterarum propensior recederet. tantis animi ornamentis testimonium dant Serenissimi Bauari Philippus, & Ferdinandus, Bauariae Ducis filij, qui cū vtrunque probe nossent, tum Mathia praeceptore in Rhetoricis Coloniae, Treuiris, ac Moguntiae usi sunt. Sed eos placuit diuinae bonitati ad alia studia, aliasq; commentationes, & contemplationes euocare. neque enim diffidendum est, & ipsos nunc ex felici illo coetu animorum cum alijs, qui e Societate vixerunt, posse magis quam ante, tum rem litterariam, tum spiritualem promouere. & licet non omnibus annis idē sit fructuum prouentus; non tamen desperandum est posse aliquando ex eadem officina opera alia pari laude prodire. magnus architectus est Deus; & egregiorum operum omnium verus vnus ipse fabricator.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM Treuirense.

TREVIRIS tabes duos confecit Sacerdotes, pios viros, ac simplices: in eorum locum suffectus est vnus ex ijs, qui scholis praeerant. E spiritalibus rebus, hi fructus collecti sunt. Quatuordecim spiritalibus meditationibus vacarunt, in his viri primarij filius a furenti insania liberatus. impotenti hic ignobilis feminae amore aestuabat: vt neque parentum auctoritate, neque minis, neque verberibus conceptam animo phraenesim excuteret. & quamquam aperte intelligeret se cum summo dedecore famam, vitam, fortunasq; perditum ire: sibi tamen ipse imperare, aut animo aduersari suo grauius morte ducebat. Quin saepius tanta se violentia rapi fatebatur intus, vt aquis, aut praecipitio, aut laqueo sibi interitum imminere fateretur, si aduersus ipsius insaniam durius aliquid consuleretur, aut diutius morbi medicina differretur. Maestus pater, rebus omnibus frustra pertentatis, inops consilij confugit ad nos: nostrorum consilio tandem multis precibus à filio contendit, vt in paucos dies in nostrorum sededat potestatem. aegre paterna pietate adolescentis victa proteruia est. impetratur vt tantisper eius rei periculum fiat. octo vix dierum exercitationibus obducta illa animo caligo discussa est: & impotens illa cupiditas, anxiaeq; curae, ac molestae sollicitudines penitus sedatae; redditaq; animo sua libertas est: ita vt se ipse miraretur, alterum se esse factum, vel potius ipse sibi redditus, se reprehenderet:

quod tã longe prae insana cupiditate à se ipso aberrasset. sanus tandem, ac sui compos, Deo fauente, laetum se laetioribus reddidit parentibus. sex praeterea ab haeresi ad Ecclesiam traducti, non quidem ciues, (non enim fere vlli sunt hac infecti labe in hac Vrbe) sed externi, ex alijs circa locis huc adducti.

Alius hominis prorsus impij, ac nulla imbuti religione mutatio atque ad fidei lumen traductio admirationi fuit. hic annos natus non plus octoginta octo, sine vlla prorsus religionis cura in omnium sacrarum rerum ignoratione, ac negligentia, solum ad speciem christiano nomine, tanquam imposita persona, tectus, omne illud non sane breue vitae spatium transegerat: & quod omnium deterrimum est, à prima aetate mali daemonis cultui assuetus: quem etiam sibi obsequentem cum vellet se habere dictitabat: res ad magistratum per certos indices defertur; accersitur impietatis: intruditur in carcerem: ac ne quid perperam committeretur, caussae cognitio peritis demandatur: probatur crimen nobis negotium datur hominis id aetatis christianae fidei praeceptis imbuendi, docendiq; tanti sceleris feditatem. nostri alumnum sane quam adultum instituendum prompto studio susceperunt. in primisq; operam dederunt, vt eum ad aliquam suae salutis curam cogitationemq; adducerent. & licet annosam quercum corrigere difficile sit: tamen, quia non tam obstinatione, quam incuria, & negligentia prauа consuetudo inueterauerat, non difficile fuit, iniecta religionis cogitatione, hominem tanta aetate ad sui suaeq; miseriae cognitionem reuocare. itaque paruit libens viam monstrantibus; ac non solum furiales Stygiae artis codices, aliaq;

por-

portentosa, si qua fuere instrumẽta volens exhibuit, Sed tartarea quoque maleficia publice detestatus, cum Ecclesia reconciliatus est, nostrisq; petentibus datum, vt quando nulli nisi sibi perniciosus fuisset, tam grandi aetati parceretur. itaque hac vna poena multatus euasit, vt pro ipso execrandi libri, aliaque eius veneficia carnifici publicè cremanda traderentur Sed si hunc Magistratus nostrorum patrocinio concessit: alterum tamen eiusdem maleficij reum eripi sibi non est passus. auxerat hic nefarium crimen, pernicioſissimis mendacijs. primum crimina quaedam in nos confinxerat; partim contemnenda, partim vero permolesta, & odiosa: deinde ad omnem cumulandam improbitatem, mendacium aliud adiecerat multo tetrius, vel vt supplicij socios haberet, vel caussa cum insontibus communicata, eorum societate periculo eximeretur: omnes paene iudices eiusdem criminis socios nominauit. res erat plena publici tumultus, dum quisque se, vt erat probare niteretur innocentem. Quaestor ne caussae cognitio ijs, qui in suspicionem vocabantur, traderetur, prioribus reiectis, nouos iudices subsortitus est. enimuero illi eam iniuriam indigne ferre, fremere, versare omnia, & tum iuris sui, tum periculi defensores, vindicesq; opponere. nequissimi nebulonis, diabolicis tantum maleficijs instructi dictis nullam esse habendam fidem. profuit insontiũ caussae tum ipsorum innocentia, tum sceleratissimi veteratoris detecta fallacia: deprehensus est enim quae nobis obiecerat, ea falso confinxisse. hinc gradus factus ad alia etiam redarguenda. ita ab vno e nostris sacerdotibus graui oratione admonitus, vt ceteros quoque innoxios infamiae suspicione liberaret, grauisq; aeternorum suppliciorum commina-

tione

tione perterritus, quamuis multis sceleribus coopertus, admisit tamen ad animum aliquam de sua salute cogitationem: significauitq. si sibi vitandi inferorum supplicia, aeternaeq; felicitatis consequendae spes subcesset, se ceteros quoque sua confessione insontes declaraturum: id vnum sibi obstare ad eam maculam delendam: in tantam suae salutis desperationem hominem suorum scelerum conscientia pertraxerat. quam ei dubitationem cum sacerdos sustulisset, Magistratui omnem mendaciorum telam ordine retexuit, vltroq; se dignum supplicio professus est. & sic vno tempore, eademq; opera & flagitiosi hominis saluti, & honestissimorum ciuium famae, & publicae quieti consultum est. Restincta praeterea sunt multorum odia: sed illud momenti permagni, quod multos in magnam calamitatem protraxisset: Duo uiri Princtpes arcta fuerant inter se familiaritate coniuncti: vterque magna in Vrbe authoritate, magnaq; ad plebem tum concitandam, tum sedandam potestate. Hos inter leui ex caussa interuenit offensio, initio, vt amicis videbatur, non magna: sed quae contempta, nec suppressa, subinde succrescente ira, ex parua scintilla in magnum incendium exarserat. eoque progressa res erat, vt vterque de alterius pernicie consilia iniret. iam alter alteri insidias parabat: iam manus armatorum, vt in mutuam caedem ruerent, paratae erant; & communium amicorum opera iam imbecillior erat, quam vt flammam tantam opprimere valeret. Desperatis rebus omnibus, ad auxilium Societatis confugitur: sed nō facilis ad vtramlibet partem dabatur accessus: ita infensis animis dissidebant, vt ne vocem quidem ferre possent, aliud quam certamen, & pugnam suadentis. proinde parum

Digitized by Google

rum gratus initio fuit nostrorum interuentus. quippe non nisi pax ab ijs quaereretur. Vicit tamen officiosa nostrorum importunitas obstinatã vtriusque iracundiam: magna cũ totius ciuitatis laetitia sublata discordia est; & pristina beneuolentia in suum locum restituta. ac ne quid ad summam concordiam deesset, & ipsi datis dextris, in mutuos amplexus, atq; oscula conuenerunt: & pacis reconciliatio publica auctoritate confirmata est. Sane causa valde digna fuit, cur Deo gratiae agantur. sedata est enim illius diuina ope tempestas, quae vniuersam hanc Ciuitatem pessundatura videretur. Non defuit occasio etiam de priuatorũ animis benemerendi. bonumque Societatis odorem emittendi: ne aegrotis quidem & ijs ex locis, vnde minime expectabatur. ita nullum tempus, nullus locus oportunitate caret virtutis exercendae, proximosque adiuuandi; si modo quis in omnem occasionem intentus diuini studio honoris teneatur. Missus est pater quidam paralysi grauiter affectus ad balneas. eae tertio à Confluentibus lapide sitae sunt in vico Empsio, qui totus ab haereticis incolitur, tridui itinere Treuiris disito. Venit eodem valetudinis recuperandae causa, vir senatorij ordinis, ex opido ad Rhenum non ignobili, cum vxore, & liberis. is annis circiter tribus, & viginti ante, nostrae Societatis nouicius fuerat in hoc collegio: parentumq. blandicijs, aut ipse illectus, aut prudenti consilio à praesidibus domum missus. votum scripto nuncuparat multis adiectis exsecrationibus, ni se domui Probationis restitueret. Verum postmodum consuetudine suorum emollitus, optima consilia oblitus haesit in patria: ductaq; vxore liberos susceperat. sed haud diuturna homini laetitia fuit, anxia animum sollicitudine, remor-

mordente, recordatione deserti à se consilij, & voti, quo se sua sponte obligarat. Aegro his mordicantibus curis animo, & periculosa tabe prope consumpto corpore, diuina prouidentia, ita res moderante, dum ab aquis calidis corpori, quam prorsus perdidit, salutem quaerit; animi, quam desperauerat, inuenit medicinam: conspectio enim ad balneas nostro sacerdote, homini curae sollicitudinesq; animi admista desperatione increbrescunt. In hoc curarũ aestu, maeroris, ac confusionis plenus coepit aquas adhibere. aquae alijs salutares, illi mortiferae fuerunt. quasi enim venenato poculo epoto, a mente ab alienatus, furere, & inconditas voces coepit edere: vt ad horrendos eius clamores cuncti perhorrescerent. Coniux super morbi foeditatem tam graui malo pressa, longe à patria, destituta ab amicis, vnicum habuit perfugium in nostris, quod catholici praeterea fortasse nulli essent. Fratrẽ, qui sacerdotem nostrum comitatus erat, consulit. is iussit ex vicino loco catholicorũ aquam afferri consecratam, eamq; aegroti lecto, ac cubiculo aspergi. risit initio mulier, ignotum sibi, & insolens remedium. expressit tamen necessitas, vt id tentaret. cuius tantum persensit beneficium, vt non aspersionem modo, sed potum etiam aegrotus expetierit. quam simul atque hausit, momento temporis mente conualuit: & quoniã corporis spes nulla supererat, animi saluti primo quoque tempore consultum. Facta igitur nostro sacerdoti totius vitae confessione, veniaq; admissorum omnium a praesentibus magna cum pietate petita, inter nostrorum manus animam Deo reddidit. fane fuit ad diuinam gloriam illustrandam, & catholicorum rituum auctoritatem confirmandam occasio mirifica, vt in oculis totius haereticae vici-

vicinitatis tanta benedictae virtus aquae ostenderetur. Ab hoc in alterum quoque nostri hominis est deriuata caritas. Decumbebat ad easdem thermas homo lutheranus opulentus, qui multo comitatu eo venerat. sed siue quod in suos imperium tenere nesciret, siue quod eius famuli essent imbecilliores, quam cura illa postulabat, ita non habebat ad eius curationis ministeria suos obsequentes, vt ab ijs destitueretur. Homini deserto à suis subuenit noster frater. eum in humeros sublatum quotidie in aquas demittebat, indeq; extractum domum reportabat; omniaq; quae sacerdoti nostro, humanitatis, & caritatis officia praestitit magna constantia, magna cum ipsius aegroti tum aliorum haereticorum approbatione, qui nihil tale vnquam de nostris hominibus cogitassent. itaque aegrotus ipse cum lacrymis testatus est, se tanti beneficij perpetuo memorem futurum; rogauitq; vt, si qui de nostris illac aliquando iter facerent, ad se diuerterent: declaraturum se, quantum apud se collatorum beneficiorum memoria valeret. occasio illi certe data est de re catholica bene sentiendi. vtinam haec diuinae lucis effulserit illius animo scintilla.

DOMVS PROBATIONIS Treuirensis.

AD Domum Probationis *non plus octo admisimus hoc anno, ceteris ob loci angustias, aut exclusis, aut dilatis. Vnius vocatio narranda est, quae non caret admiratione. natus est hic parentibus haereticis: sed ab ipsis studiorū causſa in catholicam missus* Ciuitatem, *scholas nostras frequentauit,*

Digitized by Google

tauit, ex eo tempore non catholicae religionis modo, sed instituti quoque nostri complectendi studio teneri coepit, prorsusque ita apud animum suum constituit. Reuocatus postmodum à suis, in Baronis haeretici familiam traditus saepius de catholica fide deserenda sollicitatus, nunquam de sententia moueri potuit, quin potius memoria suscepti de religione consilij se magis, magisq; in dies confirmabat. vt noctu saepius solo stratus diuinam opem imploraret, quo sui voti compos esset aliquando. Hoc consilio saepius agitato discessit tandem, virili prorsus animo si in eo perstitisset, Domino inuito, & propinquis. ad eam Ciuitatem, vnde caelestem primum hauserat spiritum, se confert. consilium suum cum Patribus communicat. Patres vt necesse fuit, constantiae experiendae caussa die longiore opus esse pronunciant, rem non esse properandam, maturoq; consilio, & multa egere cogitatione. Dilatus igitur ad opidum aliud catholicum non ita longe dissitum se confert: Praefectoq; eiusdem opidi homini catholico se adiungit. ita in eius famulatu fidelem praestans operam, occasionem sui explendi voti operiebatur. Interim siue nostrorum consuetudine intermissa, siue leni humanae aurae flatu delenitus, quod inter aduersantia studia haereticorum constantissimo animo tenuerat, inter catholicos, ac beneuolos elabi sibi non sentienti passus est. Sensim enim à contuendo portu in altum proiectus, multorum, Praefecti in primis persuasione, cum haeretica puella sponsalia contrahit: anceps animi, & consilij incertus illam ne ab haeresi, vt extraheret, an vt aditum sibi ad religionem praecluderet. Cuius ipsum facti statim poenituit; atque animo coepit prius consilium recurrere. expers consilij qua se expe-

expediret non reperiebat: nisi contentis precibus à Deo flagitabat, vt alterutrum e medio tolleret, auditae preces: virgo moritur. ille post aliquot discrimina etiam vt sibi visus est terrifico obiecto viso monitus, factus est tandem voti compos. Porrò non in sola hic tironum disciplina impensa est opera, sed in proximorum etiam salute laboratum. Ruralis quidam Parochus *expertus superiore anno nostrorum diligentiam in plebecula erudienda, hoc anno ex hac domo Magistros catechistas euocauit. quanto cum omnium popularium aeque bono, atque gaudio, dici vix potest. non enim solum e vicinis locis, sed e remotis etiam exciti multi ingenti numero ad rudimenta christianae disciplinae perdiscenda, sermonesq; de pietate audiendos confluxere. non maior ad insignem aliquem* Doctorem *audiendum concursus vnquam est factus. nec mirum paruulos, ac famelicos homines, spreto lautioris cibi apparatu, ad eos qui panem abunde frangerent, accurrisse. Senes adolescentibus duces se praebuere. in ijs octogenarij, ac nonagenarij, non erubuere se disciplinae submittere; & prima illa christianae doctrinae elementa à docente percipere; vnaq; cum pueris, quod non antea fecerant, repuerascere. Difficile dictu est, quanto omnium studio leuis illa nostrorum opella excepta sit. vt beatos se praedicarent, quod tales aliquando Magistros nacti essent. libros quotquot habebant, nostris recognoscendos, & probandos detulerunt: eosq; tantum, qui probati sunt, retinuerunt, reiectis improbis. Alius vicus est veneficijs quondam infamis, cuius incolae paucis annis ante propter eiusmodi flagitia paene omnes incendio sublati sunt. ad horum liberos, & propinquos erudiendos se nostri contulere. & siue suo malo docti,*

Digitized by Google

cti, siue sua sponte perosi prauitatem, se valde obsequentes praebuere: vitia multa, nostrorum suasu, correxerunt; tympana, choreas, conuenticulaq; iuuenum, ac feminarum sustulerunt. post conditam meßem tempus illud quod antea conuiuijs, ac compotationibus transigere solerent, publica ad Deum gratiarum actione celebrarunt. Instituta est schola docendis pueris christiana rudimenta, admonitusq; Parochus officij sui. itaque incipit ibi & christianum nomen, & christiana religio reuiresscere. Est praeterea in Vrbe circumforaneorum pauperum erudiendorum cura suscepta. bis quaque hebdomada ad coenobium Carthusiensium petendae eleemosinae ad mille capita conueniunt. nostri se se in eam turbam insinuarunt: & quidem initio cum irrisione, & ludibrio excepti, tanquã tetrici homines, & parum opportuni à suspiciosa illa plebecula reijciebantur. Sed nihil in hoc genere constantia melius est. Dei causa magno animo suscipienda, ac pertractanda est: quoq; magis sperneris, eo magis te sperni contemnas. sic tandem peruicere, vt incondita illa turba obsequentem se praeberet. Profecit ad illorum aspera ingenia demulcenda, tum nostrorum comitas, cum ab ijs se non sperni senserunt, tum ars in eam rem adhibita, ad egenorum maxime ingenia excipienda opportuna. vna cum ipsis nostri frusta panis corrogabant, quae viritim postmodum ijsdem distribuebant. adiecere ad haec sacrarum imaginum munuscula; quibus rebus illi sensim deliniti nostris se penitus tãdem dediderunt. Et nunc vaga illa, & incerta multitudo, quae nullo duce, nullo rectore circumerrans christianam se esse ignorabat, iam oculos paullatim ad lumen intuendum erigit. ita nullum genus hominum

Digitized by Google

cum iam est, ad quod erudiendum non se prouidentia porrigat diuina; vt quod superiorum temporum incuriæ damni factum est, id nunc his rerum initijs resarciatur. Haec de spiritali opera.

Exhilarauit nos praesentia sua Illustrissimus Admirallius Aragoniae Franciscus Mendoza, qui legatus ad Caesarem à Serenissimo Cardinali Alberto, cum hac iter faceret, nos humanissime, nec opinantes inuisit: in sacello cum frequenti comitatu diuinis interfuit: nouicios omnes alloqui, ac magna cum ipsorum admiratione, cum tanti fieri Societatem a tanto Principe viderent, singulos amplecti voluit. idem in discessu eleemosinae nomine triginta numos aureos reliquit. Ex eius domesticis quidã graui morbo correptus, iter prosequi non potuit: nostrorum curae commendatus est data in sumptum pecunia, is, vt primum in domum hanc illatus est: vt est ea gens praeter caeteras ad pietatem prona, & ipse domestica Domini disciplina pietati assuetus: tanta spiritali voluptate repletus est: vt à gratijs Deo agendis, quod se in eam Paradisum deduxisset, numquam desisteret. fatereturq; se statim leuatum esse, atq; intra nostros parietes intulit pedem. breui denique sine concepta animo laetitia, sive sua sponte vi morbi remittente, diuina in primis ope, reparatis viribus, itinera abeuntium comitum assequutus est.

COLLEGIVM Moguntinum.

EX ijs qui Moguntini Collegij scholas frequentarunt, tres Philosophiae, & magna ex parte

Theologiae ſtudijs decurſis, in Societatem admiſſi ſunt, dilatis alijs, qui idem expetebant: tres item ad Carthuſianos tranſiere. & quando tam felix initium factum eſt à ſcholis, in ijs proſequemur, quae reliqua ſunt. E noſtris auditoribus quatuor vno die Theologiae Doctores facti ſunt: Licentiati duo: totidem Baccalaurei: in philoſophia vero Magiſtri tredecim: & plures adhuc prima laurea donatis neque interim pietatis ſtudia contempta: in quibus primam laudem meruere Parthenij. Hi ſexta quaque feria Quadragenarij temporis ſcholaſtico coetu dimiſſo, in oratorium ad communem precationis normam conuenerunt: dulciq; atque ad temporis maeſtitiam accommodata pſalmodia ſupplicarunt. poſt, ipſis humi proſtratis, aliquid temporis tacitae precationi datum: ab ea precatione flagella corpori admota. ſecundum flagella expanſis brachijs iterum preces repetitae. ſic piae exercitationi finis impoſitus. Extrema vero Quadrageſima eadem exercitatio quotidie repetita. Diebus vero, qui feſtos B. Virgini ſacros antecedunt, tantum fuit omnium ſtudium, ieiunijs, cilicijs, flagellis, aſperitatibusq; alijs edomandi corporis, vt eorum, qui pia contra ſe certamina ſuſceperint, numerus iniri non potuerit. & vero in eo ſtudio ita feruent aliqui, vt licet occultare ſtudeant virtutem, ipſa tamen ſe prodat vel inuita. Tres eorum adulta iam aetate, ac ſpectata eruditione iuuenes, quibus certum erat Dei famulatui in religione ſeſe addicere, ipſis exeuntis Quadrageſimae poſtremis ferijs, vt ſpecimen aliquod Religioſae paupertatis caperent, mutatis veſtibus, mendicantium ornatu in proximos vicos exierunt, oberrando ſtypem quaeritantes; neque alio cibo per eos dies, quam quem

ſibi

Digitized by Google

sibi mendicato comparaſſent; victitarunt. Atqui profecto, vel hoc ipſo, qui cum robuſtae virtutis veteranis comparentur, ex quo conijci facile poteſt, eos à vera religioſae virtutis via nequaquam aberrare: faciat illos modo Deus voti compotes, & huic ſpiritalis aedificij fundamento cetera virtutum addat incrementa. E ſodalibus Partheniis alius adoleſcentem tetro correptum morbo, ac propterea ab omnibus deſertum, in ſuam curam ſuſcepit, cibum illi comparauit, atque ad viliſſima quaeque miniſteria ſuam operam praeſtitit. Non minor eſt & in conuictoribus pietas: ſiquidem grandiores iunioribus exemplo ſunt; iuniores illorum exemplo incitati flagellationes, aliaſq; exercitationes, à quibus aetatis arcentur imbecillitate, & ipſi ſibi depoſcere non dubitant: magnaq; contentione earum ſibi poteſtatem fieri efflagitant. Reperti ſunt e grandioribus, qui corporis opprimendi cauſſa, clam ſub lecto humi cubauerint. atque hic pietatis feruor in his oris accenditur, vnde temporum iniquitate iniecta licentia viuendi molliter, extruſit pietatem. Ex his ſurculis frugiferas arbores Deus excitabit aliquando. Eorum quendam graui morbo implicitum mater filij amans vehementer contendit, vt curandi cauſſa, ad ſe trãsferret. Sed neque morbi grauitas, neque adoleſcentis volũtas permiſere. quippe ſibi ſiue moriendum, ſiue conualeſcendũ eſſet, melius apud nos fore, quam domi reſpondit, qui non minore caritate, diligentiaq; corpus, quam animum curaremus. Iam morti vicino B. Virginis ſpecies obiecta, ſe illi extremo in certamine promiſit affuturam. Ex quo ille viſo etiã ſui diem obitus praedixit. Hora vna ante obitum cuidam e noſtris rei totius ſeriem expoſuit. cum

tamen idem antea multi euidenti ducti coniectura ſciſcitati nihil extorquere potuiſſent. Funus illi à conubernalibus honorifice curatum eſt.

Vexauit hoc anno vrbem peſtilentia, quae ver fecit ſacramentorum vſum ſolito frequentiorem. Noſtri in tali tempore ciuitati omnem ſuam operam magna ciuium gratia pro concione detulerunt. Abiectum puerum in platea ſemimortuum metu contagij ab omnibus deſertum, e noſtris quidam vehiculo impoſitum portauit in noſocomium; & domo cibo allato recreauit, reparatiſq; non ita multo poſt viribus, magna cum ciuium admiratione, qui hoc viderant, conualuit. In tanta tamen difficultate rerum reuocati ab haereſi nonnulli. in his vir cum primis honeſtus ex patria haeretica, vt inter catholicos catholicorum more viueret, domicilium Moguntiam tranſtulerat; nec multo poſt, quam ſe ad catholicam fidem adiunxerat, exceſſit e vita, nempe apud diuinam mentem ita conſtitutum erat, vt huius tenebris in tempore ſubueniretur. chartae magicae, ac ſuperſtitiones aliae multae ſublatae. in xenodochijs item adiuti plurimi; & qui nunquam antea confeſſi eſſent.

COLLEGIVM Herbipolitanum.

HERBIPOLI quoque initium faciemus à ſcholis, auſpicijs ſane felicibus. Octingenti enim auditores numerantur, eorumq; augetur numerus in dies. Sed pietatis ſtudio excellit B. Virgini dicata ſodalitas. Ex ijs quinque ad varias ſeſe religiones contulere: quatuor ad Carthuſienſes: alij

alij idem habent in votis. Iam publicae supplicationes, priuatae flagellationes, cilicia, aliaeq; piae omnis generis exercitationes: Christo laudes: visitatae sunt. Illud accessit hoc anno: vt statis diebus conuenirent; partiriq; munia inter se, alij symphoniae operam darent, alij precationi insisterent, tertij se flagellis caederent: hiq; tanto numero, vt miraculo res esset in hac vrbe. Idem sub exitu Quadragesimae vigintisex pauperibus adolescentibus pedes lauerunt: alijs totidem conuiuium dederunt. Ex ijs vnus maioris ieiunij tempore quinquies in quadragenas horas traxit inediam. cuius etsi moderandus fuit impetus ad pietatem; in adolescente tamen id aetatis studium laudandum. Minus alius incommode, qui pio S. Catherinae studio incensus annum totum illius reuerentia carnibus abstinuit. Videtur per id tempus rudimenta posuisse Carthusiensis instituti, siquidem ex eo tempore coepit religionem illam cogitare. Horum fama iuuenum commotus legatus Pontificius bis comitante Franconiae Principe, semel ipse solus eos inuisit. Hi scholarum fructus; quos tamen diuina ope fauente, speramus in dies fieri maiores.

Ad Ecclesiam eiurata haeresi rediere quinquaginta septem. Confessiones generales ab vno tantum auditae plus minus sexaginta. aegrotis, & moribundis non inutiliter opera praestita: ciui praesertim non ignobili, qui quondam pertinacissimus fuit haereticarum sectator prauitatum. Huic noster sacerdos ad extremum vsque spiritum praesto fuit. hic tanta eo tempore diuini beneficij cognitione illustratus est: vt expleri non posset gratijs agendis Deo: se beatum appellare; quod sibi diuinitus collatum sit, vt à tam praua, sceleratag; perfidia,

diuina sibi luce praeeunte, ad veram, catholicamq; fidem amplectendam peruenire. quam ille lucem omnibus vitae felicitatibus anteponebat. Et cum ad eius erigendum animum sacrae quaedam sententiae recitarentur: haec ego, inquit, iam pridem annotaui ex tuis concionibus, hisque in meis me doloribus oblecto. his, atque alijs huiusmodi spiritualibus solatijs subinde recreatus, spei plenus è vita emigrauit. Sublata veneficia nonnulla, & daemonis insidiae detectae. Femina multo tempore filiorum valetudinem veneficijs curare assueta; dum nocte quadam conducta venefica nefandis illis execrationibus operaretur, sagam audit horrenda quaedam nomina insonare: quibus perterrefacta e vestigio cohorruit, ac dum filiorum fludet valetudini, ipsa in morbum incidit repentinum. à quo cum primum respirandi data est potestas, continuo ad nos accurrit, confitetur, schedulas, globulosq; quos anus illa execranda dederat, claues, aliaq; portentosa symbola, quae eadem malefica manus e collo puerorum suspenderat, exhibet: iussa Tartarea reijcere venena, doctaq; diuina ope confidere, ac piacularibus globulis, agnoq; cereo donata, data fide, se quotidie diuino intereße sacro, quietiore ac laetiore, quam venerat, animo discessit: eaq; facta medicina, pristinam reparauit valetudinem. Virum alium non quidem veneficijs, sed alia ratione decipere adortus est daemon. erat hic admodum pietati deditus, apud nostros confiteri solitus, & studio precandi Deum totus intentus: & vt est tale genus hominum nonnunquam, simplex, & credulum, & Tartareis ludificationibus opportunum; occasionem ex ingenio nactus angelus nequam ei se veneranda specie saepius nocte & interdiu

terdiu visendum obiecit. hominem collaudat, gratam esse Deo ipsius pietatem, illiusq; obsecundans & ingenio & studio, ad maiora subinde excitat indies. hic sua fortasse pietate sibi placens, ab insita animi simplicitate facile talem se esse sibi persuasit, qualem ipsius facta non abnuebant. Rem nescio quam à Deo impetrare cupiebat; quam neque probares, neque reprehenderes; eam tamen ipsius confessarius nequaquam illi opportunam esse iudicabat. pro certo illi affirmat mendacij pater ipsum voti compotem futurum; interim ad Christi natalitia quam maxima pietate celebranda se pararet. Hactenus summam olent pietatem omnia, quae sinistrorsum sensim deflectere coeperunt. Traxerat eam ludificationem duos menses daemon. Venit Christi natalis: iubet malus fieri cereum certa quadam forma, eumq; de media nocte accendi: tum certa verba cerae certo colore inscribi: (verba daemon ipse dictabat) inde precibus insisti; certo futurum, vt quod optabat, consequeretur: neque adhuc praestigias simplicis pectoris homo intelligebat. sed diuina puto factum miseratione, vt cuius hominis bonitas hactenus inferno daemoni ludibrio fuerat, non praedae esset etiam diutius. itaque dolum ille ordiri potuit, ad exitum adducere non potuit: praecisaq; ei potestas est amplius hominem ludificandi. spe sua frustratus igitur vir simplex, inanis, & tristis à Tartarea religione desistit. hic canis infernus, quando mordere non potuit, latrare non desistit. homini se rursus obiecit; & angelus factus inconstans, vna re tantum sibi constans, ordiendis dolis, recte quidem ipsum omnia ad eam diem peregisse, sed nihil ipsi prodesse pietatem suam: hominem esse Deo inuisum, neque

ipsius preces diuinae placere Maiestati: proinde laborum, & molestiarum sibi finem quaereret; nunquam enim ipsum Deo gratum futurum, gladium interim, quo se interficeret, ostentabat. perturbatus miser tam tristi, tamq; inopinata denunciatione (nunquam enim tam male ipse de sua sanctimonia sensisset) quasi veterno quodam excitatus, confessarij monita coepit reminisci, tartareiq; monstri technam tandem deprehendit. adito igitur confessario, rei totius seriem aperuit; egitq; gratias, quod ipsius monitis seruatus esset: constituitq; imposterum ipsi in rebus omnibus obtemperare. Non tacenda est supplicatio nostrorum consilio, concursuq; totius Ciuitatis facta, ad serenitatem petendam; quam, post continentes multarum hebdomadarum pluuias, serena tranquillitas sequuta est. actae postmodum publicae Deo gratiae: & Magistratuum iussu cautum, nequis posthac tympanorum, saltationum, & huiusmodi nugarum vsus in vrbe sit. Haec vrbana. Duo de nostris in vicum haereticorum missi, qui est in dextera Francorum nobilis, graui odio vicanorum initio excepti sunt; pertinaciter ijs omnibus aduersantibus. patientia tamen, & lenitate victi nostrorum, vt est alioqui gens ad probitatem prona, & facile diuina causa se probat ipsa per se. omnes, vno excepto, abiurarūt haeresim: ac, ne quid ad absolutam gaudium deesset, ille quoq; postmodum siue argumentis, siue suorum exemplo permotus, tandem manus dedit. Hanc communem omnium laetitiam triginta alij ex alia vicinia ad catholicos sese adiungentes cumularunt.

COL-

COLLEGIVM Spirense.

SPIRAE diem suum obiere duo, Antonius Zimmerus coadiutor, vir simplex, & studio pietatis apprime deditus; & qui annos sex, & triginta fuerat in Societate, aut operi faciendo, aut precationi perpetuo fere intentus: & P. Ioannes Brennerus; cuius vltimum vitae tempus ad maximam partem rerum huius anni pertinet. Missus erat superiore anno, vt tum litteris significatum est, Veldam opidum Imperiale in Sueuia, haeresi tum maximo infectum, eodem reuocatus hoc anno, tres menses ibi posuit magno cũ fructu: vtrique hominum generi, tam catholicis, tum haereticis mire gratus: tantaq; veneratione, & obseruantia habitus; vt pluris apud eos eius esset auctoritas, quam legatorum ab Episcopo. concionibus, catechesibus, colloquijs, assiduisq; erga aegrotos officijs omnium animos ita permouit; vt nisi federatarum ciuitatum societate prohiberetur, Senatus vniuersus cum plebe ad Christi Ecclesiam adiungerentur. ita non potest pernicios a viuendi libertas, iure gentis sancita, impediri: tantae difficultates expediendae hominum saluti aduersantur. Quod proximum tamen fuit, multa in eius sententia ad catholicam religionem augendam instituta sunt. haereticorum connubia cum catholicis abnuuntur: non senator in consulem, non in senatorem ciuis haereticus eligitur: neque in Ciuitatem vllus admittitur, qui non ante catholicae Ecclesiae nomen dederit. Eiusdem etiam suasu, Ciuitas duos praecipue Germa-

nae

niae Principes viros, ac Catholicae religionis defensores, sibi patronos delegit; eorumq; patrocinio gloriatur. Scholae etiam instituendae iuuentutis ipsius opera reformatae: idoneaq; pecunia ad Ecclesiae ornatum ipsius consilio collata. tanta denique omnium admiratione, beneuolentiaq; ibi versatus est, vt abeuntem lacrymis prosequerentur, quasi praesagio mortis illi imminentis. Monachium inde euocatus, non amplius reddidit se nobis; ibi enim Deo eum ad se vocante, extremum vitae suae clausit diem. De ijs porro, quae in hoc Collegio facta sunt, illa scribenda se se offerunt. Noster sacerdos, qui in cathedrali Ecclesia triennio ab hinc confessionem Augustanam pro concione confutandam susceperat, hoc anno tandem eius confutationem absoluit. Huius concionis fama late dissipata, magnam cum Deo adiuuante ad plurimas ciuitates Ecclesiae auctoritatem comparauit: spemq; facit fructuum futurorum non exiguam: quorum iam primiciae erumpunt. Ciuis iampridem ad fidem conuersus, quod in concione audierat, id domi suae ad suam familiam dixerat: Lutherum, quae contra sacrum Missae sacrificium euomuerat, diabolo docente didicisse. id eius famulus, Lutheri tactus contumelia, ad Magistratum detulit haereticum. postulatur, qui tam parum pudenter noui euangelistae famam violarat. res in Senatu agebatur. sistit se ille ad iudicium. Lutheri librum affert in Senatum: locum profert: contradici non potest: veritas tamen fuit odiosa. conuictis ira fuit pro ratione. hominem in carcerem compingunt: vixq; sibi temperarunt, quin illum etiam in exilium ejicerent. Has ille poenas ob christianam veritatem susceptas egregia animi magnitudine, laetitiaq;

donec

dolet inde eximeretur tolerauit. Alij libros pestiferos abiecere. alij vincula, damnaq; rei familiaris propter fidem iniuste perpessi sunt. Commentationibus spiritualibus decem exerciti: in ijs tres nobiles, ceteri fere aut ecclesiastici, aut iurisperiti. & quidem inter eos haereticus vnus non ipse modo sese Ecclesiae adiunxit; sed magno etiam fidei feruore vxorem cum familia vniuersa ad fidem pertraxit. Omnino qui ad fidem adhuc rediere centum & decem capitum numerum excesere. ij fuere Lutherani, Anabaptistae, & Caluiniani: estq; magna spes aliorum multorum huic numero adiungendorum: cum quibus nunc egregie certatur, omnisq; conatus, vt expugnentur, adhibetur. Mulier nondum catholica in morbo filiae se voto B. Virgini obstrinxerat; consecutaq; beneficium, oblita debitum, viso quodam admonetur, vt id persoluat. paret illa. Sacrae Virginis aedem passuum millibus quatuor dissitam inuisit: & quam non doctrina, non accuratae cohortationes permouere potuerant, vna Virginis religio, ac voti solutio emollijt, vt ad catholicam fidem se adiungeret. ipsa à Deiparae templo recta ad nos reconciliationis, ac poenitentiae caussa se contulit.

Ceterum pestilens annus saeua lue corpora uexãte, salutaris fuit animabus: nunquam multorum annorum spatio tam multi facti motus animorum, nunquam Confessionum, praesertim generalium, tanius numerus; cum nemo fere non se sacramentis ad mortem praemuniret. itaque in paucos domesticorum ministeriorum cura reiecta, omnes aegrotis iuuandis ita fuere distenti, vt cessationi nullus esset locus, neque in Vrbe solum laborandum, sed & in agros, & vicos circumiectos frequenter exeundum

dum fuit. Eorum etiam, qui in templo nostro ad sacram mensam accesserunt, numerus omnia superiora tempora superauit. Neque solum pestilenti lue affectis, sed etiam elephantiacis subsidio fuimus. eorum aditum valetudinarium, ac nullo metu audacter omnium confessiones exceptae; ijsq; sacra Eucharistia administrata. eadem officia praestita in nosocomio alterius ciuitatis, quam nostri magna Senatus gratia adiere. Et quod Deo gratias agimus, cum tandiu inter morbidos, & contagiosa tabe affectos versarentur, eorum nemo vllum inde hausit incommodum, neque interim carcer est neglectus. quin ad extremum vsque supplicium multi adiuti: duo praesertim ab haeresi reducti tanta significatione poenitudinis, & erratorum detestatione mortem exceperunt: vt nullam ijs, qui spectaculo interfuerunt, de sua salute relinquerent dubitationem. Alius grandi iam aetate anabaptista ad catholicam fidem reuocatus, satisq; catechesibus instructus, pridie quam ei ceruices praecideretur, baptizatus; noua laetus religione mortem excepit. Catechismus duobus in locis in vrbe explicatur, totidē in locis extra vrbē, cuius vtilitas confessionibus excipiendis deprehenditur. Iam rosariorum vsus, quibusdam in locis antehac ignotus, tanto studio susceptus, vt incredibilis pecunia in ijs emendis quodam in loco sit impensa. Ciues passim nostri studio, & pietati dediti, multum, Deo bene iuuante, proficiunt. multi enim extrema. Quadragesima duodenos pauperes conuiuio exceperunt: mensae ipsi administrarunt; ac sacra etiam lectione recrearunt. mitto ieiunia, cilicia, aliasq; corporis castigationes, quibus quique pro modulo religiosam vitam imi-

imitantur. Inducta est etiam pia in priuatis familiis consuetudo, quotidie statа hora ad communes preces conueniendi: translataq; ex vrbe in arces etiam nobilium. vbi non ad preces solum conueniũt omnes de familia; sed precibus etiam persolutis, temporis aliquid datur excutiendae conscientiae. Ad opem Vngarico bello à Deo exposcendam publica instituta supplicatio, & concio ea de re habita est. sacram pompam Reuerendissimus Princeps magna honestorum virorum frequentia stipatus prosequutus est: circumlata sacrosancta Eucharistia est. nostri discipuli linteati Dominicae passionis argumenta longo agmine praeferebant. res tanto apparatu peracta, quantus maximus esse potuit: vt haeretici non possent non liuidis oculis tantum rei splendorem intueri. Mulier ex eo genere sanae peruicax, & leuis, vt eam rem risum faceret, accurrit ad spectaculum: & quo magis suam testaretur contumaciam, voluit in eo acuta videri: pompam illam, diaboli scenam appellauit. procax dictum diuina confestim vltio consequuta. nam domum cum repetijt, filium, quem bimulum reliquerat in cunis, suffocatum reperit. ita nefaria vox impiae matris faucibus emissa innocentis pueri faucibus punita est. eiulanti, ac viciniam totam vlulatibus complenti, qui accurrere, merito accidisse dixerunt, quoniam tam petulanter rem tanta religione ab honestissimis viris peractam illusisset.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Fuldense.

FVLDAE decem haeresim deseruere. eorum quorundam insignis fuit ad Ecclesiam accessio: in primis viri senatorij, qui iam diu ob perditam valetudinem lecto affixus: aut haereticorum libris legendis, aut amicorum colloquijs taedium leuabat. Erat huic filius sexdecim annorum magna probitate, & modestia, indoleq; praeditus egregia; his virtutibus patri apprime carus, & scholarum nostrarum consuetudine aliquanto ante catholicae religioni aggregatus. Cumq; morbus in dies fieret molestior, coepit pater die quadam cum filio condicionem suam deplorare: priorem coniugem sibi morte exstinctam, alteram sub ipsis paene nuptijs praereptam; magnas sibi esse cum affinibus inimicitias, rem familiarem in dies fieri deteriorem: super haec omnia se graui pressum morbo cubili assurgere non posse, silere medicos, neque spem vllam facere melioris valetudinis. Merito se his malis à Deo puniri, quod auitam maiorum contempserit religionem. proinde sibi esse in animo primo quoque tempore ad catholicam religionem se referre. Auidis haec auribus adolescentis filij excipiuntur, itaque hac patris voluntate exhilaratus, eius consilium laudare, hortari persistat in sententia; haereticorum leuitatem contemnere, doctrinam eleuare, nugas irridere, ea proferre, & probare, quae e scholis, quaeque ex concionibus perceperat: patris voluntatem ea, qua par fuit, modestia confirmare. Ex eo tempore tanta Patris erga filium amoris accessio facta est, vt nullius obsequio, ac minis-

Digitized by Google

ministrũs aeque, ac filij delectaretur. Filius pari reuerentia, & sedulitate paterno amori responderet. cumq; in sententia verae religionis persisteret, quaesiuit ex eo filius; vellet ne adduci ad se aliquem e Societate? homines esse ea modestia, & doctrina praeditos, qui cumulate possint illius voto satisfacere. iussit ille id omitti quidem in praesens: sed propinquos alios aduocari, in ijs praecipue affinem, cum quo ei grauis ante quinquennium controuersia intercesserat: ex qua etiam iniuriae, & odia exarserant. hunc vt aspexit aeger, coepit praeteritorum temporum facta reprehendere: poenitere se iniuriarum: velle odia, inimicitiasq; omnes deponere; petere vt praeterita sibi ignoscantur. emollitus alter quam humanissime cum ipso in gratiam redijt: prolixeq; omnia pollicitus, omnem ei suam beneuolentiam, officiaq; omnia detulit. Reconciliata gratia, tractisq; in longum sermonibus, cum putaret recens reconciliatus affinis, id homini aegroto, & iam de exitu cogitanti gratum fore; vt se studiosum ipsius ostenderet, quaerit, ecquid velit ad se adduci ministrum Lutheranum? Tum se erigens in subitum aegrotus, atque ad propinquos alios, qui aderant conuersus, magna vultus constantia, & seueritate protestatus est, nullam esse veram religionem, nisi eam, quam accepissent à maioribus: & in ea sibi certum esse velle mori, ergo, quod vestra, inquit, bona cum venia liceat, sacerdotem Iesuitam volo mihi huc adduci, idq; filio statim imperauit. Hactenus auditus est omnium magno silentio, & beneuolentia, quoad de religione mentionem fecit. audito vero antiquae religionis nomine, laetitia, quam ex reconciliata gratia perceperant, interturbata est: vt vero ad Iesuitae nomen venit,

tum

tum fremere omnes, succensere homini, rem totis viribus dissuadere. At vt ab obsequente filio noster sacerdos adductus, domestici omnes, non secus ac si incendium domum inuasisset, foras cum eiulatu se proripiunt; vicinorum fidem inclamant; pernicioem, malamq; pestem patrifamilias aduenisse. Qui cum aegroto erant, licet subinuiti, ac tristes, verecundia tamen, & humanitatis officio, cuius rei gens est obseruantissima, persistere. Noster sacerdos etsi, in quem conuentum veniret, non ignoraret, quoniã haec ijs quotidiana praelia sunt; magna constantia, quod in his maxime rebus opus est, Dei causam suscepit. intrepidus igitur aduenit; comiterq; salutatis omnibus, cum multa de christiana pietate disputasset, patienter auditus est à reliquis. Sed quia vesper iam aduenerat, nulla re alia tentata, bona Senatoris cum venia discessit; pollicitus postridie se reuersurum. Prudens interim filius de Patris sollicitus salute, licet propinquis indignantibus, nihil omisit, quo Patris voluntatem confirmaret. allatisq; libellis de rebus sacris, deq; ratione bene confitendi, lecto assidens magnam partem noctis ijs patri lectitandis insumpsit: vt in posterum diem sa ad peccatorum confessionem compararet. Facta totius vitae confessione, vt vrbe tota constaret ipsum ad Ecclesiae Catholicae obedientiam redisse, sacrosanctum aeternae vitae viaticum more maiorum per publicam plateam iussit domum suam quam honorificè deferri. quo sumpto tanta derepente laetitia perfusus est, vt ea in corpus, corporisq; male affectas partes redundarit. Coepit igitur in dies magna cum omnium admiratione melius habere. voluit scilicet Diuina Prouidentia eo miraculo declarare probari sibi noui militis pietatem: vt quod

natura

natura efficere non posset, intelligerent homines diuinitus id datum pietati. Sed iam illi parabatur aeterna felicitas: ad quam ipse suo ad Ecclesiam reditu se comparauerat. nam breui posthea in eundem morbum recidens, fidei, spei; plenus ad meliorem vitam emigrauit. Post Patris obitum adolescens filius tot difficultatum victor, grauiora adhuc praelia superauit. dici non potest, quibus modis modo aperta, & palam; modo cuniculis, tectisq; artibus sit illius salus impugnata. blandiciae, conuicia, minae adhibitae. nulli non moti lapides. vt pupilli constantia labasceret, atq; à scholis nostris auelleretur. plus tamen Deus posuit in illius virtute boni, quam mali Sathanas in aduersariorum machinationibus. Quas omnes insidias vt eluderet, & maiore cum animi sui tranquillitate in studia incumberet, in Seminarium Pontificium se recepit: ibiq; nunc magno cum multarum virtutum exemplo vitam agit. Alius honesto loco natus, & praedives, eo maiore difficultate ad veritatem agnoscendam se retulit, quo se diutius in Lutheranorum, Anabaptistarum, aliorumq; portentorum cenosa vitia pernolauerat. aestuabat hic diu, noctuq; contrarijs subinde in eius animo sententijs surgentibus: ipse sibi tedio erat; domum, vrbem, agros, se ipsum denique rerum omnium odio vitabat. neque vllam omnino quietae vitae partem reperit: neque ad se rediit antequam concionibus in aede nostra, & crebra piorum libellorum lectione tot errorum peruersitates, atque perfidiae virus omne, quod illius animo insederat, eiecit. nunc reddita animo tranquillitate à templo nostro diuelli non potest. Haec viri. sunt feminae quoque suam pietatis laudem consequutae. Pia vidua diu multuq; laborauit, rationibus, hor-

tationibus, precibus, vt famulam haereticâ aduersitatem amplectendam adduceret. Cum illa silice durior magis magisq; obsisteret. tandiu tamen extudit incudem, donec persuasa, mulier Ecclesiae reconciliata est. Quinque Virginis religiosae vitae amore sacrarum Virginum coenobijs se addixere. non minor fuit nostrorum auditorum pietas, qui B. Virginis cultui se dicarunt. ex eorum numero tres religiosam disciplinam susceperunt. Alius ex eodem numero in conuentu haereticorum plagis multis primum, deinde etiam promissis sollicitatus ad defectionem, maluit inops, & omni ope destitutus in fide manere, quam cum fidei iactura diuitijs abundare. itaque egenus, & nudus profugit ad nos, firma spe diminam sibi opem nunquam defuturam. neque eum sua fiducia frustrata est. siquidem nunc piorum virorum benignitate sustentatur. Est operae pretiũ nosse pietatem adolescentis adulta iam aetate. opulenti ad eum propinqui byssinam telam ad molliorem cultum miserant. id ille contemnẽs; quorsum secum, inquit, haec iuuentutis corruptelas? multo est aequius illam diuino cultui dicare, quam ea velari humana corpora. vestemq; ex ea ad sacrificium faciendam curauit: quam deinde nostro tẽplo dono dedit. Excursum est in opidum, & vicos circa positos magno cum fructu: atque vbique nostrorum aduentus mire gratus, praecipue verò in vico quodam, qui vel ob hanc vnam rem dignus est, quem nostri faciant plurimi, optimeq; in colonis illis erudiendis operam suam collocatam putent, quod triginta iam annis concionatores, & rabulae haereticorum cum saepius se diruperint concionando, vt illos in suos pertraherent errores: nunquam tamen ab auita religione dimouere potuerunt. agellus sane di-

dignus, qui omni cura excolatur; vt si fieri potest, seruetur intactus à fœda contaminatione harpiarum. multa per ea loca correcta, multa temporum iniquitate neglecta, iam restaurata sunt. Vetus consuetudo supplicationum multis in locis restituta. Accidit die festo, vt reuocato iam more, supplicatio in vico quodam ex ijs e templo educeretur: pro foribus erant catholici haereticiq; permisti: lites, & iurgia inter se miscere videbantur. Inter haec procedit sacerdos indutus sacris vestibus: cumq; illi nihilo minus suis litigijs essent intenti; monuit parochus: Qui vere catholici sunt me sequantur. tenuit vtrosque pudor; tantaq; fuit modo reuocatae religionis reuerentia, vt relicto iurgio, aliqui ex honestioribus confestim sequerentur: hos alij, ad vnũ omnes se illis adiunxerunt, & catholici haereticiq; supplicabũdi vna omnes processerunt. Subuentum est etiam leprosis, furiosis, & energumenis, qui accessu nostrorum, aut statim quieuerunt, aut voto facto B. Virgini liberati sunt. hac fama vicus integer communi consensu, datis litteris, nostros euocauit ad opem misero homini ferendam à malo daemone obsesso. itum est eo, & diuina fauente ope, malum omne depulsum.

COLLEGIVM Heilingenstadiense.

PERGVNT Heilingenstadienses, qui Catholici sunt, in suscepto iam ante cultu, veneratione q; indulgentiae Circumcisionis die festo nostris Ecclesijs concessae. & hoc anno eius rei causſa cal. Ian. quingenti abstersis peccatorum maculis, in templo nostro ad sacram communionem accesserunt,

neque vrbis menibus tantum ea se continuit religio: quin eius fama se se fundens latius, ex adiacentibus opidis, & vicis multos beneficij potiundi caussa ad nos contraxit. ita speciem aliquam antiquae illius venerationis, qua Germanos Romanam *quondam religionem prosequutos accepimus, paulatim iã reuiuiscentem incipimus intueri. Scholae non tam numero florent, quam religione, & virtute adolescentium. & vero ita fieri neteſſe eſt: siquidem tot adhibentur machinae à diaboli ministris ad absterrendam à nostra disciplina iuuentutem, vt cum alios arceant, alios abducant: non nisi pauci, sed ij selecti, & à vulgari turba quasi cribro excreti, ad nos ventitent. austeri enim isti verbi Dei contaminatores, si quorum filios audiunt nostrum gymnasium frequentare, parentes ita in concionibus, in senatu, in circulis exagitant, vt calumnijs, diriſq; execrationibus victi à nobis ipsos cogantur auocare, quam sceleratorum euangelistarum tyrannidem non raro miseri parentes nobiscũ queruntur. itaque quorum pectoribus diuini amoris ignis adhaesit, facile persistunt; & contumelias, probraq; omnia ingenti superant animi magnitudine; ij praesertim, qui abiecta haeresi, fidem, quam ex nostra hausere disciplina, retinent constantissime.*

Declarauit id proxime egregius adolescens, qui Brunsuico, opido lustris haereticorum refertissimo in nostram venerat disciplinam. ad eum ad patriam impietatem reuocandum tutores certum hominem allegarunt, litterasq; addiderunt, instar diplomatis, tribus sigillis munitas. Erant eae litterae futilibus, ridiculisq; argumentis refertae. quae tum ex verbo Dei scripto, & peruerse detorto; tum ex armamentario Polycarpi Lauseri deprompserant.

quod

quod ille ex posthumo Hasemmuleri fetu (libri sunt haereticorum) nuper instruxerat. Rati videlicet boni tutores, se ijs machinis adolescentis animum expugnaturos. sed ille cornicum oculos confixit. iam pridem nugacium scriptorum detectae fraudes. firmum, ac bene munitum pectus adolescentis sagittas contempsit parvulorum. itaque retro ad suos aduersus ea, quae miserant, misit apologiam, ad quam eorum nullus adhuc ne hiscere quidem ausus est. Quam prompta est inscitia, & audax; eadem conuicta, quam inanis, & stupida. Neque verò in retinenda fide constantes: in suscipiendo autem pietatis cultu non ardentes sunt nostri adolescentes. quin quanto studio pietatis teneantur, ex eo licet intelligere, quod ex eorum pusillo grege quatuor diuersas in religiosorum familias caelestis regni amore commigrarunt. ita de ijs dicere licet, quod olim de sua schola Zeno dicere solitus est: Chorum suum minorem quidem esse quam Theophrasti, sed melius saltare. Vnus praeterea, & quadraginta e Lutheri fece emerserunt; in qua aliqui annos quinquaginta, vnus etiam sexaginta versatus erat. Non desunt quotidie caelestis vltionis indicia admiranda, ni obstinata peruicacia hominum mentes excaecaret. Risui fuit, & exemplo stulta militaris hominis iactantia; aeque aetate, haeresiq; atque vita, & moribus ferocis. is gloriabatur diaboli beneficio cutim se habere inuiolabilem, & quae nullis posset vulneribus perrumpi: itaque nullo alio se egere tegumento; nudam pellem, & ferro, & ferreis fistulis impune pro scuto, & armis obijcere. monetur ab vno de nostris Sacerdotibus: fallaces esse daemonis artes: & tum maxime homines pessundare, cum minime expectatur: proinde foedus

pactum cum daemone rescinderet. Matura quidem fuit, & tempestiua admonitio, si nacta esset hominem idoneum. Sed animus diabolica fraude decipi, non dolos vitare assuetus, prudentiae, ac religionis indocilis, sanctissimum monitum iocum, risumq; fecit: verum extremo cum suo, & magno malo. postridie fistulae glans in frontem impacta interritam illam, atque inuiolabilem cutem multo cum alitrum risu penetrauit; eademq; qua Philistaeum Dauid, gloriosum blateronem eadem prostrauit. Terruit tamen ridiculus vacabundi hominis casus multos; eosq; monuit credendum esse melioribus. Et vt intelligatur quam stulta sit impietas, quamq; nugacibus, ac leuibus nebulonibus, gens alioqui docilis, & obsequens circumagatur, non solum sancta dogmata, sed sua etiam non desinunt figmenta quotidie adulterare. Lutheri institutio, qui non Euangelium, sed tanquã simia Euangelicas actiones inserta imitatione conatus est exprimere, sacrosanctam Christi coenam imani specie, triticeo pane, & vino (res ad referendum horroris plena) diabolica delusi fraude adumbrant. hi nunc, recenti instituto, triticeum panem delicatuli commissatores in liba, & placentulas, vinum in ceruisiam, parsimoniae scilicet amore commutarunt. atque id eo fecerunt, ne quidquam illorum sacramenta, cum sacramentis nostris commune habeant. nempe est illi habenda gratia: optandum siquidem fuit posse illis vsurpatione illarum specierum interdicere. & quo melius execranda pocula sapiant bibentibus, ceruisiam varijs condire solent aromatibus. at quis sensus pietatis in tam accurata, & exacta saporum conquisitione: Verum cum semel Deum repudiaris, nihil interest quidquid adhibeas: vtrum

in

in synagoga, an acetumbas in pepina, quid refert? Sed licet varia illi adhibeant condimenta, non tamen illud assequuntur, vt sacrilega illa potio non multis nauseam moueat molestissimam. id quod rusticus ex eorum grege nuper testabatur. cui in vico Mulhusino decumbenti cum minister ceruisiam pro vino ingessisset, affirmabat eo poculo esse sibi exulceratа intestina. cumque ille ex ministro quaesisset, satis ne sacramentum illud cum Euangelij verbis congrueret, quae vinum non ceruisiam docent esse adhibendum; respondit homo doctus: Christi verba non ad eam esse amussim exigenda, vt quod de vino dicitur, non possit, & ad mulsum, & ad ceruisiam (mirum non etiam ad iusculum) accommodari. Praeclara sane, & hebete homine digna interpretatio. tam facile stolidis suis argutijs, atque mendacijs nefarij isti nugatores veritati tenebras offundunt. Homo rusticus, qui non satis instructus esset arte disputandi, aduersus eum quem religionis magistrum esse oportebat, quid ageret? tam iniqua mente imperiti curionis, stultitiam deuorauit, quam ceruisiam ante deglutiuerat. sed tamen tot offensus monstris, nostrum consuluit Sacerdotem. à quo veritatem edoctus, vt veris Ecclesiae sacramentis frueretur, inde se cum tota familia in Eisfeldiam transtulit ad catholicos. Dici non potest quanta impietatis, & corruptelae seges ex infelici horum impostorum semente succreuerit; vt aeque sit difficile tam discrepantes in rebus fidei sententias colligere, ac vitiatos eorum animos Christianis moribus imbuere. Sed tamen cum se dant, & facile docentibus obtemperant, possis innatam genti probitatem pietatemq; tantopere superioribus temporibus laudatam agnoscere. Quatuordecim cir-

sumiecti sunt vici, quos Christianae fidei rudimenta tradentes obimus: & non minus quam in pueris, in senibus quoque inueteratum malum, diuina ope corrigitur. Huius circuncursationis vtilitas ad ipsos quoque manauit curiones: qui, & meliorem ritum administrandi sacramenta, & decentiorem augustissimae asseruandae Eucharistiae rationem sunt edocti. Deus bone, quanta superest sylua expurganda. Sacellum ipsum, quo clauditur sacrosanctum Christi corpus, fuit alicubi à situ, & squalore repurgandum. quem pigeat laborum; dum in tantis tenebris christianae pietatis scintillae accenduntur? Quosdam in ijs locis ad concordiam reduximus, quos inter cognationis, & matrimonij coniunctionem dissociauerat dissidium animorum. Alius in proximo opidulo à mente deerrauerat. vt vinculis esset constringendus. obsessus à daemone putabatur. euocantur nostri: ipsorum aduentu conquieuit: hominem amicis verbis alloquuntur: aegrum animum subleuant: hortantur ad morbi molestiam aequo animo ferendam. aeger, siue diuino instinctu, siue intimo quodam sensu, spiritali sympathia, morbo medicinae praesentiam sentiente, alleuari visus est. pergunt nostri trahere sermonem, sperantes, quae adhibita prodessent, continuata sanitatem allatura: breuiq; scisciando causam insaniae eliciunt, nonnullam daemonis esse vexationem; sed multorum conscientia malorum ita aestuare mentem, vt de statu pelleretur: maeroris q; magnitudine in insaniam, & furorem ageretur. huic pellendo malo remedium vnicum esse docent, ac praestantissimum confessionem; quam ille dum facit, vt qui bilem morbum facientem vomendo sanantur; sic magna cum omnium admiratione

cione integrae restituitur tranquillitati. Hoc exemplo docti ceteri, idem adhibent antidotum, cum quid peccarunt, ne insaniant. ita in sacro Paschate viginti illo in opidulo, confessionis cognita virtute, haeresim ab sese abiecerunt. Revocatus est ad claustrum, vitamq; monasticam recipiendam suae religionis desertor, post incestas nuptias annorum quadraginta. dignus profecto miseratione, & magna etiam ex parte excusatione. itaque eius revocatio divino miraculo non caruit. Professus erat hic olim disciplinam in nobilissimo monasterio Valcruridensi ad radices montium Herciniorum: Vbi dum latius funderet se pestis lutherana: ipsum etiam occupauit monasterium. dilapsis monachis, hic quoque una cum alijs excessit: ductaq; uxore hortulanum multos annos egit. non tamen cum monachi professione, religionem quoque Catholicam deseruit; sed mansit in fide, vt ipsis quadraginta annis nulla se haereticorum contagione, nisi professione violata, fedauerit. monasticam vestem cum corona precatoria aroa inclusam diligenter semper, sancteq; tanquam suae tesseram religionis, custodiuit. Sperans aliquando fore, vt composita muliere, quam pro coniuge haberet, iam prope centenaria, ad suae religionis monasterium rediret. cum ecce tibi effracta arca, monastica vestis cum rosario ei furto subducitur. id ille signum ratus impendentis diuinae vltionis, haud vltra rem differendam putauit. Sed abruptis vinculis, quibus ipse se induerat, consternatus ad nos Heilingenstadium venit: orat sibi opem ferri; quo possit ante mortem se suae religioni reddere, & in monasterio vitae reliquum traducere. Est ille non suo quidem monasterio vnde exierat, sed quod commodius fuit, alteri eiusdem ordi-

ordinis restitutus: & nunc iam septuagenarius vitae finem praestolatur.

MISSIO Erfurdiensis.

MVLTA geri possent Erfurdij in vtilitatem animarum, multumq; catholica res promoueri, nisi nostri conatus coercerentur; vt in messem alioqui luxuriantem pro libito falcē immittere non liceat. Scholas nostras enim adire non nisi paucis permittitur, & conciones habere in templis prohibemur. quae vero, & in vrbe, & in agro praestari potuerunt, ea minime nostri neglexerunt, quin consueta Societatis nostrae munia obirent fructu nō poenitendo. Adiutae sacrae virgines in monasterijs; edoctae aliquae, quam ignorabant, veram sincere confitendi rationem: excitatumq; in ijs studium eam crebro vsurpandi. ad idem studium inducti alij. Decem totius retroactae vitae culpas eluerunt. totidem falsarum opinionum portaesi catholicam veritatem sunt amplexi. Inter quos asserebat vnus; dum inter haereticos dubius huc illuc fluctuaret, eos conscientiae cruciatus persensisse, vt voluntaria morte se ijs eximere aliquando in animum induxerit: neque ante serenitatem sibi redijsse, quam de haeresi euomenda consilium inisset. Et licet aduersariorum iniuria ita anguste nostra circunscribatur opera: quanta tamen sit nostrorum aestimatio, hinc licet intelligere; quod longo aliqui itinere, cum aliquo rei familiaris incommodo, clam se ad nos consilij causa contulerint. Reuocata antiqua supplicatio est, quae sexta quaque feria

feria à Pascha ad Pentecosten ad vetus templum extra urbem habebatur, & sicut alia omnia, haereticorum culpa obsoleuerat: breuiq; tempore ita coepit celebrari, vt subinde centum, ducenti, ac trecenti vtriusq; sexus illam comitarentur precabundi. ea pietate, atque ordine, vt quamuis in paruo grege, antiqua illa Germanorum pietas postliminio iam redisse videatur. laudares ordinem: bini aequato agmine procedebant; ea oris, ac totius corporis compositione; vt spectantes mire delectaret; cantuq. psalmorum omnia personabant. ad templum vt venium erat, solemne sacrum peragebatur: Missae sacrum concio sequebatur: eodemq; ordine redibatur in vrbem, sacris hymnis per vrbis plateas decantandis. Pupugit ea res animos haereticorum; edmq; in concionibus exagitarunt. quae illorum rabies tantum abest, vt catholicorum studia retardauerit, vt ad frequentia maiore eandem religionē repetendam acrius potius extimularit.

COLLEGIVM Molshemiense.

MOLSHEMII nonnulli inter haereticos educati, ac proximi naufragio religionis, periculo erepti: alij Ecclesiae restituti sunt. in his nouo euangelij minister; qui pestiferas de religione opiniones, quas cum lacte imbiberat, octoq; iam annos magno cum animorum malo docuerat, alias ante doctrinae conuictus inconstantia, hoc anno non catholicam solum fidem amplexus est, & orthodoxa professione praua dogmata eiurauit: sed etiam in Collegio nostro ad maiorem caelestium

do-

donorum copiam hauriendam aliquandiu se collegit, & catholico ritu Ecclesiae sacramenta frequens obiuit. Duo item adolescētes ab ineunte aetate haeresi concepta, nostra institutione eidem nuncium remisere. Statis diebus contio habita est in Alpruniano suburbano tanta tum catholicorum, tum haereticorum frequentia, vt templi angustiae multitudinem non caperent. ita ingenti contentione auditorum, & constantia fuit aliquando sub dio educenda. obita sunt etiam loca alia remotiora.

Vicus erat triginta plus annis alta haereseos obrutus caligine. hinc nostrorum assidua diligentia, non solum prauitatum, & errorum discussae tenebrae, sed etiam pertinaci labore concionum, & rudium hominum institutione ita illustrata veritas; vt redditus suus nitor tandem caelo videatur. reuulsae iam prope, ac deletae antiquae pietatis stirpes, Dei tandem beneficio reuirescunt. templi nitor, ornatus vestium, imaginum decor, supplicationum celebritas, reuocata omnia. in pompam vero, qua augustissimum Christi corpus eius die sacro circunfertur, quamuis inclemente caelo, vniuersa se Paganorum venerabunda turba effudit. incredibili rustici voluptate perfunduntur, cum obrutos iam, ac sepultos haereticorum improbitate longo interuallo vident catholicos ritus in lucem proferri. et, quod magis mirere in rustica turba, & recens ad Ecclesiam reducta, centum sexaginta diuino sunt ferculo refecti. tantoq; opere sua religione delectantur; vt spem non dubiam faciant in sententia manfuros: praesertim si eorum, qui excolendae vineae curam suscipiant, opera non deerit. Venere alij Obernhemium, Imperiale opidum, tanta gratulationis ciuium, vt cum diuturno morbo decumbenti pa-

parocho vicariam operam praestitissent, eo vita functo, non nisi quem Societas probaret, & qui ad diuinum cultum promouendum Societatis opera esset vsurus, dari sibi postularint. Explicatus est ibi catechismus: ad quem non ex plebe solum homines, & senatorio ordine, sed etiam ipsi Consules ventitarunt. libellos, quos tabernarij, & propolae pulchro ornatu ad inescandam plebem, venales exponebãt, ne quid veneni subesset, nostris recognoscendos, ac probandos tradidere. Rosariorum, agnorum sacrorum, piacularis aquae vsus ita nobilitatus, vt non viri, non foeminae, non pueri, puellaeue iam sine precatorijs globulis templa petant; sacraq; se respergi aqua cuncti gestiant. Puero ex edito loco in praeceps collapso sacri agni cera e collo appensa saluti fuit. Voluntate Illustrissimi Cardinalis à Lotaringia ea suscepta peregrinatio erat. Falsberga in primis adita, infame olim profugorum receptaculum, nunc vero in Serenissimi senioris Principis ditione sita, ministris adhuc verbi corruptoribus vtitur. huc, vt longa iam desuetudine, aut certe remissione sacrorum torpentes catholicos excitaret, lapsamque religionem restitueret, noster Sacerdos euocatus, hebdomade sancta, Paschae, ac Pentecostes ferijs multis adiumento fuit. octo ex haeresi extraxit: virum primarium nefarij hominis impia persuasione paene corruptum, atque ad caelestem medicinam accedere subdubitantem in fide confirmauit. Cum de Christi doloribus, neceque dici mysterio sacro concionem habuisset, Christi cruci suffixi imaginem vetere catholicorum consuetudine longo interuallo in his oris repetita, in templum intulit, humiq; positam cum prouolutus genibus adoratam exoscularetur esset, cunctis demirantibus,

tibus, imitati Sacerdotes omnes idem fecerunt, tam densis tenebris, & negligentiae caligine sacri obruti ritus iacebant. Munierunt se sacramentis per id tempus sexagintaquinque. Ex quo quanta sit spiritalium morborum grauitas, & multitudo, ex tam paruo numero validorum licet intelligere. quo magis piorum hominum preces, & diuinam medicinam res desiderat. Infans ad baptismum est allatus: non ante eius facta potestas est, quam sponsores, & se ad Ecclesiam redituros, & puerum catholica religione imbuendum curaturos promiserunt. Sedula non desit opera cultorum, non desit studium eorum, qui rem Deo precibus commendent, sperandum hic quoque religionem sua incrementa habituram; & qui nunc exiguus est, ingentem aliquando numerum futurum. Idem Illustrissimus Cardinalis cum dioecesim Argentinensem inspicere instituisset, initio ad collegiatae Ecclesiae canonicos à nostro Sacerdote hortationem haberi voluit; & vt antiquos ritus, cerimoniasq; Ecclesiae, quae superiorum incuria, & negligentia obsoleuerant plane, & exciderat, restitueret; ijs, quos ei muneri praefecisset, nostros adesse voluit, quorum illi consilio maxime, si qua in re opus esset, vterentur.

Aucti sunt hoc anno Collegij redditus. nam quinque sacerdotiorum vectigalia à Capitulo Argentinensi iam pridem nobis erant promissa. ex ijs sacerdotium vnum Collegio attribuit Decanus, alterum opera Ducis Bauariae Praepositus benigne contulit. Reuerendus praeterea Valentinus Agricola magna pietate sacerdos, & summa erga nos benevolentia suam liberalitatem cum alias multis in rebus, tum hoc tempore maxime erga Societatem declarauit. is ad emendum annuum vnum censum octin-

octingentos florenos Collegio assignauit, & in necessarios vsus ducentos dedit. Ducenti item alij collati aliunde.

COLLEGIVM Paderbornense.

A Scholis Paderbornensium salus, & ad Deum reditus expectatur potissimum: quae hoc anno, quod solito maior frequentia confluxit, laxandae fuerunt. in quibus quantum in vtroque studio, tum pietatis, tum doctrinae adolescentes proficiant, vel ex eo potest intelligi, quod sanctiorem viuendi rationem in diuersis religiosis familijs nonnulli iniuere. Et duo ex suprema classe rhetores, alijs locis qui ludis litterarijs praefint prodiere, & vt nunc est, cum laude suo munere funguntur. Adolescentes multi haereticis nati parentibus, ijs vel inscijs, vel inuitis scholas frequentant. in ijs Praedicantis filius, tum ne à nostra institutione accelleretur, tum ne quod religionis damnum faceret, exsulandum sibi paterna domo existimauit; ita vt ne patrem quidem in graui morbo etiam animam agentem adire voluerit. egregia profecto pueri indoles & satis firma in tenera aetate constantia. Alius e schola rhetoricae ad ius ciuile perdiscendum in ciuitatem haereticam ab haeretico patre ablegatus incredibili constantia in media haereticorum turba suae tuetur religionis integritatem: vt propterea irrisiones, & probra à petulanti iuuentute saepe perferat, quae ipse beneficijs, & quibus potest gratiae humanitatisq; officijs rependit: idq; praecipue nuper in condiscipulo contagioso morbo laboranti declara-

clarauit maxime: in quem omnia contulit officia caritatis. Studiose interim petit à nostris muniri se aduersus eas difficultates intentis ad Deum precibus. Alij ad signum Angelicae salutationis, quod obtemperarent in publico, scommata, & maledicta pertulerunt. quin etiam pugnis contusi quidam deterriti non sunt, quo minus religiosum obsequium praestarent. sed nimirum virtus etiam ab ipsis hostibus suam laudem extorquet, vel inuitis. ijdem illi irrisores, ac detractores veram adolescentium pietatem, & suam contumaciam fateri coguntur. siquidem in grauibus, periculosisq; rebus constituti eorum ipsorum preces adolescentium, quorum insectati sunt modestiam, & pietatem, vel infimis ipsi precibus deposcunt. quod subinde facere non dubitauit vnus e praedicantibus. Libros damnatos, aut suspectos nonnulli nostrorum censurae submisere. Crescant hae modo tenellae adhuc plantae, hisq; deineeps aliae succrescant: spes est ex ijs arbores in dies plures, & maiores in Christi Ecclesia propagandas: quod nuper in vno speramus contigisse. Occuparat impudenter Caluinianus concionator concionem, & pareciam in opido Burensi, quod est huius dioecesis. eum inde Reuerendissimus Princeps iussit abire. is fretus Baronis sui potentia imperium detrectabat. Baro interim Landgrauium Hassiae, aliosq; Principes ex vtraque religione pro Caluiniano deprecatores adhibebat. tanta tamen fuit Illustrissimi Episcopi constantia, vt Principum virorum petitionibus modesta satisfactione repudiatis, nequissimum nebulonem non modo submouerit, sed in exilium etiam exegerit; eumq; quem modo innui, catholicum Sacerdotem, spectatae probitatis virum, scholarum nostrarum alumnum

fusse-

stiffecerit. Deus vrandus, vt & multa insuper ex nostra officina prodirent, & huic, ceteris q. sopiam suorum bonorum largiatur, ad suam tum laude Ecclesiam regendam. Sed licet scholarum fructus maxime eniteant, non tamen agelli ceteri neglecti. supplicationes, sacraeq. Eucharistiae pompae intra, & extra vrbem nostrorum opera illustriores, quam vnquam antea fuere. in eos pueri angelorum ornatu, symbola passionis Christi praeferentes, prodierunt. Quibus comendis, & ornandis matres, quamuis haereticae, quo decentiores, elegantioresq. apparerent studiose contenderant. quae si nunc puerie in re sibi maxime inuisa, tamen blandiendo obsequuntur; non difficile facta fuerit cum se illi, & aetate, & religione corroborauerint, eas in re maximi momenti prudenter monentibus obtemperaturas. Sunt etiam puellae exergumenae spiritualia adhibita remedia. haec octo iam annos à daemone teneri dicebatur, quae, quo die adducenda ad nos fuit, omnibus capta sensibus, vibamq; omnem aspernans, horribiliter agitabatur: adhibitis tamen exorcismis, ad se redijt; manstiq; Paderbornae mensem vnum; & post sacra obita mysteria, diuino tandem beneficio domum libera dimissa est. E Frisia sacram illam supellectilem, de qua proximis litteris est scriptum, accepimus. bibliotheca fuit non spernenda, sacer calix, casulae duae holosericae, alinque nonnulla ornamenta. Non reticenda est clarorum quorundam virorum liberalitas erga nos. Illustris quidam Princeps falsae licet addictus religioni, nostrorum tamen aestimatione commotus, in aedificationem nostri templi quernum materiam bene magno numero, magni pretij, & pecuniae, quantum ipsum (sic ille loquebatur) paupertas in-

lit, admodum benigne contulit. Pictor Caluinianus nostrorum consuetudine delectatus, tota ferme aestate nostri Collegij templum gratis ferinsecus depinxit; coepitq; nostrorum colloquijs catholicam religionem adamare; atque in eam rem sinceros libros amare, lectitare, adeoque Societatem nostram suscipere; vt in Italiam iturus, ad pleniorem suae artis peritiam hauriendam, quinquaginta taleros nobis asseruandos reliquerit, quos ni reuertatur, se Collegio dono dare professus sit. tam bonam probi adolescentis mentem Deus pro sua bonitate pleniore gratiae suae lumine collustret. Sed omnium tum beneuolentiam, tum de nobis existimationem, ac liberalitatem erga nos Reuerendissimus Episcopus superauit, quod cum multis beneuolentiae signis, tum illo maxime facto declarauit. Caruit adhuc Paderbornense Collegium fundatore: immo vero ne proprium quidem habuit initio domicilium, sed in conducta ne, an attributa domo, eademq; ruinosa, ac perangusta, & quae vix sex è nostris caperet, inhabitauit. liberalitate deinde bonorum, ac praecipue canonicorum Cathedralis Ecclesiae, una cum domo laxiore, accessit etiam annuum vectigal: è quo familia non ampla sustentauit se, vt potuit, aliquot annis. Erat in vrbe Coenobiū Franciscanorum, loco opportuno, & salubri situm. id fratribus iampridem amotis, iure seu cessionis, seu venditionis, venerat in potestatem viri nobilis. Hic anno generosus Antistes, qua est in Societatem beneuolentia, & restituendae in sua Ecclesia Religionis studio, illud è viro nobili redemptum, eo consilio Societati attribuit, vt veteres demolitus commodiores, & nostris vsibus aptiores aedes a fundamentis excitaret: Huic coenobio adiuncta domus est

per

perampla cum amoenis hortis. Haec liberalitate Reuerendissimi Abbatis Monasterij Cistercienſis familiae, monachorumq. conſenſu ea lege eſt nobis attributa; vt cum in nouum domicilium immigrauerimus, aedes, quas nūc inhabitamus, in vſum Cisterciensium concedant. Interim ſpem facit Reuerendiſſimus Antiſtes integram Collegij fundationem ſuſcepturum. In hanc porro mentem illa hominem perpulit cogitatio, vt ex hoc Collegio, quaſi è quodam Reip. Seminario, piorum, & eruditorum virorum prodeant examina: qui ſincera imbuti doctrina, Eccleſiae reſtituant ruinas. occaſio vero, qua illius animum haec ſubiuit cogitatio, frequentes fuere de religione ſuſceptae diſputationes. Solet pius Princeps noſtros concionandi cauſſa euocare, quod cum facit, quam maximum poteſt virorum principum numerum aliorumq. nobilium à fide abertantium inuitat. in ijs omnium maxime propinquos ſuos: ſiquidem gratius ille habet nihil, quam cum iniecta de rebus controuerſis diſputatione, catholicam magna firmitate videt ſtare veritatem. Proxime vero à Dynaſta nobili rogatus, vt in ipſius filij Baptiſmo ſponſor adeſſet, cum ad laetitiam cohoneſtandam magnus principum virorum numerus conueniſſet, noluit Illuſtriſſimus Praeſul eam praeterire occaſionem, quin in conuentu aliqua de Religione concio haberetur, ad eam non alium voluit, quam Sacerdotem noſtrum adhibere; quem etiam admonuit, vt capta ex Euangelio occaſione, de ſupplicationibus, quas illi in primis oderunt, verba faceret. & cum alij fructus ex ea diſputatione collecti ſunt, tum ille praecipuus, vt Collegij anguſtias laxare conſtituerit, quo vberius ex eo, tanquam è terrena paradiſo in omnem ſuam Dioece-

Digitized by Google

sim salutaris doctrinae flumina, emanent. Ecclo igitur viti dictum est loco, & domicilio comparato, dies initio tantae rei faciendae dictus est, XVIII. Kalen. Iul. is dies est felicissimae illius electionis anniuersarius. Eo die ad clarissimum salutandum Antistitem, eumq. supplicatione ad Collegium nostrum deducendum, conuenere primum Collegij Patres: tum è studiosa iuuentute, cuius ille est amantissimus, optimi quique: postremo Cathedralis Ecclesiae capitulum vniuersum. hoc longo praeeunte comitatu, ad veteris domicilij templum ventum est; quod varia symphoniacorum, ac musicorum organorum harmonia personabat. Solemni cerimonia cantuq. ad diuini spiritus opem implorandam, diuina res peracta est. intererant praeter ipsum Praesulem, eiusq. Illustrissimam Sororem, & primariae aedis proceres, quatuor Abbates, vniuersa patriae nobilitas, Consules praecipuarum Vrbium, quae sunt in Dioecesi, alijq. viri conspicui non pauci. Re diuina peracta, ad vetus comparati coenobij templum in quo nouae aedificationis iacienda erant fundamenta, processum est; & circa coronae in morem consessum, tum à professore eloquentiae habita oratio in eam rem parata: huc docti pariter atque indocti, omnisq. aetatis incredibilis multitudo confluxerat. cum peroratum esset à nobilibus pueris è vicinia lapis, qui primus sacra cerimonia, sacrisq. precationibus in fundamentis locandus erat, magno plausu perlatus est; & cum eo lamina cuprea, in qua tota aedificationis series insculpta erat; nummiq. multorum generum ab ipso Principe eius rei causa excusi: in harum rerum singulas singula districha pronunciata. Peractis demum sacris precationibus, ipse auctor operis Antistes in fossam de-

scen-

scendit: suaq. manu lapidem composuit, tunc ingeminatus plausus, & facta acclamantium gratulatio: plausum elegans excepit carmen à Magistro humanitatis pronunciatum. hora una ante meridiem discessum. Prandium in Monasterio S. Benedicti sumptum: sequutum drama à discipulis, reique quae agebatur, accommodatum: in quo, praeter caeteros virorum nobilium manes, iamprideni ex humanis excemptorum, quorum in aperso templo, ubi tuens instituebatur aedificatio, cadavera condita sunt, in scenam prodibant, cum insignibus suae quisque familiae (& spectabant aliqui ex iis familiis) quererabanturq. se tandiu squallido in loco, & obsita sine honore iacuisse; suaq. pendum pedibus pratrita sepulcra obsoleuisse: illo demum die Caelestis sacrificij participes factos esse. Tum Reuerendissimum Principem ad cogitata perficienda hortabantur: uta res incredibili omnium voluptate peracta. Illustrissimus Praesul magnum eo die suae liberalitatis cepisse fructum visus est, nam in suscepto consilio confirmatus verbis amplissimis collaudato Societatis instituto, domum redijt. Non caruit miraculo quod accidit, felicium euentorum praesagium non obscurum. nam cum operae dirundis antiquis parietibus insisterent, unusq. instaret operi è nouis, repentina casu collapsa omnes, nulla laesi parte corporis, incolumes ad vnum extitere, vt ad communem diei gratulationem periculum tanta felicitate vitatum, tanquam nouae cuiusdam laetitiae cumulus accederet.

COLLEGIVM Confluentinum.

COLLEGIVM Confluentinum, sicuti iam inde ab initio Fundator multis studuit beneuolentiae argumentis amplecti, ita priora posterioribus cumulare non desistit: nam cum graui morbo, à quo magnum periculum timebatur, diuina tandem illum conseruante prouidentia euasisset, reparatae valetudinis primicias, ita Deo voluit offerre, vt cum beneuolentiae significatione coniungeretur erga nos: qui cum primum pedem domo extulit, ad nostrum templum vbi sacris interesset, venit. Idem per eos dies quibus vulgus maiore libertate genialiter voluptatibus indulget, inuitatis propinquis, primoribus Ciuitatis, & Consiliarijs in nostro Collegio, de Episcopali mensa non tam conuiuium dedit, quam suum erga nos amorem declarauit. Eius liberalitate Collegium decumas frumenti, ac vini cum alijs bonis in vico Suburbano coemit. Conciones, & magna auditorum frequentia, & magnis animorum motibus fuere. Accidit nonnunquam, vt qui in concione steterunt, ea dimissa, primum quemque obuium Sacerdotem compellerent, vt cum eo de animi vulneribus deliberarent. Disputatum est aliquando, quam sit pernicioſum, & exitiale, in periculis, & grauibus rebus ad arietorum, & sacrilegorum operam confugere: esseq; in difficilibus rebus spem omnem in vno Deo defigendam: multi maleficum genus hominum abegerunt. Femina nobilis, voto Deo nuncupato, incolumen filium recepit; qui graui casu pressus nulla humana

ne ratione ab exitio revocari posse videbatur. Alia filium maleficâ labe corruptum, in desperato morbo, & acerbis cruciatibus maluit remedio carere, quàm ad eum sanandum, diabolicis uti maleficijs, quae ultro pollicebatur is, qui se eius magiae peritissimum profitebatur. magnam etiam tum terrimo impostore sustinuit altercationem; eum ille nullam adolescentis morbo medicinam, nisi quod ipse pharmacum sacrasset, superesse affirmaret; idque importuna contentione parenti optimae feminae obtruderet. Huiusmodi vanis Aesculapijs aliae duae eum dedissent aures, cognita impostura, melioribus usae consilijs, quaerere coeperunt ab Ecclesiae sacramentis, quam in illorum praestigijs salutem invenire nequiverunt. Mitto complura, quae quotidiana sunt; & fieri necesse est, ubi nostrorum colonorum viget industria, & ager undique sentibus obsitus perpetuo repurgandi materiam suppeditat. Abrepta erat sacrilego ausu homini innocenti coniux: data est opera, ut redderetur, & cum ea maritus reconciliaretur. Multa eiusmodi sunt quotidie, quibus sensim quidem, & lente, aliqua tamen semper cum accessione, antiquae obducta religioni rubigo deteritur. excitantur longo veterna consopita studia catholicorum: antiqui ritus, antiquae religiones longo intervallo revocantur: templa obeuntur frequentius: confessiones frequentantur: & à castris haereticorum semper aliqui ad tuta se recipiunt. Renovata est terna supplicatio Rogationum triduo ante Christi in caelum adscensum, magno exemplo pietatis. eam tum viri Ecclesiastici, tum senatores, alijq; magistratus longo agmine, ac toto corpore ad venerationem composito procedentes celebrarunt; ut licet calenti Sole, dete-

sto tamen capite omnes incadarent. tanta reuocatis religionis fuit reuerentia. dicerem in antiquam illa Germania, quae fuit olim, aut in media quotidie barbarica ciuitate agmen ad doctrinae christianae tradendae quotidianus usus, nisi tabia coepisset incrementum, ut res nouae iam uideri possit, retineri permisset. Sed iam puerae, puellaeque tantae capit alacritas, ut illud studium pomeridianae lusitationi anteponant: ita cersatim ad catechismum accurrunt, ut natura duce, solet illa aetas ad ludum. puellis sexum, aut etiam nix dum quintum annum ingressis, in domibus, in compitis lusus est catechismo decertare: doctiores minus instructas informant: teneriores, & quae nix gressum firmare ualent, latari grauidis sculasum admouent, ut instruantur: quo possint in tempore magistrae interroganti respondere. Neque qui in hac arce solum, sed alij quoque huc profecti, tenacissimi sunt propugnatores ueritatis, biennium imagines praelia sustinuit acerrima quidem in orbe alias, sed hic praeceptis optimis munitus; cum & promissis inuitaretur ad perfidiam, & ludibrijs, minisque, tum ab aequalibus, tum à praestantioribus, atque adeo ab ipsis Dominis terreretur: in primis à tumidis inanis sapientiae doctoribus, futilibus impugnatur rationibus, quas ille facile contemnit, & uana illa scientia repressa nugaces eludit nebulones. quid si contumaces illi, & audaces uariamen cum docto uiro susceperint, qui ab imperito, & alienis tantum uerbis sapiente, tam facile repellentur? & quod maxime dolendum sit, ab eo genere hominibus nihili, lingua promptis, doctrina destitutis, ab omni uirtutum genere imparatis tota paene Germania, & quanta alia terrarum pars? in fraudem indu-

citur.

ceturi. Non pari felicitate haeretico cum coniuge huic procul aeruamen bona mulier suscepit. nitebatur illa quantum poterat, virum ab impijs sectarijs abducere; ac ne ad execrandam eorum coenam se conferret. maluit ille tamen Caluinianae satellitij, minis ad illam impietatem adigenti, obtemperare, quam recte monenti vxori auscultare: adit nefarium catum: fauces parat, torturco excipiendo feruenti: antequam plane diabolicus admoueretur panis, subita cohorruit; ac toto corpore, atque omnibus artubus contremuit: horrorem morbus excipit: magis, ac magis in dies ingraueſcit: monet studiosa coniux virum, obtestatur, summis precibus fatigat, se tandem respiciat: vnde in tantam calamitatem incideris, considerat: diuinam vltionem adesse sentiat; imminere iam vitae finem; cum Christo, & Ecclesia dum licet, redeat in gratiam. Ille nihilo minus aduitum ad se praedicantem orat, vt quando iam ad extrema ventum sit, cibum sibi asseruti qui expeditum ad caelum pandat iter. hominem umbra theologiae inflatum, & commentitijs sacramentis vanae assuetum, qui nihil certi in sua doctrina, nisi re nata subeuntes animo sententias sequeretur; negat eam esse theologorum consuetudinem: rem priscum olere morem, qui vt superstitiosus à sua schola reijceretur. Non videtur his ex Alexandrina D. Marci, aut Hierosolymitana Apostolorum schola Circumcisionem, & Mosaicae legis rudimenta confutare: denique ita tum discedit ab aegroto, vt qui praecisa negaret omnia. offensus ille ea contumacia, vertit sententiam meliorem animo versare, sed infelix, quod animo concepit, parere non potuit. in medio deliberationis hominem vita reliquit. Et fortasse precibus coniugis datum

diuis-

diuinitus, vt extremo illo tempore tanta contentione ingemuerit, vt omnium iniquitatum eius diuina bonitas non recordetur amplius. opera certe bonae coniugis, & studium non defuit. nunc illa operam dat, vt ex eo loco, quo coniugem sequuta erat, eo se referat, vbi diuini pabuli copia non desit. Itum est etiam in carcerem, destinebatur reus ob latrocinia, & facinora intoleranda infami morti destinatus. Popoſcerat is sibi ad animi sui expiationem Lutherani alicuius praedicantis fieri potestatem: sed pius vrbis Praefectus, melius illius voto consulens, pro Lutherano nostrum submisit Sacerdotem. actum cum misero haud longa disputatione, statim vt se aperuit religionis nostrae decus, incensus ille interiora cognoscendi studio, quaesiit, quae ratio esset rite expiandi animum: quae spes miseris ad aeterna bona consequenda. quae ille tam intimis sensibus percepit, vt iam sua sponte diuerum opem imploraret nominatim: in primis Deiparae Virginis, angeli tutelaris, & quem sibi eo tempore praecipuum delegerat patronum, S. Iacobi Apostoli. quae omnia solerat ante, vt anilem ineptias ridere. Et vere in homine illo licuit animaduertere, quanta suae gratiae copia se Deus in animas poenitentium infundat. Fatebatur eam sibi fuisse optandam fortunam, vt in catholicorum ciuitate daretur in custodiam; atque catholico ritu incer catholicos, quamuis cum ignominia noreretur; magis adeo quam in sua Ciuitate apud Heluetios, homines à catholica fide alienos, vbi auos, & proauos ex senatorio ordine ciere posset, honestissimae tradi sepulturae. Cum ad supplicia duceretur, incredibile est, quanta diuina voluptate compleretur, quam gratum se praeberet, secun-

dum

dum Deum suae salutis auctoribus; quanto sensu pietatis cum Deo loqueretur: ut impatienter quodam modo supplicij moram pateretur, prae studio, quo flagrabat, animam reddendi Deo. Sic divina miseratio perditae, ac profligatae vitae hominem extremo vitae tempore traxit ad se; ut cursus brevitatem contentione properandi compensasse videatur. Detinebatur eodem carcere femina magiae, ac veneficij convicta, cui magno cum dolore diabolicas artes detestanti per nostros à Reuerendissimo Antistite venia est impetrata: idemq; deprecantibus nostris, sontibus alijs concessum, moderatus siquidem Antistes pias preces, & nulla fucatas ambitione, facile admittit. quin etiam correctionis, quam poenae studiosior, aut haeresi infectos, aut alio scelere constrictos persaepe ad nos transmittit corrigendos. Laboratum est hoc anno molesta quadam lue, quae mortales non paucos extinxit. nulli petenti nostrorum opera negata: aegrotis, moribundis praesto fuimus; non domi tantum, sed etiam foris. Abbas Himmerlhodanus de nostra Societate multa liberalitate bene meritus Andernaci duobus hinc passuum millibus, eodem morbi genere occupatus consilium, & auxilium experiit à nostris. vtique repetere visus est, quod illi debebamus. sine cunctatione duo de nostris missi sunt, qui & aegrotanti inservierunt, & vt sacramentis muniretur, curauerunt; & morientis extremum spiritum Deo commendarunt: sepulturam etiam sacris, & concione funebri honestarunt. Recepisse aliquatenus videtur, quod annis aliquot ante contulerat in Societatem. Siquidem P. Ioannem Gobbonum Treuirensis tum Collegij Rectorem eodem morbo laborantem monasterio suo exceperunt, omniaq; in eum humanitatis,

& ca-

& caritatis officia praestiterat, & vita ibi functum honorifica sepultura, sepulchroque loco honestissimo in eodem monasterio dignatus erat. Grata fuere in vulgus haec nostrorum hominum officia, maximeque; nobis ciuium animi conciliati, cum viderent nostros nullis neque laboribus, neque vllis periculis ab ope egentibus ferenda retardari, neque fuit in Collegio, qui non vltro ad eam rem suam Rectori operam detulerit.

COLLEGIVM Monasterienſe.

AB vrſ, qui Monaſterij degunt, non pauca ad Dei gloriam, & hominum ſalutem facta ſunt. Ab haereſi abſtracti duodecim. Quidam quatuor vagatus annos multas ciuitates à religione alienas peragrarat, vt peſtilentiſſimas quaſque ex omnibus colligeret opiniones, ad quas tanquam ad colores, omnes polypus, ſic illa mixta varietate, vt cuique adhaereſceret, ſeſe effingeret. Hic tandem cum Monaſterium veniſſet, vnius e noſtris ſermonibus ita captus eſt, vt odioſam peregrinationem deſtitutus, certa tandem in ſententia conſiſtarit. Feminae duae ab impudico victu abductae: vna porro ex deplorata valetudine à confeſſione conualuit. Sacerdos per regionem haereſi penitus infectam iter faciens, in quendam opida, à eius primario olim Lutherano benigniſſime exceptus eſt. Tres ex eius familia auidiſſime iamdudum noſtrorum copiam, qui ſe docerent, expectabant. hos Eccleſiae catholicae aggregauit. Arctiorem pie viuendi rationem complexae nobiles aliquot virgines ad

alias,

alias, quae studia pietatis colunt, ardentius se adiunxere, mirante vniuersa ciuitate, & vitae mutationem, & frequentem sacramentorum usurpationem. Ex iis vnu, cum in Lutherano opido ad vetum sacris mysterijs vti non posset, clam immenso sibi comparato Monasterium se contulit: vbi magno virtutum omnium exemplo praeit Monasteriensibus puellis ad vitae sanctimoniam: nostroq; in templo cum alijs sacra mysteria frequentat: neque frequentat solum, sed quotquot potest ex aequalibus ad idem studium, eandemq; incitat aemulationem; in primisq; ad amorem aeternae pudicitiae. Quanta sit apud summos infimosq; de Societate (Deo laus) existimatio, vel ex eo non obscure intelligitur, quod nihil fere maiorum rerum geritur à ciuitate, quod non ante cum Societate communicetur. Erat in custodia reus, & sua confessione Magiae convictus, & vulgari omnium sermone infamis; & iam rogo destinatus. qui summae rei praesunt, ne sententiae iudicum praecipitarent, antequam in reum animaduerteretur, eius libellos nostris recognoscendos, & vitreas pyramidulas tres, e quibus daemon ciebatur, diffringendas exhiberi voluerunt. Accidit in eo iudicio illud memorandum ad insignem nouorum infamiam euangelistarum, quod reus eiusdem conscios sceleris, ut magis etiam, quam se diaboli commercio addictos ediderit ministros verbi duodecim: quorum est nomenclatura ad nos transmissa. insignis vtique numerus, & magna religione nobilitatus. vt ne in hoc quidem is, cuius in disseminando euangelio ministri erant, à sanctissimo veri euangelij auctore esset dissimilis; simiaeq. ingenium in hoc quoque appareret. Et quid mirum si omnem maledictorum

vinu-

virulentiam diabolici concinatores euomunt in nos? nec sane impune ijs fuisset, nisi mature rem subodorati, turpi fuga manus carnificis antevertissent. Hi nimirum audent Christianae Religionis zelum profiteri, & diuini verbi sibi propagationem arrogare. Data est etiam opera, vt publica potestate bibliopolarum tabernae inspiciantur; neque vllus in ijs prostare liber permittatur, qui sit pestilens. Quis vnquam haec ante nostrorum in hanc vrbem aduentum putasset futura? Sed haec maxima non sunt. si cum ijs, quae à scholis, & sodalicio Deiparae proficiscuntur, comparentur. Sed antequam ad illa veniam, pauca subiungam, quae superioribus adiungi non incommode possunt. Puella est in vrbe octennis cui panem poscenti bilosa mater, contra euangelicum paradigma, pro pane diabolum imprecata est. obsequitur deuotionis malus: confestim puellam occupat: eiq; laeuum crus intolerando comprimit dolore, vt illo niti fine acerbissimo cruciatu non posset. res erat in oculis totius ciuitatis. quare rogauit nos quidam e clari primoribus, tentaremus si qua ratione eo malo puella liberari posset. defertur ipsa ad templum: offertur eius rei caussa salutare sacrificium: sanctorum diuerum preces inuocantur: adhibentur exorcismi. haud ita multo interiecto tempore malo Sathana puella liberatur: & quae cum suo cruciatu per alienas manus ad templum allata erat, omnis doloris expers, Dei beneficio, suis pedibus domum regreditur. Deo laus. Haec aliaq; huiusmodi, quae subinde eueniunt, magnam afferunt Ecclesiae auctoritatem, catholicis laetitiam, dolorem aduersarijs, & Societatem quotidie faciunt ciuitati cariorem. Venio nunc ad scholas, quae frequenti ad-

admo-

admodum, & honesta sterent iuuentute; eaq; de ijs fama dissipata est; vt ab vsque Prussia attraxerint auditores. quo fit vt & incognitorum, & alienissimorum hominum concilientur nobis voluntates. Ex ijs qui ab errore ad veritatis lumen emersere, duo fuere adolescentes, vterque ministris parentibus natus, alterum pater ipse misit ad nos; quod ipsum iam adultum prauos mores dedisceret vellet, quibus domi erat assuetus. alter, audita fama de Monasteriensi ludo, clam profugit ex patria: vterque autem tanto studio Romana dogmata persepit, vt patriam, patriosq; ritus detestetur. Aliud ex nobili familia, in patria Lutherano dogmati innatus, & assuetus, annum integrum versatus est in nostra disciplina: neque vllis magistrorum hortationibus ab ijs, quos imbiberat erroribus abduci potuit; vel quod parentes reuereretur; vel quod sibi theologiae imperito, laqueis argumentorum insidias fieri suspicaretur: haesere tamen illius animo dubitationum aculei, quos magistrorum monita, hortationesq; infixerant. is facta intermissione studiorum, rediit ad suos: suasq; dubitationes ad praedicantes & ministros detulit, ratus illorum doctrina reuelli posse, qui se vrgebant, religionis scrupulos. sed cum intelligeret eorum hebetiora esse remedia, quam vt aduersus catholicorum tela stare possent: eorum sapientiae diffisus, cum in repetitione studiorum rediisset, se totum bonorum magistrorum doctrinae permisit refingendum. Fuit qui à parentibus longa importunitate extorsit, vt cum statutis ab Ecclesia diebus, vetitis cibis domestici ceteri vescerentur, sibi ac paedagogo legitimi pararentur. Alius religiosa pertinacia plus est assecutus. nam cum sex ipsos menses in eodem insti-

tuto

tuto permansisset, parentes familiae variis, quod tam crebro duum generum edulia domi parandi essent, ad extremum manus dedit; Ecclesiasticamq; observantiam toti familiae indixit. Neque vero quandiu in nostra disciplina sum, in retinenda pietate strenui, postquam ex ea excessere, negligentes sunt, quosdam eorum à scholis dimissos parentes tenues opificijs addixerunt, hi cum opus festis diebus ipsis indiceretur, constantissime recusarũt, magisq; catholica instituta tenuerunt, templa frequentarunt, sacris rebus interfuerunt, poenitentiae, atque Eucharistiae sacramenta obierunt. Discesserat alius in Daniam, vt negotiandi arti assuesceret. incredibile est, quot modis adolescentis constantia sit exagitata; & quanta cum gloria praeliorum omnium victor extiterit, qui postea reuersus in patriam, laetus ad veterem sacramentorum consuetudinem se recepit. Sed admiratione in primis digna est Parthenionum virtus. Est ex eorum numero vir summo loco natus, qui assidua nouissimorum meditatione se ipsum semper maiorem ad pietatem, & sui ipsius victoriam incitat in dies. corpus horrido cinctu apprimit; & bene saepe ad mensam epulis instructam, rigidam sibi esuriem indicit. Alium pellexerant amici, vt sacerdotium in suam fidem reciperet, tantisper, dum puer, cui illa emolumenta quaerebantur, ad maturam veniisset aetatem. Sponsione facta, se puero, cum sacerdotio maturuisset, concessurum. eiusque sponsionis ijs, qui pueri rem procurabant, Syngrapham dederat. is postea quid fraudis ineßet in ea re edoctus, sponsionem reuocauit: Syngrapham repetijt. cumque illi sui nefarij iuris tenacissimi tergiuersarentur; maluit omni illo emolumento se priuare, quam his con-

scien-

scientiae vinculis teneri : itaque se omni iure, quod in sacerdotio habuerat abdicauit. Duos pio argumento dedare dialogos; quorum alteri humanissime interfuit Limonum Episcopus cum nouicis. Semel etiam in scenam induxere de Rosarij mysterijs pium, ac festiuum cum personato praedicante colloquium. quae sodalium actiones, & doctrinae documenta, multos excitarunt ad eorum sodalicium expetendum. ita ut ex interiore vsque Saxonia viri duo doctissimi, suae patriae decora, in illud se adscribi postulorint. quod in altero fuit adhuc maioris admirationis, quod praeter generis nobilitatem, splendido etiam publici muneris honore emineret; & a prima infantia Protestantium veneno imbutus erat. minimum sensim sitiscit haeresis; & nemo fere non agnoscit veritatem, si modo copia suppetat eorum, qui sincerum fidei lumen tenebrarum inferant vmbraculis. Vrebat nostrarum scholarum splendor tam felicibus incrementis, cum alios finitimos ludi magistros ex haeresi, tum Caluinianos professores in opido vicino, à toparcha item Caluiniano conductos. qui licet peramplum, ac recens extructum gymnasium haberent; magnaq; iactantia, & ostentatione profiterentur se nonsuetosue disciplinas philosophiam, Theologiamq; (si diuis placet) ac iuris prudentiam explicaturos; nondum tamen tantum numerum corrogarunt auditorum; qui cum frequentia nostrorum posset aliqua parte comparari. Proxime, vt nouam gratiam colligerent Vestphalorum, ex lacu Lemano accersitum Bezae discipulum magna verborum iactantia venditabant. qui e primaria cathedra tartareum fumum e Caluini caminis exhalantem, quem illi Theologiam esse mentiuntur, effundorat. & quo ma-

orem rei faceret expectationem theses de vniuersa philosophia, & suae sumo theologiae, deq; Eucharistia praecipue proposuerunt. Sed abijt omnis ille apparatus in fumum, & risum: quod & aduenas Geneuenses ob nequitiam odisset opidani, & constaret positiones illas partim ex Bellarminij nostri libris, praeterita solutione, corrasas esse: partim e Schorijs Caluiniani catechismi ferruminatas. Sed illos frigere sinamus: nobis diu liceat diuina frui beneficentia; & Ecclesiae ruinas in his locis quantum valemus, restaurare. non enim studia solum habemus iuuentutis; sed vniuersae etiam ciuitatis erga nos beneuolentia in dies augetur. nam noua templi aedificatio, quae ob temporum difficultatem abiecta videbatur, cum ingenti piorum, atque haereticorum admiratione paene ad finem adducta est: non parietibus tantum absolutis, sed tecto etiam imposito. in eā rem dono, eleemosinae nomine, dati nobis quater mille trecenti taleri Imperiales: in alios praeterea Collegij sumptus centum, & triginta. & haec potissimum pia liberalitate Serenissimi Electoris Ernesti, Nobilium Cathedralis Ecclesiae canonicorum, aliorumq; Prouinciae Praesidum, qui pro Serenissimo Ernesto regimen tenent. Quin ex ipsa haereticorum turba ciuis bene notus cum tanto incremento aedificationem crescere videret, laterum duo millia de suo conuehenda curauit. Deus orandus, vt hanc eius liberalitatem ea re compenset, quae ad eius animi salutem potest esse maxima. illa maxime optanda, vt aliquam miser ex eo templo capiat vtilitatem. Reuerendissimus quoque Otho à Schenchinge, Liuoniae Episcopus cum ex vrbe in patriam rediens Monasterij apud cognatos nobiles substitisset, vt opportunitatem itineris

moris expectaret, multis, & luculentis argumentis se Societatis amantissimum declarauit. nam ad cetera beneuolentiae signa in celeberrima vrbis parecia, rem nouam in his locis in tam graui persona, mirante ciuitate, Patri Rectori confitori voluit, eodemq; in templo, nostro sacerdoti sacris operanti ministrare: exemplum profecto non vulgare pietatis: vt cum cetera his signis respondeant, non sint à tanto Antistite non optima quaeque expectanda. Idem ante discessum praeter casulas duas, taleros etiam centum Collegio reliquit, vt valde nostrae egestati opportunos, ita optimi Praesulis animo, eiusq; Ecclesiae optamus esse salutares. Sunt circumquaque in hac plaga Episcopatus, nec pauci, nec ignobiles, densissimis haeresum spinis vndique obsepti: in quibus vix est reperire hominem sanum in fide. In his Cathedralis cuiusdã Ecclesiae Praepositus est vir neque antiquo stemmate clarus, atq; eximia in Deum, Deiparamq; pietate: & in quo secundum Principem Episcopum maxima est auctoritas in his locis. Huius parentes haeretici sacellum, quod in gentilicia arce habebant, in thalamum verterant. Et (vt hoc quoque diuinae Prouidentiae documentum, praeter rem, narretur) cum huius patris vxor eodem in thalamo parturiret, nec posset vllo nisu fetum edere, vrgentibus acerbissimis vteri doloribus, ac prope ad interitum eam adducentibus, interuenit, qui moneret causam tantae difficultatis esse sacelli profanationem; neque esse periculum euasuram, nisi inde cederet. profuit ea monitio ad praesentem dumtaxat occasionem. nam lecto inde translato laborans puerpera liberata est. Ceterum quo ad religionem, res hactenus nihilo factae meliores, in hac familia natus, & dis-

inter has tenebras nutritus ad Praeposituram fumo Ecclesiae euectus est is, quem dicimus. hic nulla catholicorum consuetudine, nullo sermone, sola Dei miseratione tanquam filius Abrahae susceitatus e lapidibus, cum catholicorum libros aliquos perlegisset, sensit se longe à via aberrasse. diuinaeq; voci interius vocanti obsequutus, superioribus annis nostros adijt; seq; apud ipsos expiauit. Ex eo tempore pius Antistes, tactus diuini honoris amore, & salute animarum, non destitit religionis interitum inter suos populares deplorare: ac de ea restituenda, aut saltem pauculis fidei reliquijs tuendis cogitare. eiusq; rei causa coepit ad nostra auxilia respicere; nostroq; ad opus multis precibus aduocare: sed in tanta nostrorum paucitate, tamq. operosa ciuitate non potuit sine magno Monasteriensium rerum detrimento studiosissimi praesulis votis satisfieri. itaque res semper in commodiora tempora dilata, ad extremum quadrigis cum litteris missis, obsecrauit, ne sua postulata differremus amplius: & qui tanto cum vitae discrimine, toto diuisos orbe Britannos, Indosq; remotissimos adiremus, finitimis populis, ac paene gentilibus nostris, sine vllo periculo, opem ferre ne grauaremur. Missus est vnus: sed non nisi in paucos dies mitti potuit, qui virum offendit secundum cor Dei, & vere lucernam ardentem in caliginoso loco. exceptus ab ipso ea, qua par fuit, & humanitate, & laetitia excipi hominem tam auide expectatum. ab eo deductus in sacellum est, quod ipse post affusam sibi diuinam lucem, in pristinum decorem restituendum instruxerat; magnaq; eius laetitia sacris operatus. Peracto sacro superuenit Caluisianus minister. Praepositus, qui eum cum sacerdote nostro co-

mittere

mittere optaret, hominem ad prandium inuitat. homo vafer, qui intelligeret cum Iesuita sibi rem futuram conflictis cauſſis, calide congreſſum declinauit. Actum eſt inter eos, quoniam angustiae temporum aliud non permittebant, de ratione suae Ecclesiae sanandae, & quae tam altis religionis vulneribus remedia possent adhiberi. Tam Sacerdotem noſtrum ad Collegium Virginum nobilium aliquot paſſuum millibus deduxit. Virgines ipsae Lutheranae omnes: & cum paucis ante diebus essent Rectore destitutae, multi lites ingemebat promisſit eam Praefecturam ambirent; in hunc tamen minime cogitantem, virginum omnium ſuffragia diuino plane nutu conſenſerunt. cui ille electioni ea potiſſimum annuit ratione, quod ſperaret in illud coenobium veterem disciplinam religionemque poſſe reſtituere. Erant in eo clauſtro diuina, & humana omnia perturbata, & corrupta. Satellam in balneum mutauerant. ruſticis, qui vicum incolunt, a fide erant alieni. nullus Dei cultus, nullum fidei veſtigium, omnem illi eram, cogitationemque eo conſulit; vt Virginibus, agricolisque fidem, templo veterem honorem reſtitueret. & domi quidem diſtrum habuit ſacrilegum balneum, priſtinamque vitorem reſtituit ſacello, vt haberet ſibi excluſum ad audiendum idoneum rei ſacrae faciendae. ſortis vero alia tentare periculoſum in praeſenti viſum eſt, quod obſtaret optimis viri ſtudijs tumultuoſi formido vulgi, catholicorum penuria Sacerdotum, & loca circumquaque haereticis referti ſſima. communi igitur iudicio viſum eſt in re tanta progrediendo eſſe pedetentim, obduratoſque animos omni prius officiorum genere demulcendos, agreſtium praeſertim: nedum calide nimium praecipitando vox

dia, quæ sunt hominum ingenia duriora, eo magis si exasperentur, etiam quæ proposita sunt ad sanitatem corrumpantur. Ex tempore igitur, & occasionibus, quas subinde Deus dabit, consilia esse capienda. Plura profectione illa, quod maturus esset ad Collegium reditus, fieri non potuere. Spes tamen est optimi Præsulis studia, & hoc in loco, & in toto illo tractu ea, quorum iam semina iacta coeperunt, aliquando fructus suos paritura.

RESIDENTIA Embricensis.

EMBRICAE adhuc nouem commorati sunt: hoc anno decimus est additus magno cum Christianæ rei fructu operæ ponitur. census alendis omnibus non sufficit. Sed diuinam experimur providentiam in amicorum liberalitate, vt non modo nobis nihil desit; sed in futurum semper aliquid supersit. neque vnus, aut alter, pauciue; sed student fere omnes de nobis bene mereri. Quidam moriens præter filium, quem iam ante Societati dederat, nobis florenos quadringentos testamento legauit, alius item centum. Cancellarius quoque Principis Cliuiae non vulgari liberalitate fuit erga nos: nam præterquam, quod in rebus omnibus, cum se obtulit occasio, fidelissimum se, ac beneuolentissimum amicum præbuit; sæpius nostros per infesta loca iter facientes tuto deducendos curauit: neque solum hospitio sæpius excepit humanissime, sed etiam viatico instructos dimisit. Sed est operæ pretium viri alterius de religione optime meriti, nec pietatem hic aspera multa ob catholicam religio-

ligionem multos annos perpessus, hoc anno demum in hanc urbem tanquam in portum aliquem se receperat. Sed foeda quadam tabe prope consumptus, huc videtur confugisse, vt inter nostrorum manus animum Deo redderet. huic in morbo gratius nihil erat, quam à nostris hominibus inuisi quam saepissime. cum quibus longos sine defatigatione, ac magna cum animi sui laetitia sermones trahebat. omnis illius cura, cogitatio; in re Christiana promouenda versabatur: eiusq; rei caussa munuscula subinde mittebat pueris in catechismo concertantibus: nonnunquam etiam pauperum discipulorum pecunia, rebusq; alijs egestatem subleuabat. nam ita diu, postquam huc venerat, inueterata illa tabes hominem exedit. Supremis muniendus sacramentis, obsoleta per longa tempora in his locis consuetudine, sacrosanctam Eucharistiam praelatis facibus sibi voluit afferri: vt hoc exemplum pietatis ciuibus imitandum relinqueret. nostri ad extremum vsque spiritum morienti assuere. Est & reliquorum ciuium laudanda pietas, atque vtinam tantis illorum studijs operarum paucitas sufficeret. nam cum multo plures, quam antea, ad confessionem accurrant; scholarum occupatione sacerdotes persaepe prohibentur opem ferre flagitantibus. Sub Paschae tempus expiati per nostros, plus mille. sacellum habemus ad sacramentorū administrationē in aede S. Martini. In eo per idem tempus communicarunt bis mille ducenti; cum tamen ij, quibus solemne est nostris confiteri, ob loci angustias in suis parochijs soleant suas synaxes frequentare. neque vrbanis solum praesto est opera nostra: sed multi etiam ex circumiectis haereticorum terris ad nos sacramentorum caussa conueniunt. Militan-

quidam praedonum more viuentes per licentiam belli excursione facta in Brabantiam, Sacerdotem senem ex coenobio S. Francisci Louaniensis captiuum abduxerant: cumq; non longe Embrica iter facerent, rogauit praedones senex, vt se in vrbem introducerent, si forte à catholicis tiuibus aliquid sibi opis afferretur ad se redimendum: introductis praedonibus in vrbem publica fide, miserum quoque senem introduxerunt. eum statim magna turba tum catholicorum, tum haereticorum circumsistit, miseram conditionem in tam grandi aetate miserantium. quauis ille statim e nostris vnum aliquem accersendum, qui cum venisset, ac de illius conditione cognouisset, pro communi ad omnes caritate, ac praecipua religionis coniunctione misericordia commotus, circumsistentes catholicos hortari coepit ad benignitatem, vt de suo quisque id conferret, quod ad miseri senis leuandam calamitatem satis esset. cum profecto quisque symbolum conferret, non tamen ea pecunia conflata, quae militum cupiditati responderet. itaque iam abibant captiuum redimentes. Enimuero indignum rati catholici, eam sibi bene merendi occasionem eripi, Sacerdotemq; Catholicum affecta in aerate hominem, virumq; religiosum in tanta miseria deserere, quauis cum militibus deuidere conditione constituunt. pacti igitur cum eis, quam sibi voluere mercedem, datoq; praede mercatore loco pleto, captiuum eximunt vinculis. tantaq; pecuniae collata est, vt non modo libertatis pretium conficeretur: verumetiam ad nouas ei vestes conficiendas, viaticoq; Louanium vsque instruendum satis esset. ita horum ciuium pietate nostrorum opera è miseranda seruitute homo illa calamitate indignissimus ereptus est. Octobris mensa venit in

hanc

hanc urbem Illustrissimus Princeps Auriacus, Philippus, vir tum Comitissa Burana severe colloquium haberet. eius videndi caussa ex vicinis Hollandorum praefidijs milites, praefecti, confluxere. ipse, ut omnibus testatam suae religionis sinceritatem relinqueret, quotidie ad nostrum se contulit sacellum, plateis spectantium turba refertis; & sacro Missae genibus nixus interfuit: magna item spectantium turba sacellum obsepiente. Antequam discederet, nos invisit humanissime: singulos; consalutavit: gratam sibi fuisse tum promptam, & obsequentem nostrum in sacris rebus operam verbis amplissimis significavit. oblatos sibi a discipulis nostris versus excepit peramanter; usq; se multum delectari pronunciavit. Sed quando discipulorum facta mentio est, eorum est probitas tanta; ut si nihil aliud perceptum esset, nunquam tamen operam, quod in hanc urbem venerimus, iudicari possimus. Eos in classes tribuimus quinque. sunt autem omnino ad trecentos: plures utique futuri, nisi commune totius Hollandiae consilium decreto vetuisset, adolescentes eius ditionis in nostram venire disciplinam. minuunt etiam magna ex parte numerum bellorum tumultus. hi tamen magnitudine fructus compensant paucitatem. Sunt plerique maxime dediti pietati; ut nos suo ipsi contenti fructu, quae hauserunt documenta pietatis, cum alijs eorum rerum inscijs communicent, quod tum maxime faciunt, cum per dimissiones Hollandorum in patriam reuertuntur, parentes, & ipsi rudimenta fidei instituunt: a iuramentis, et exsecrationibus exterrent: audita in scholis exempla, & praecepta referunt; confitendi rationem edocent; sacri ritu audiendi religionem inijciunt; a nouitijs quos reuocant, ipsi nulla ratione ad

eam

eam sectantium adduci sinunt. an non hoc est catholicam religionem propagare, & quasi à veteribus plãtis nouas propagines infossas educere; atque his tenellis plantis sensim in priuatorum familijs, quasi seminaria facere religionis? hi nempe vsque eo ex nostra disciplina proficiunt; vt etiam haereticorum conclusiunculas eludant. Puer feriarum tempore in patriam reuersus sexta feria illatis mensae carnibus abstinebat: cum ad eas inuitaretur: minime, inquit ille, non enim à meis hoc didici magistris. atqui, subijciunt, caro res mala non est: certe respondet puer: sed neque pomum malum erat, quod Adamo, totiq; hominum generi mortem attulit. Quo responso victi tacuerunt. Alius simili argumento non modo ancillae, ad idem genus epularum inuitantis procacitatem fregit: sed eam quoque ad catholicam religionem conuertit. Possent exempla huiusmodi sexcenta proferri, quae longum esset recensere. sed vnum illud lepidum non praetoribo. Angli milites aliqui nostrum templum ingressi pueros vident precationi operam dantes. forte vnum ex ijs iubent precationem Dominicam pronunciare. cumq; ille dixisset: Pater noster qui es in caelis, interpellant illi: Cur ergo eum adoras in altari, si fateris in caelo esse? & ta, festiue subijcit puer, mihi vicissim, pronuncia symbolum Apostolorum. dicente, Credo in Deum patrem omnipotentem: subiungit puer: Tu quoque si fateris Deum esse omnipotentem, cur negas eodem tempore, & in caelis esse, & in altari? hoc inopinato responso attoniti abiere. Qui alterum annum in classe rhetoricae ponunt, ij quotidie vna hora ad dialecticam disserendi rationem exercentur: thesesq; aliquoties earum rerum, quas didicerunt, in ornatu

pri-

primariorum virorum confessu, magna cum ingenij laude defenderunt. Ex iis plerique optima indole, & egregijs naturae dotibus instructi, Coloniā se ad studia philosophiae contulerunt, magna proferum gratulatione, nostram industriam collaudantium: qui ex hoc quondam celeberrimo doctorum virorum seminario, longo interuallo ingenia excitare coeperimus; quae doctrina exculta reipublicae aliquando utilia futura sint.

RESIDENTIA Hildesiensis.

HILDESII si unquam antea, nunc cum maxime spes est magna rerum bene gerendarum. nam si res aduersas spei nostrae ancoram firmius affigunt, eas procellas tempestatesq; subiuimus, vt propius nil factum sit, quam vt furore concitati populi, aut trucidaremur, aut vrbe extermi naremur: nec fere quidquam suppetit relatu dignius, quam sedum illud periculum, quo aegre perfuncti sumus. Anno superiore cum Deo bene iuuante docendi fecimus initium duabus Grammaticae scholis; reliq; litteraria satis secundo cursu procedebat, cum magna Societatis existimatione. Ex eo Praedicantes sibi, suaeq; sectae perniciem timentes, frequentes coire, conferre consilia, conspirare inter se, vt & scholae subuerterentur, & nos ex vrbe pelleremur. Huic conspirationi caput erat Henricus Heshusius, malo corui ouum pestilentius est enim Tilmanni Heshusij filius, eius qui ita turbulentis fuit ingenio, vt e septem ciuitatibus, ad quas, ap pulerat, ob turbas excitatas, exurbatus sit. Huius

filius

filius Henricus, vt haeres nequitiae, ita ingenij turbulentia non inferior, ad eam opinionis famam, & auctoritatem peruenerat, vt Praedicantium praeses (Superintendentem illi vocant) fieret. hic Princeps consilij eam rem sibi confitendam susceperat, promiseratq. se facturum, fretus fortasse ingenij sui violentia, vt non ante caput suum molliter cubaret, quam Ciuitate Iesuitas eiecisset: sed placuit Praedicantium consilio, vt qui nouorum remediorum ignota in vilissimis capitibus experiuntur, rem prius tentare in Iudaeis: vt quantum lingua possent, inde aestimarent. Forte e Iudaeis vnus vxoris demortuae sororem acceperat in matrimonium. id vero alienae festucae, trabe ipsi oppleti, detractores, indigne ferre: verbis castigare: & qui non magis Christiani, quam Iudaei diuina, humanaq. iura omnia peruerterent, repente tutores legum facti, Iudaeos ad Christiana iura reuocant: clamant ex omnibus cathedris, incestas esse nuptias, offendi Christianos, tantum nefas esse in vltimas terras amandandum; eos coniuges, tum Iudaeos omnes hoc, aliisq. sceleribus ex vrbe eiciendos. non vacare culpa magistratus, si tantum nefas tolerent in Ciuitate. Attexitur huic tragoediae, quo maiore ci Ciuitatem adoriantur, ex eodem loco altera fabella. Iudaeus adolescens homo peditus, & fraudulentus, qui superiore anno Heilingenstadij simili fuco catholicis imponere tentauerat, ab iisq. reiectus ad haec monstra profugerat; postulabat ab Heshusio Christiana scilicet imbui pietate; eumq. perhumaniter Heshusius in suam susceperat clientelam. cum ecce tibi paulo post tenella Christi planula ab optimo culta colono, furti nomine conuicta damnatur ad suspendium. Pergunt nihilominus

prae-

praedari sedicionum artifices telam pertexere, quam exerfi erant: & Iudaeus siue mortis, si quomodo posset; siue salsum acerbiorum cruciatuum redimendorum causa, in suscepta simulatione pietatis persistere: & Superintendens Heshusius studio Christianae religionis augendae, atque ad Christi gregem lectissimam hanc oviculam adiungendi furacem neophytum fouere, & informare. in primis vero, vt optimis Christianae pietatis rudimentis imbuat, hominem subornat, vt crimina atrocia contra suos Israelitas confingat: vt eo facilius ex vrbe exturbentur. nempe theologiae columina homini iam morituro, super cetera scelera, hac quoque redintegranda iniuria ad caelum iter expediebant. Denique res cecidit ad votum Praedicantium. Primum Iudaeus antequam duceretur ad supplicium, in publico Theatro ab vno Praedicantium aqua abluitur, astantibus ministris reliquis cum aeditimis, & sacra turba malignantium: deinde Iudaeorum synagoga non expectato iussu Pharaonis à nouo Alcimo prodita, & violenta Heshusij oratione (erat enim ad eiusmodi seditiones appositè factus à natura) multorum criminum ad circunfusam multitudinem accusata, paulo post eijcitur. & ille male circunciſus, sacrilege baptizatus, à Lutheranico lauacro ad iudicum subsellia, inde comitantibus sanctissimis nequitiae ministris ad patibulum deductus, cum caelum versus gradibus ascenderet, repente in aere subsiliens, lucibrio ventis relinquitur. Res tanta felicitate gesta auxit animos Heshusio, & ceteris eiusdem consilij vespertilionibus. & iam suis viribus confisi, seditiosè in Iudaeorum causa periclitatis, eadem arte, venene scilicet linguarum, quo nullum maius malum.

malum, praesertim ad plebeni imperitam, & aliquā corruptela depraūatam, aggrediendos sibi ille Iesuitas statuerunt. In concionibus omnibus atrocissimis nos onerant calumnijs: clamant Rerumpeuersores, Regum interfectores, incendiarios, nomine catholicos, reuera sectarios nouos, ab Imperio Romano haud receptos, ideoq; nulla terrarum parte tolerandos. Nostri tum pro concione ad sui defensionem nihil afferre: illi nostrum silentium adhuc magis criminari: homines nos esse versutos: astute facere qui & tacere, & dicere pro tempore sciremus. Nostri rem ad Serenissimi Hernesti Consiliarios, in cuius administratione ciuitas est, deferunt. queruntur iniuriae acerbitatem. hi uni in tanta turbulentia nobis propicij fuere. illi accitum consulem priuatim, & amice monent, vt effrenatam ministrorum petulantiam cohibeat; nec sibi persuadeant, eandem fore caussam Iesuitarum, ac Iudaeorum fuit. Consul qui nihilo minus, quam ministri, nobis esset infensus, satis aperte declarat, neque in catholicis nos esse habendos, neque in ciuitate tolerari posse. Consiliarij, qui scirent aliquot annis ante contra Collegium Spirense, ac Fuldense similes turbas excitatas esse, & seueris Imperatorijs edictis repressas, horum edictorum exempla mittunt ad senatum, monent vt in officio contineant Praedicantes. Simul quaerunt, qua ratione Imperatorijs sanctionibus obediant: quibus securitatem tam catholicis, quam protestantibus iubentur praestare? Senatus non minus, quam Praedicantes in nostram perniciem consentiebat. itaque nullum inde responsum auferitur. apparebat non obscure, certum discrimen imminere: occasio tantum quaerebatur: ea tandem oblata est. Duo ciues in ditione

Re-

Reuerendißimi Praepositi ob delictum comprehensi ab ipsius ministris, in liberam custodiam dati erant. Consul Ecclesiastici iuris non amator, quasi ea re de ciuili iure aliquid detraheretur, portas vrbis occludi iubet: Senatum cogit: refert de duobus uinctis liberandis. triduo portae clausae manent. interea rumor vrbe tota dissipatur, capiendos esse nostros, & vrbe exigendos. Nouo incunte anno iussu consulis mane ciues omnes per tribunos sigillatim ad forum euocantur, quod non nisi in grauissimis periculis, ac raro sine ferro, & sanguine fieri solet. cum tamen ad eam componendam controuersiam tanta molitione opus non esset; & essent faciliores rationes aliae complures. Sed illi eo rem deducere volebant, vt collecta multitudo sua sponte inclinaret, quo impellere ipsi saluo iure non auderent. Dum haec fiunt, vnus e lictoribus, qui paullo post, propter flagitia comprehensus extremo supplicio affectus est, petulantes quosdam pueros in aedes nostras incitat. illi adiunctis famulis aliquot opificum, lapidibus, fustibus, signisq; in nostras fores, fenestrasq. barbarico bacchantur insultu. eodem impetu vicini nobis Doctoris Henrici Vinichij, primi hospitis nostri domum adoriuntur: valuas cardinibus reuellunt: irrumpunt in tecta: tumultuose nonnulla e domesticis eius rebus diripiunt. Nostri intra parietes se continere; Deo se, suaq; commendare; repagula tantum foribus obijcere. stabant e regione multi, non modo eius tumultus lenti spectatores, sed etiam hortatores ad audaciam, qui risum ex alieno malo per lasciuiam captantes, schalas, vt fenestris admouerent, belli more ludibundi admoenbant. Consiliarij lictores, quia otiosi rem spectabant, primum verbis castigant: tum

tum Senatores, qui non longe aberant, monent, vt eam sedent turbulentiam: recusant: metuebant Consiliarij grauiora. Ergo ad nos per posticum ingressi, iubent per occultum tramitem in aulam Episcopi secedere: ibiq; tantisper, donec illa turba desedisset, exitum rei opperiri. Tres ferme horas tenuit hic furor, & saxis facta lapidatio. Senatus interim, qui nouam Principis Erneſti offensam metuebat, cuius animum à se ante abalienauerant, veritus ne illius seditionis conscius haberetur, eo Senatores duos allegat, qui eum motum cohibeant; & si opus est per dictatorem etiam coerceant. ita sensim imminuta multitudo: ad extremum, secedentes singuli, amoti omnes. sed nondum tamen periculum sedatum. Interim Consiliariorum auctoritate, qui patebantur, captiuis traditis, ciuilis illa controuersia componitur: & consul mandato Senatus, ciuium dimittit multitudinem. erat iam periculum discussum, nisi antequam plane ea multitudo solueretur, nouus quidam Demetrius e media turba exclamasset: Non propter hac unum negotium, sed propter exturbandos Iesuitas, populi eorum esse euocatum. hanc insani hominis vocem vniuersi, qui aderant excipiunt; nouoq. succensi furore praecipiti amentia saeuire, ac vosiferari contra nos, furentesq; iactare voces coeperunt: Tollantur Iesuitae. Coherruere ad tam subitam amentiam boni omnes: Consul ipse exterritus, magna tamen voce quietem ciuibus imperauit: nec licere in praesens per interregnum eam rem moliri: sese consulatu abdicaturum; negotium totum nouo consuli curae futurum. ita represso furore, indignabundi, & frementes dilabuntur, qui capitibus, & fortunis nostris imminebant. Nesdum quidem omni periculo perfuncti sumus.

mus. Conspiraruntviginti circiter audaci nequitia homines, vt noctu incautos adorientur: atque in vitam nostram grassarentur. res erat periculi plenissima; vt neque domo exire, neque in templo tuto versari auderemus. Discipuli nostri quacunque incederent, male accipiebantur miselli: pugnis, calcibus fedabantur: lapidibus, ferro, petebantur, etiã vulnerabantur: opsonator lapide in caput adacto vulneratus, extra limen pedem efferre non audebat. Cum ecce praeter aduersariorum opinionem, Spira Imperiale affertur edictum, quo tam Senatus, quam Hetshsius, ob excitatas in vrbe turbas, ad caussam dicendam vocabantur; ac poena proscriptionis proposita, ab omni posthac vi abstinere iubebantur. neque multo post aeque minaces afferuntur. à Serenissimo Ernesto litterae. iterumq; nouo, seuerissimoq; edicto Imperator ciuitati, ac Senatui omnium bonorum publicationem, ac proscriptionem minatur; si vim facere pergant. alioq; diplomata nostrae, nostrarũq; rerum securitati cauit. His machinis tandem repressus est debacchantis ciuitatis furor contra nos: itaque Senatus Imperatoris auctoritate permotus, per praeconem pronunciari iubet, nequis vlli catholicorum molestus sit. Et cum petulantes aliqui nihilominus in insania persisterent; duosq; e nostris luto, & lapidibus iniectis violassent, vnus ex ijs in carcerem coniectus, reliquos suo exemplo fecit sapientiores. Hac tempestate tam repente excitata, tot varijsq. incrementis aucta, tanta deinde securitate sedata, voluit scilicet diuina prouidentia patientiam nostram exercere, & ad spem meliorum rerum in futurum tempus excitare. & iam initia vtriusque rei apparent. nam ex ea turbulentia tantum abest, vt aliquid de re-

Digitized by Google

rum spiritualium cursu deminutum sit; vt aliquid potius sit additum: & aduersarij nostri non leuem sibi maculam asperserint. nam rerum nostrarum status, & Societatis nomen aduersus inimicorum insaniam fracto hoc furore, magis constitutum est & catholici praecipueq; clerus primarius, maiore nos benevolentia complectitur, & scholarum nostrarum nomen ad vicinas Ciuitates perlatum maiore semper cum existimatione increbrescit. Et sane iam ante in ipso tumultu, ac lapidatione, vnus ex aduersarijs Lutheranus, rerum, vt videtur, humanarum non imperitus, quasi diuinans dixisse fertur. Quid facitis ciues? lapides conijcitis in Iesuitas? ex his paruis lapidibus ingentia saxa ipsi conijcient in fundamenta stabilitatis suae. & commodum per idem tempus vnus praedicantium pulsus, vt ipse fatebatur, ex Liuonia, huc diuerterat (vide gentem vagam, ac profugam) is cum quae gesta essent contra nos, audisset: Errauis, inquit, boni ciues: non bene nostri ingenium Iesuitarum: facilius est eos non admittere, quam semel admissos vrbe pellere. redeunt enim validiores. id nostro cum malo Rigae non ita pridem experti sumus: paucos inde exegimus, rediere maiore multitudine. Terruit hoc viri apud eos grauis testimonium seditiosos: vt maiora, & ipsi nobis incrementa timere iam coeperint. Catholicos vero haec turbulentia ita non mouit; vt plus nongenti apud nos sacram synaxim frequentarint. Quod in vrbe Saxonica, vbi bacchatur maxime impietas, ita magnum habendum est, vt cum maximo tranquillarum ciuitatum fructu conferri possit. Ex eo numero duodeuiginti Lutheranam perfidiam abdicarunt. In nostris quoque discipulis mira eluxit constantia, quorum multi famem, pau-

per.

pertatem, contumelias, verbera etiam, aliaq. indigna pertulerunt, ne à nostri caritate diuellerentur. Aduersariorum vero vicissim creuit ignominia. nã postea vulgatum est Iudaeum illum perfidum fuisse impostorem: antea alibi praedae alicuius auiditate Catholico ritu baptizatum: idem eadem esca delinitum iterum proxime tentasse Heilingenstadij irrito conatu: nouissime eiusdem spe praedae versutis hisce multo ipsum versutiorem illusisse. Hi autem vsque eo inepti, & credduli fuere, vt editis libris illius conuersionem celebrarint; gloriatiq; sint, se suam Ecclesiam animam vnius hominis furacis, ac suspendiosi auxisse. mirum ni illum in suum quoque martyrologium retulerint. Et talis omnis est istorum versipellium religio. Irrisa est etiam illorum doctrina, & auctoritas detrita. nam qui tam severe in incestas nuptias miseri Iudaei inuecti sunt, ijdem haud ita pridem in vno primario ideni matrimonij genus sua sententia probauerant: qui socrorem item coniugis vita functae, adhuc habet vxorem, & ex ea iam prolem suscepit: illeq; matrimonij sui ius Lutheri doctrina, & vanorum ministrorum testimonio tuetur. Attulit ea quoque in nos ira ipsis Praedicantibus dissidium. quod totum, ad veteras eius calamitates, vertit in caput ipsius Hesthusij. Parauerat ille librum edere aduersus Societatem, & quo maiorem ad vulgus haberet auctoritatem, eum legendum ministris exhibuerat, vt di singuli nomen subscriberent suum. Erat inter eos vnus, qui quondam fuerat in nostra disciplina, nam his in locis promiscue tam haeretici, quam Catholici à nobis instituuntur, ac si quis eorum, aut sui emolumenti, aut alia quauis causa in sua duritia persistit; multum tamen defert de contumacia, alia-

quidq; illi semper ex nostra adhaeret disciplina, ad hunc igitur cum ventum esset, vt ijs maledictis subscriberet, negat ille id se posse, salua conscientia. Exarsit subita iracundia Superintendens; & suam putans contemni auctoritatem, hominem male contumelijs acceptum, vocat in iudicium. crimina illi tria obijcit potissimum. Quod modice in Iesuitas inueheretur: quod libro ad se scripto subscribere nollet: & quod in fronte litterarum, quas ad se dedisset, IESVS adscripsisset: id esse argumento, ipsum in pectore habere Iesuitas. ridicula omnino crimina, & quae sua sponte, vel nullo defendente concidèrent. Sed non paruo auctoritatis, quam tueri vellet, detrimento Superintendenti ea stetit accusatio. res agebatur in senatu, accedit reus ad causam dicendam; & vt erat ille quoque lingua promptus, in exordio Superintendentem suum male verbis accipit, & vero in tanta leuitate, tamq. impudenti ambitione exagitanda, quis esset non dissertus? Deinde ad crimina refellenda cum accederet. De mea, inquit, religione, ex ijs quae à me in concione dicuntur, postulo iudicium fieri. eruditionem vero meam, quam arrodit, omnem Iesuitis acceptam refero; quos multo noui melius, quam tu: & scio omnium earum criminationum, quibus tu tuum istud librarium refersisti, expertes esse: eas si sustuleris, haud grauate subscribam. Tu vero vide quid suscipias. neque enim tua doctrina, neque scribendi facultas tanta est, vt possit vlla ex parte cum Iesuitarum doctrina comparari: eaq; multo imbecillior, quam vt possis tantum certamen cum tam potentibus aduersarijs sustinere. proinde etiam atque etiam vide, quo progrediare: vnum lacessieris, mille contra te armaueris, qui te voluminibus ob-

obruent suis. neque immerito in concione maledictis in illos abstineo: diligo enim patriae quietem, quam tu tua linguâ, turbulentisq; consiliis perturbas, & ciuium vulneribus quaeris, & sanguine cruentare. Quod si illud te male habet, quod in meis litteris, IESV nomen adscribo: per me licet tu tuis litteris teterrimi diaboli nomen adscribas. Haec dum ille praesenti animo, neque haesitante lingua in Superintendentem effundit; Senatus, ne ministrorum dissidium, in eorum auctoritatis imminutionem manaret ad vulgus, silentio maledictis impositio, sedauit controuersiam. Sed licet homo superbissimus nondum tantae improbitatis mercedem dignam tulerit: melius tamen suae existimationi consuluisset si omnino abstinuisset quidquam tentare contra nos. Det illi Deus mentem saniorem. Nos licet in medio difficilium rerum turbine versati simus: sacram tamen suppellectilem rebus auximus non modicis. & domum quae vetustate iam vitium fecerat, resarsimus. itaq; laxauimus, atque ad nostros vsus accommodauimus: vt iam quindecim, sexdecimue contubernales commode capiat. Ad hasce res multum nos iuuit pia catholicorum liberalitas. Christo laus. Expectamus, quid boni saeua haec illius ope superata tempestas sit allatura.

Digitized by Google

PROVINCIA BELGIVM.



HABET Prouincia Belgium socios sex, & quadraginta supra quadringentos, quatuordecim in Collegia distributos, ac Residentias quatuor: in quibus est Collegium Anglorum, cui nostri praesunt. Tornaci, vbi cum Collegio coniuncta est probationis domus, agunt vnus, & sexaginta: Sacerdotes septemdecim, quorum Graecam linguam docet vnus, tres tertium peragunt probationis annum, quatuor alij nouicij sunt. Sacerdotibus accedunt magistri quinque & coadiutores septem, reliqui nouicij, è quibus ad domestica munia, quinque sunt destinati. in Louanienſi Collegio quadraginta octo: quindecim Sacerdotes: è quibus Theologiae scholasticae professores duo, sacrarum litterarum. Mathematicae, & Hebraicae linguae tres: qui Theologiam discunt sexdecim: quibus alij tres è Sacerdotum numero adiunguntur: reliqui coadiutores. in Duacenſi vnus & triginta; Sacerdotes quatuordecim: in quibus Theologiae scholasticae professor vnus, vnus item Philosophiae, tertius grammaticae: magistri praeterea non Sacerdotes octo: nouem coadiutores. In Audomarenſi triginta quatuor; sexdecim Sacerdotes, quorum duo moralis Theologiae sunt professores, duo grammaticae, cum quatuor praeterea magistris,

Digitized by Google

gistris, coadiutores octo: reliqui casuum conscientiae auditores. in Antuerpiensi viginti sex: duodecim Sacerdotes, magistri sex, sex item coadiutores: duo praeterea ad horum numerum adiecti, id Leodiensi triginta duo, Sacerdotes quindecim, quinque magistri: duo alij magistris auxilio attributi, reliqui coadiutores. in Traiectensi viginti duo; duodecim Sacerdotes: quorum duo magistri; quatuor item alij magistri, non sacerdotes; sex coadiutores. in Gandauensi septemdecim: septem Sacerdotes, quinq; magistri totidem coadiutores. in Brugensi vnus & viginti: nouem Sacerdotes; quorum vnus Graecam linguam docet, quinque magistri, vnus ad aliorum numerum adiectus, reliqui domesticis inseruiunt ministerijs. In Iprensi septemdecim; septem Sacerdotes, magistri quinque: quibus auxilio additus est vnus; coadiutores quatuor. In Cortracensi viginti: Sacerdotes octo, septem magistri: reliqui coadiutores. In Valencenensi viginti: decem Sacerdotes, quinque Magistri, quinque item coadiutores. In Insulariensi triginta, quindecim Sacerdotes, quinque magistri, quinque coadiutores: reliqui humanitatis studijs ad docendam iuuentutem se comparant. In Residentia Bruxellensi triginta sex numerantur: quorum partim ciuitatis commodis inseruiunt, plerique in Castrensi missione versantur. In Vrbe exercentur Sacerdotes octo, quatuor coadiutores; in Missione Sacerdotes viginti cum fratribus quatuor. In Montensi residentia tredecim: Sacerdotes septem: vnus studijs addictus, ministerijs domesticis quatuor. In Luxemburgensi Sacerdotes duo, tres coadiutores. In Cameracensi cum duobus fratribus, Sacerdotes duo. In Anglicano Collegio septem. Horum omnium numero additus Prouin-

cialis cum comite vno eum efficiunt numerum, qui supra positus est. Sacerdotes omnino sunt centum nonaginta. Vita functi sunt quinque, admissi ad Terocinium viginti.

COLLEGIVM Tornacense.

TORNACI grassata lues nostrorum nullum attigit, aut certe grauiter affecit: nemo licet suo periculo parserit; quominus quocumque opus fuerit ad opem ferendam aegrorantibus accurrerit. Rerum sacrarum administratio suum cursum tenet: factaq; non parua est accessio ad diuinorum mysteriorum frequentationem, non numero solum, sed multorum etiam honoratorum virorum adiectione. conciones varijs in templis, excursiones extra vrbem docendis rudibus continuantur pari cum fructu. Edixere Magistratus, vt rudis aetas vtriusque sexus tota diebus festis ad catechismum conueniret: & nunc duobus in locis eius spe fructus explicatur, qui ex bona diligentiq. institutione, & tenerae aetatis informatione expectari potest. res omnium probatione, & admiratione quoque administratur. Tres ab haeresi ad Ecclesiam adiuncti sunt. quorum vnius ad sanitatem reuocatio, qui ab improbitate, & pertinacia nomen traxerat, fuit praeter ceteras illustris: & vt daemonem, & perduelles dolore, ita bonos laetitia affecit non mediocri. Magistratus ciuitatis suam erga Societatem beneuolentiam cum alias alijs in rebus, tum maxime hoc anno declarauit. aulam scholasticis exercitationibus exstructam, circum-

cumquaque magnificis subsellijs exornauit. Theatrum quoque artificio non minus commode, quam eleganti, ad dramatica spectacula exstruxit. quae quoties exhibentur; non modo ipse suo consessu cohonestat: sed honorarijs etiam muneribus sibi grata esse testatur.

COLLEGIVM Louanienſe.

SVB anni initium nouum domicilium coemptum est, Collegio in illud transferendo, loco in primis opportuno, & salubri. nam & hortos tum amenos, tum amplos, & vndique Caelum habet expeditum: multorum vero, & praecipuorum Collegiorum vicinitate ad litteraria munia, situ vero ad sacrarum rerum functiones toti Ciuitati commodum. Nunc datur opera, vt instruatur, & ad nostros vsus accommodetur; speramusq. fore, vt in illud aestate proxima transmigremus. Noui adhuc nihil euenit, cuius habeat narratio admirationem, sed ea, quae uere magna sunt, suis momentis magis, quam nouitate aestimanda sunt. Et certe tanta fuit poenitentium frequentia, vt locorum angustus compressi aliqui grauia admodum incommoda perpessi sint. Confessionum generalium numerus tantus, vt iniri non potuerit. Ad Ecclesiam ab haeresi traducti tres. tantum denique est ad pietatem studium, vt vix toto anno hebdomada aliqua vacua transierit, qua non se aliquis intra nostra tecta spiritalibus exercitationibus informandum collegerit. in eis fuere viri aliquot insignes, & egregiae indolis adolescentes. quorum alij alijs religionibus, quidam

se Societati adiunxere. Catechismus latino sermone Dominicis festisq. diebus septem Collegijs: quinque alijs in locis corrogatae multitudini vernaculo idiomate explicatur. Iuuandorum agrestium voluntas fuit facultate maior. nam quantum belli pericula, & militum excursiones permisere, eorum obiti vici, & rudis plebecula Christianae vitae praeceptis informata. De sodalitatibus eruditorum virorum, & studiosorum adolescentium, quas hic habemus tres: deq. studio sodalium ad pietatem, superiorum annorum litteris perscriptum est. Sed tertia illa, quae ex lectissimis duarum reliquarum socijs constat sub nomine sanctorum omnium, ita floret omni virtutum genere, ac pietate, vt maius nihil, aut sperare, aut etiam optare audeamus. prorsus vt magna nostra cum admiratione, nihil omittant, quod ad suam, aliorumq. spiritalem vtilitatem pertinere animaduertunt. Eorum opera factum, vt latinum catechismum in scholam etiam, quam appellant priuilegiatam introduxerimus. quae vnius tantum primarij templi capitulo regiminiq. subest. cum ex ijs vnus scholae sibi magistrum conciliasset, eiq. totam rem persuasisset. qua ex re factum est, vt paucis diebus ille suorum discipulorum modestiam, & nostram introdendis pijs moribus industriam admiratus incredibili beneuolentia ad Societatem adiungeretur, nostriq. nominis atque existimationis fieret propugnator egregius. Nihilq. iam ei grauius esse possit, quam nostrorum opera iuuari, etiam ad curam pastoralem, quam exercet in hac vrbe. idq. si quando impetrare potest, magni beneficij loco ducat. haec tam illustri, atque omnibus perspecta magistri, & discipulorum mutatione permoti multi, ad nostram con-

consuetudinem sese adiunxerunt; atque frequentem usum confirandi susceperunt. Quod ad rem familiarem attinet, sumptus hoc anno solito maiores auxerant sollicitudines: sed docuit nos diuina prouidentia harum rerum cogitationes in eum esse conijciendas, cui cura est de nobis. nam die quadam sub vesperum ab ignoto homine floreni centum ianitori vix animaduertenti obtrusi sunt; cum schedula, qua tantum petebatur, vt se Deo precibus commendaremus; statimq. se proripuit, vt quis esset obseruari non potuerit. euidens sane, & illustre documentum diuinae in suos benevolentiae.

DVACENSE Collegium.

PESTILENTIA vexauit hoc anno Duacum: quae nobis substulit P. Ludouicum Lefuierium quatuor votorum professum; & qui magna semper cum laude vixerat: religiosae disciplinae, & regularum seruator accuratus. quem, licet statim, atque contagione correptus est, habitatione discesserimus à coteris: curatum tamen est ea, quae par fuit caritate, & diligentia, vt omnia ei humanitatis, & caritatis officia praestarentur. Sed cum nullam remedia aduersus morbi violentiam haberent efficaciam, sacramentis omnibus munitus pie placideq. decessit. Dei beneficio factum est, no fuis morbi latius effunderet. Caterum, quod ad rem spiritalem attines, hic quoque vix toto anno fuit vllum tempus, quo non aliquem haberemus in Collegio spiritalibus exercitijs informandum, & ex discipulis nostris quinque se ad Capucinos, vnus ad

Car-

Cartusienses contulere. Qui nostram Societatem expeterent, decursis Philosophiae studijs duodecim fuere; qui ingenio, ac doctrina ceteris praestarent. non tamen potuit omnium votis satisfieri. Drama datum est Augustini ad Christum conuersio magno multorum spirituali fructu: vt plurimis lacrymas, nonnullis abdicandi se humanis rebus, viamq; perfectae virtutis ad religionem ineundi voluntatem expresserit. Scholae, licet mala luis contagio saeuierit; famaq. tantae feditatis ad vicinos vndique peruaserit. nunquam nisi mense vno intermissae, paullo quidem solito minore, nunquam tamen non iusta frequentia.

AVDOMARENSE Collegium.

AVDOMARVM quoque, vt Duacum tristis morbus inuasit; quamquam lenior initio, auctus postmodum crudelius desaeuijt. manauit primo per Ciuitatem dysenteria quaedam molestissima, a vicino exercitu profecta. quae vsque eo nemini parsit; vt nullam paene domum insalutatam praeterierit; passimq. efferri funera tota vrbe cernerentur. e nostris tres, quatuorue eo morbo grauiter diuexati, diuina ope, quo possent laborantibus opitulari, tandem euasere. nec fuit, qui tam duro tempore non omnem suam operam omni alacritate morbo implicitis, aut etiam moribundis praestaret. vt nullis laboribus frangi, nullis terreri posse periculis viderentur. verum in dies crescente morbi ui, dysenteria in veram pestem degenerauit: multoq. plures, quam antea absumebantur: & quod miserius

rius erat, destitutis inter tot mala spiritalibus auxilijs moriebantur. Nostri tanto huic malo sibi subueniendum esse existimauerunt. itaque coactis Patribus, fratribusq. omnibus, refertur de praesenti calamitate Ciuitatis. mori passim ciues, omni spirituali ope destitutos. laborantibus tam necessario tempore opem ferre, suamq. vitam ob animarum salutem in discrimen proijcere, opus esse Heroicum, & alteram secundum martyrium coronam. Si cui animus esset rem tantam suscipere, is aut palam profiteretur, aut si mallet priuatim declararet. E triginta quatuor, qui in eo Collegio degunt, vndeuiginti sunt inuenti, qui incredibili promptitudine, animiq. feruore, animas suas ei discrimini obtulerunt: vt multi etiam cum lacrymis id peterent: aliq, ea de re litteras accurate scriptas ad P. Prouincialem dederint. Duo potissimum electi, qui omnium opportunissimi iudicati sunt. Tam gratum fuit affectae Ciuitati hoc studium, vt mutuo sibi gratularentur; quod saltem extremo illo tempore habituri essent, qui se sacramentis, & pijs monitis munirent. illi diu, noctuq. perpetua opera, diligentiaq. aegrotis praesto fuere: vt religiosarum quoque familiarum multi illorum praesentem operam sint experti. & nunc adhuc eodem in opere, integri, intactiq. inter tot funera versabantur. Deum O. M. oramus, vt & huic Ciuitati salubritatem, & eos nobis incolumes restituat. Concionibus Christianae res ualde promota; ciuitasq. ad vitae, morumq. mutationem, & veros poenitentiae fructus excitata. Indicta, & repetita quadraginta horarum supplicatio in templo nostro; in alijs templis deinceps. Episcopi iussu excepta, & continuata est. Confessiones generales auditae plurimae. Sexaginta praecipue

cipue momenti maximi. Spiritualibus exercitijs excolti aliqui: vnus ab haeresi reductus: virgines ad religiosam vitam capessendam adiutae quatuor. Miseri homines duodecim à militibus in perduellium fines excurrentibus abducti in seruitutem, vnde pretium soluerent libertatis non habebant, miserandum in modum fame, & paedore confecti, vestrorum precibus donati, liberi missi sunt. Serenissimo Cardinali Austriaco scholarum nostrarum discipuli de expugnatione Ardeati, & Calidiensi theatrali actione gratulati sunt. Venit ad nostrum templum ipso die S. Alberti patroni sui; Vesperis interfuit: à Vesperis in Aulam scholarum drama spectatum venit: atque inter agendum rerum singularum rationem à P. Rectore, quem prope se habere voluit, postulauit, probauitque emblemata quoque, quibus parietes ornati erant, sibi dari postulauit; multaq. beneuolentiae significatione suam erga nos voluntatem testatam esse voluit.

ANTVERPIENSE Collegium.

ET ea quae Antuerpiae facta sunt, re ipsa, & aestimatione magis, quam specie magna sunt. auctus piorum numerus: concursusq. sacramenta frequentantium fit in dies maior. vt eorum qui solemnioribus diebus sacram mensam iniuerint, numerus duo millia excesserit: & vitae totius confessiones auditae ad septuaginta. Quae, quoniam in ijs admiratione digna quaedam euenere, à rebus visitatis secernentur. Femina permoleſta febre diu laborauerat. haec confessione facta, culpisq. detectis, omni

omni morbo liberata est. Alia ad iugulum sibi perfodiendum desperatione insitata, eodem remedio ad mentis sanitatem revocata est. Rusticum hominem horrifica spectra, quocunque se conferret, terrebant. ea confessione peccatorum mirabiliter disiecta sunt. Horrendis omnino intemperijs, & haud dubie diabolicis machinationibus adolescens nostri gymnasij discipulus agitabatur: hic furiosis insomnijs singulis pene noctibus excitus, spectaculo plane monstruoso, & praestigiarum similimo domesticos terrebat. Surgebat cum horrificis clamoribus è lecto, alto adhuc somno consopitus: & non, vt multi id genus acti monstris, summa tecti culmina, aut excelsos angustosq. trabes, vel angustas parietum crepidines pererrabat, sed quasi non plus ponderis in corpore haberet, quam ipsa, quae in mente phantasmata agitabantur, lacunaria tectorum petebat: pendulus toto inuerso corpore, plantis tantum tigna contingentibus, capite, manibusq. deorsum deiectis inambulabat. tum demittebat sese per excelsa, praeruptasq. altitudines, paullatimq. velut umbra tantum esset, non corpus, labebatur ad terram. cum terram contigisset, rursus admotis unguibus ad columnas, ad parietes, felium instar rependo, unde se demiserat, repetebat. ad extremum se quieti, cubiliq. reddebat innoxius. inter haec ingentes vociferationes, mugitusq. edebat. & haec nostri suis oculis spectarunt. Res erat periculi plenissima; & quae tenuissimo filo teneretur. nam si vel modico incommodo inter illas agitationes excitaretur, discussis ijs quibus agitabatur insomnijs, prolapsus in praeceps totum corpus diffregisset. hic eodem confessionis generalis sacramento, adiuncta confirmatione, & subitae mortis periculo, & diabolicis lu-

dificā-

deficationibus subtractus est. Haeretici hominis uxor, quod crebro nostris confiteretur, marito parum grata, ac tantum non inuisa erat. haec à confessario instructa, usque eo profecit obsequio, & pia, sanctaq. viuendi ratione; vt contumaces viri spiritus peruinceret, atque emolliret: ad extremum ad Romanam Ecclesiam, & longo interuallo ad confessionem etiam adduceret, quam per triginta totos annos, quibus desciuerat à fide: nunquam vsurpauerat. Mulieres duae à desperatione, qua sibi laqueo fauces elidere constituerant, auocatae; quinque à pellicatu abstractae, ab adulterio plures deterritae. Ab haeresi ad Ecclesiam traducti ad octodecim. in ijs coniuges duo in Anglia à prima aetate falsa Caluini doctrina instituti, & nunc abiurata haeresi, confessionis Sacramento expiati, coram parocho ritu Ecclesiastico matrimonij fedus renouauerunt: liberos etiam Ecclesiasticis ceremonijs baptismatis suppletis initiarunt. In carcere adiuti vincti: tres praesertim rei capitalis damnati, antequam paena de ijs sumeretur, ex haeresi educti, & ad mortem Catholico ritu subeundam comparati. Nautae decem ob criminis fortasse atrocitatem tam praecipiti festinatione rapiebantur ad mortem; vt eodem paene momento cum minime expectarent, comprehensi, & ad carcerem, & ad furcam flagrante iudicio traherentur. ita similes amentibus discruciabantur. à nostris moniti, vt calamitosam illam necessitatem in virtutem verterent, & peccata, vt miserum patiebatur tempus, confessione eluerunt, & ad mortem placide animo excipiendam se compararunt. duobus tamen ex ijs, fortasse, quod minus deliquissent, nostrorum precibus venia data.

MIS-

MISSIO IN Hollandiam.

MISSI ex hoc Collegio superioribus annis in Hollandiam Sacerdotes duo, temporum iniquitate, duram admodum prouinciam, & multis impeditam difficultatibus nacti sunt. Suis laboribus, & incommodis magis, quam fructu laetantur. non tamen omnino steriles labores nihil peperere, sed quos fructus tulerint, missis Antuerpiam litteris, Allegoriis, & ambagibus elegantiarum adumbrant magis, quam in lucem proferunt: metu, credo, ne si litterae interciperentur, crearetur alicui periculum. quod tamen ex eorum verbis assequi potuimus, id euolutis ambagibus damus. Annum hunc *appellant* tempestuosum; quod haereticus turbo multos agrorum fructus perdiderit. *Turbinem autē Antuerpiani esse interpretantur, commune totius gentis edictum, quo seuerissime cauetur, ne qui Hollandia tota Catholici conuentus habeantur; eodemq. edicto Regis Catholici imperium communi, publicoq. sacramento eiurarunt. externa adire gymnasia, aut scholas, quae sint in ditione Catholici Regis, aut in locis, vbi catholica viget religio, ac praecipue Iesuitarum Hollandis, ac Zelandis adolescentibus vetatur. non tamen se fuisse otiosos significant:* Sed apud Frisones, tum orientales, tum occidentales negotiatos esse: vbi in multorum nobilium cognitionem venere. Sed in occidentalibus preciosissimam gemmam inuentam, in quam quis omnia sua libenter impendat. *hunc esse significant magnum aliquem virum, ma-*

ximae auctoritatis ad Ecclesiam adiunctum. In alijs, *pergunt*, non quieuit negotiantis industria. Ad mensam Domini pasti quingenti nonaginta sex. *Id vno die ne, an toto tempore, non assequor. Sed vtrumcunque sit, valde magnum est, in tanto locorum algore.* Mercatoribus, *inquiunt*, ad nostras merces hauriendas aperta officina centum sexaginta quatuor ciuibus. *Significari aiunt toties clam admissos esse ciues ad sermones audiendos, qui de Catholica religione haberentur. neque enim res fuit euulganda propter periculum. Quae sequuntur allegoriae minus obscurae.* Qui pedum sordes manuumq. vel numquam, vel rarissime in vita abluerant; quiq. ex pestiferae noctis caligine emersérunt, centum septuaginta duo. *Iam missis allegoriis plane loquuntur*. Legitimum matrimonium contraxerunt, qui sola fide data, iunctis dexteris vitae societatem coniunxerant, coniuges viceni seni. in Ecclesiam admissi per baptismum quinquaginta sex; in quibus plerique fuere aetate prouecti, & aliqui etiam coniugati. maxima discordia inter plures, & inter fratres, quae ad arma spectabant, sopita. E Memnonis faucibus *Haeresiarchae nomen id est*, erepti, *inquiunt*, vir quidam cum omni sua familia, & hospita nostra, non tam nostro sermone, vt ipsa postea retulit, quam vitae exemplo permota.

LEODIENSE Collegium.

LEODII pestilentia nobis abstulit Patrem Ioannem Sephium: qui in Societate viginti septem

Digitized by Google

septem annos egerat: magnum vero apud nostros externosq. sui desiderium reliquit. contraxit morbum cum officij causa aegrotum invisisset, quem pestilentia infectum esse ignorabat. sed ille suae caritatis praemium est consequutus: diuinum vero fuit beneficium, quod ad alium nullum morbi venenum emanauit. data tamen est opera diligenter, adhibitaq. idonea cautio est, vt citra aliorum periculum, neque aegrotanti quidquam deesset, neque rerum sacrarum cursus in templo, neque litterarum exercitatio in scholis, aut impediretur, aut retardaretur: neque ob metum est alterutra frequentia deminuta. quin & tonciones, quae ante meridiano tempore in templo maximo, & quae pomeridiano ad S. Dionysij habentur; & templum ipsum nostrum tanta frequentia sacramentorum causa celebratur; vt loca alioqui in gentis multitudinis capacia comprimantur. Qui diebus solemnioribus ad sacram mensam accedunt, mille, & sexcentorum numerum excedunt. Est igitur cur diuinae bonitati grates agamus immortales. Sunt praeter quotidiana, quae enumerare longum esset, ex sacra semente nonnulli peculiares fructus reuecti. Duo frater, & soror anabaptistis nati parentibus fidei rudimentis à nostris imbuti, baptismo lustrati, & ad Ecclesiam catholicam adiuncti sunt. Mulier voto, & iure iurando se Caluino addixerat (vide perversam rationem perfidorum: quasi, aut satis non sit ad retinendum animum religio, aut religio rata sit contra religionem) haec rupto nefario adstricto vinculo, in veram se catholicae religionis libertatem vindicauit. publiceq. praesentibus magnae auctoritatis viris pestiferam, cui se addixerat, execrabilemq. opinionem eiurauit. Rusticus

quidam homo imperitus, & ignarus prorsus litterarum, librum habuit legendi tantum gnarum. eius opera, & pestiferorum librorum lectione venenum corruptorum do gmatum hauriebat: eoq. audaciae diabolica impulsus arte progressus erat, vt sua tantum fretus audacia, & vesana, vt apparet acrimonia ingenij, damnatas opiniones imperitae multitudini obtruderet; multosq. in fraudem ea ratione illectos à recto religionis tramite deduceret. fraude comperta, rusticus doctor comprehenditur. damnatum poena sequebatur, vt viuus in profluentem mergeretur. Sed quem diabolica versutia ad tam miserandum mortis genus impulerat, diuina miseratio ab animi interitu vindicauit. nostrorum opera factum est, vt sua errata vero animi sensu detestatus, & Ecclesiae sacramentis muniretur; & cum ad supplicium duceretur, passim circumfusam multitudinem moneret, vt suo exemplo docti, illotis temere manibus, ad sacrarum litterarum lectionem accedere imperiti non auderent. hanc sibi audaciam exitio fuisse. ad hanc alteram quoque causam adiecit: malam scilicet vitam Sacerdotum: proindeq. Praedicatores obsecrabat, vt suo nomine pro concione monerent sacerdotes, corruptos mores, prauamq. viuendi licentiam corrigerent: ne malo exemplo pusillos, & infirmos secum trahant in interitum. ipsorum enim culpa fieri, vt non modo cuncta scateant haeresibus, sed sensim etiam inter mortales inuehatur atheismus. Faxit Deus, vt miserandi hominis oratio irrita non cadat. Dissidia inter multos magnae auctoritatis viros, aeque difficilia, atque periculosa sublata sunt. Duo viri nobiles, quos inter odium tantū exarserat, vt vterque suam foueret armatorum factionem, ad concordiam,

& pa-

& pacem reuocati. Periculosum certamen inter duos conjulares, vtrius potius in publico opere insignia apponerentur, nostrorum opera sedatum. Dynastae duo suos vterque populares in mutuam perniciem armauerant. hos quoque nostri diuina ope reconciliarunt. Duo viri magni nominis ita graui odio sibi mutuo erant infensi, vt ne Episcopi quidem principis Electoris auctoritate ad pacificationem mouerentur, itaque omnium iudicio illorum erat reconciliatio deplorata, & inter hos nostrorum interuentu, tandem diuina gratia firmata pax, adiecta etiam publice multa vtrique eorum, qui prior amicitiae fodus violarit. haec in vrbe Leodio.

Quae sequuntur ad vrbes alias sic porriguntur. Praetor Limburgensis, vir grauis, & illustri loco natus spiritalibus nostris ad contemplationem meditationibus exercitatus, eam fecit totius hominis mutationem, eumq. hausit ad pietatem sensum, vt factus plane alius vel suae ipsius familiae videatur; & nunc tanti beneficij memor, nunquam non honorifice de nostra Societate, & sentit, & loquitur. quotiesq. ei impetrandi spes est, nostros ad se studiose admodum accersit. Missus sub finem quadragesimae Lemburgum Sacerdos Dynastae confessionem, ac tatius eius familiae, insuper & praesidiariorum militum excepit: concionibus praeterea, & catecheseibus Christianam rem multum promouit. dissidentes Sacerdotes duos, quorum discordia magnae erat offensioni ciuibus, magna cum Reuerendissimi Leodiensis Vicarij et Praetoris loci gratulatione, reconciliauit. Namurcum est Ciuitas celebris, & opulanta. huc Episcopi Electi, & Capituli rogatu Aduentus ferijs missi Sacerdotes duo.

tantum quotidianis concionibus profecerunt: vt magnam de Societate nostra, nomine tantum in illa Ciuitate nota, reliquerint opinionem. nam, vt quotidianos fructus praetermittam, tantopere illorum apud omnes ordines probata est industria; vt Clerus à P. Prouinciali contenderit, vt ad extremam vsque quadragesimam tam strenuis Ecclesiae apud se ministri relinquantur; illorumq. postulatis P. Prouincialis obsequendum esse existimauit. Est & vrbs alia Trudinopolis, quo vnus è nostris accersitus, dum ibi apud Benedictinos diuersatur, decem eius monasterij monachis religiosis nostrarum meditationum exercitijs institutis; in eademq. vrbe Caluiniana haeresi imbutum Ciuem ad veram religionem reuocauit.

COLLEGIVM Traiectense.

TRAIECTI diuina fauente bonitate poenitentium ita concursus est auctus, vt diebus Dominicis persaepe octingentorum numerum excedat. Antemeridiana concio, ad aedem S. Seruatij, à Decano eiusdem Ecclesiae vltro Societati delata, & multis precibus expetita, magna cum Capitularium voluptate, & Ciuium concursu instituta, belle progreditur. Est hoc anno institutum, vt abecedariorum scholae, quae sunt vndecim in hac vrbe, semel quaque hebdomada certum in locum conueniant; vsq. per nostros Catechismus explicetur. Incertum viri conueniant libentius, pueri ne cum suis quique magistris ad discendum; an nostri Sacerdotes ad illos erudiendos. Et sane magistrorum

est

est laudanda diligentia, qui tantam ad eam rem adhibent curam, vt nostrorum diligentiae nihil reliqui faciant, praeter ipsam explicationem. vtile sane inuentum ad recentes hasce testulas primo quoque tempore quam optimo liquore imbuendas. Milites in suis saepe aditi stationibus, ac pijs sermonibus ad Christiani hominis officium inuitati. multiq. sunt in ijs, qui octauo quoque die ad diuina se conferant mysteria: pauci vero, qui non mense quolibet ineunte, aut certe diebus sanctioribus. Tres ab haeresi abducti, & sacrosanctis Ecclesiae catholicae Sacramentis restituti. Duae familiae positis odijs, in mutuam beneuolentiam coaluerunt. Duo habemus B. Virgini dicata sodalicia, minorum, in qua discipuli, & maiorum, in qua adulti grandesq. tum Clerici, tum laici sunt adscripti. Hi parasceue noctu praelata Crucifixi imagine, supplicatione sanctiora septem vrbis templa obiere, cum saccis, & flagellationibus, magno exemplo pietatis, ingenti prosequente multitudine; multiq. praeterea se eorum cetui adiunxerunt, eodemq. & apparatu, & agmine processerunt, aut cilicio coniecti, aut linteo dumtaxat, ac plerique nudis pedibus, in magno frigoris algore, & solo niue coopertо, tanto cum silentio, & ordine; vt nisi concinentium symphoniа personaret, nullus incedentium strepitus audiretur. Aucti sumus legato iampridem à pia femina Collegio relicto: quod non modo nullis nobis ad hanc diem prouentibus fuit vtile; sed incommodum potius, & onerosum. hoc anno tandem, Dei beneficio superatis difficultatibus, decidimus cum haeredibus, vt Collegium possideat domum peramplam, aquis vndique cinctam, cum peramplo item horreo, & stabulis, adiectis terrae iugeri-

bus viginti. locus erit animi remissioni percommodus, tum ob amenitatem, tum ob salubritatem: nec distat à Collegio longius sexcentis passibus.

MISSIO MASECANA.

MASECA opidum est ad Mosam flumen in finibus Leodiensis ditionis, ac terae Luliacensi, Gheldriae, Hollandiaeq. finitimum. A quisgrano quatuor, Traiecto quinque milliarus dissitum. Est id in potestate Episcopi Leodiensis, sed anno CIↃ IↃLXVII. *haeretici, quorum erat Ciuitatis pars multo maxima, accitis è vicino auxiliis, Ecclesiae imperio se exemerunt; pauci tamen, qui superarant Catholici, magna constantia, egregiaq. virtute aduersus haereticorum petulantiam templa omnia obtinuerunt; vt non modo violarentur, sed neque profanatione vlla, aut vlla haereticorum iniuria contaminarentur. Verum armis ex haereticis opido recepto, saepius per ea tempora à Traiectonsi Collegio missi Sacerdotes, eas Catholicae fidei reliquias in officio Christiani hominis retinuerunt. Sed fortasse, quod res catholica per se tuto posse videretur, vel quod minus saepe nostri flagitarentur, missi desitum est. Ex eo tempore, & qui in opido erant haeretici, & qui illuc aliunde asceserunt homines perditi, & victum sibi falsa doctrina quaeritantes, grassantem iam, ac debacchantem Caluinianam impietatem corroborarunt. hi tanquam apri, vulpesq. e vicinis syluis ad eam vineam demoliendam immissi, dissimulandis erroribus, prauisq. opinionibus inserendis, ita occuparunt omnia, vt syluescentibus undique haeresi-*

bus,

bus, id modicum, quod incorruptae segetis superarat, obrueretur: nullo interim non modo non obsistente, sed ne oblatrante quidem. & iam vix aliqua, & ea quidem perobscura, ac tantum non deleta Catholicae religionis vestigia cernebantur, templa deserta, & inculta squalebant: Catholici in desuetudinem religionis iam degenerauerant: vix vt se Christianos esse, nisi nomine tenus intelligerent. Hoc anno tandem Episcopi rogatu huic sylvae, si qua ratione fieri posset, repurgandae Traiecto missi Sacerdotes duo, cum per quadragesimam crebras haberent conciones, infrequentes admodum, vt ad rem nouam, & parum gratam conueniebant, oscitantes, auersi, & nonnunquam obstrepentes. quibus ea, quae praedicabantur de sacro Missae sanctis diebus audiendo, de ciborum abstinentia ieiuniij diebus, de confessione peccatorum, aliaq. id genus, quae inculcis, ac rudibus obtrudi solent, noua essent, & prorsus inaudita. Apparebat tamen interdum nonnullorum animis ea, quae dicerentur insedisse: vulgo tamen plerique aut offendebantur, aut auertebantur. subijt consilium viam insternere breuem; & adultis, obduratisq. relictis, teneram nouis praeceptis aetatem instituere. Dominicis igitur, festisq. diebus, quarta quaque, & sexta feria pueros, puellasq. ad catechismum conuocare coepérunt. non dum plantae tenellulae in vitam prauitatem indurueranti; itaque facile fuit molles eorum animos in partem inflectere meliorem; animisq. sinceris, nulla adhuc prauae opinionis imbutis, bonas inserere opiniones. Doctrinam ex, qua par fuit, auiditate arripuerunt; solitaq. auiditate certamina ea de re, praesertim praemiolis propositis; instituta susceperunt. rei nouitate, & iucunda

cunda altercantium puerorum contentione illecti parentes frequentes conuenire coeperunt; suisq. quisque adesse hortatores probatione, plausuq. studium, alacritatemq. animis tenellis addere. Paullatim frequentia creuit adultorum, & ex rei consuetudine a pueris ad ipsos etiam discendi studium peruenit. ita ne se doctiores pueros, puellasq. haberent, & ipsi rudimenta illa fidei dum teneri docentur, percipiebant. Inde factum vt consuetudo rite signandi se signo crucis sensim irreperet, quae obsoleuerat: sacrarum honor imaginum, vsus rosariorum, audiendi, & ministrandi etiam sacro Missae, preces ad beatam Virginem, aliosq. caelites, mensae benedictio, inducentibus pueris, susciperetur quoque ab adultis: & in honore essent, quae antea tanquam deliria exigebantur. His rebus emollita sensim animorum duritia, frequentes ad concionem conuenire, & aures dicenti attentas praebere coeperunt. & iam fructus aliqui Deo immania referri coepti; nam ad confessionem frequentes accesserunt: sed magna confessariorum patientia: siquidem vsque eo plerique rudes sunt, vt prima propemodum indigeant catechesi. Ingens eorum numerus die sancto Paschae ad sacram accessit Eucharistiam, sed longe alia quam ante ratione; edocti videlicet, quanta reuerentia, & pietas ad tam diuinam rem sit adhibenda: quod vtique superioribus annis ignorabant. Pentecoste item plus centum sacram synaxim frequentarunt. quod vt nouum, ita etiam admirationi fuit Ciuitati. Supplicationes quoque institutae, quibus augustissimum Christi corpus circumlatum: eiq. stammis funalium, frequentia populi, extructis certis in locis altaribus, vtq. ornatis debitus honor impensus. Sacrae

reli-

reliquiae, quae pretiosissimae sunt in ea vrbe, à situ, & puluere excussae, & in pristinum honorem, venerationemq. restitutae. Denique absterſa rubigine, quae ante obducta videbatur, Catholica religio videtur ſuos vultus recepisse, & puram iam, nitidamq. faciem ostendere. Vnicum est sacrarum Virginum in ea vrbe monasterium: ad eas sermones, hortationesq. magno illarum studio sunt habitae, & singularum confessiones exceptae. Ex opidanis praeterea totius vitae confessionem explicarunt aliqui. Occursum est etiam, quantum fieri potuit, alijs incommodis. Inueterauerat consuetudo, vt testamentum nouum vernaculo sermone cum pestiferis notis ad oras paginarum, omnium manibus tereretur, virorum, feminarū, puerorum, adultorum, etiam eorum, qui prima litterarum elementa dōcebantur. contra precationum aliorumq. piorum libellorum, & eorum, quae symbola, & indices pietatis esse solent, nullus vsus. in eam prauitatem concionibus inuectus praedicator, aliquam tandem auditoribus religionem iniecit. Impensiſq. Illustrissimi Principis pij coempti libri distributi sunt. ijs adiecta rosaria, imagines, pinacularis globuli. quae quanto magis antèa contemnebantur, tanto nunc, & auidius expetuntur, & maiore in honore habitè tractantur. Desperabat ante Parochus, tanta erat durities animorum, vllam huic genti adhiberi posse medicinam; quod in ea plus possent turbulenta ingenia quorundam, quàm ratio, & veritas. ita nostrorum auxilio factus audentior, auctoritate, & decreto Illustrissimi Principis obtinuit, vt triginta familiae, quae patriam totam perturbabant, ex opido magno cum omnium bono exigerentur. Ex haereticorum numero duo ab haeresi transfugerunt ad

nostra

nostra castra. à quibus infanda eorum mysteria, nefariosq. conuentus, cum detestabili caena, aliaq. impiae sectae consilia cognouimus.

GANDAVENSE Collegium.

GANDAVI insignis fuit trium virginum, & proterui admodum adolescentis ad Ecclesiam accessus. Virgines à primis annis, ad adultam vsque aetatem nihil nisi peruersa Caluini dogmata tenuerant. hae sinceraе fidei praeceptis à nostris imbutae Ecclesiae reconciliatae sunt. Forte accidit, vt dum Catholicae fidei praecepta docerentur, interesset is, quem dixi, adolescens. Is molestè ferens obstrui luminibus Caluinianis, ab insita vecordia coepit aduersari; & contra nostra dogmata iracunde, praecipitanterq. disserere. Sed cum aduersus firmissimas rationes non vltra iracundiam procederet: tanta tamen fuit animi proteruia, & contumacia; vt conuictus, compressusq. neque loqui posset, neque sciret erubescere. quin vsque eo exarsit furore, vt nisi à circumstantibus teneretur, patrem nostrum manu violaret. rabidus ergo exceßit è loco: feruentiq. adhuc ira, cum lignorum, ac virgultorum fascibus reuertit: proiectisq. in medium lignis, & agestis insano similis, protestatus est, se viuum flammis ante absumi velle, quam vel tantillum ab euangelica luce, quam Caluini accepisset ministerio, dimoueri. Sed debebatur, opinor, aeternae mētis decreto tantae proteruiae nihilominus diuinae cognitio veritatis. Non ita multo post, ille idem praefractus, & contumax, siue quod obtru-

sae

sue sibi, vel inuito veritati apud animum suum non posset refragari; siue, quod fieri solet, furiosum illud factum sequuta esset animi poenitudo; siue etiam quod diabolicum venenum in praecipiti illa amentia se totum effudisset, siue quaecunque alia fuit causa, diuina in primis gratia ardentem illam vesaniam ita restinxit, animi duritiem emolliuit, vt agnitum tandem errorem detestatus vere penitusq. ad veritatem amplectendam animum totum adiecerit: passusq. se quieto animo illa doceri, quae impugnauerat, Ecclesiae restitueretur; atque ad genua Sacerdotis eius, quem contumelijs appetierat, aduolutus, & suppliciter veniam petierit, & totius vitae peccata confessionis Sacramento explicarit. Sunt & aliquae excursiones factae in loca alia magno cum incolarum bono. Sed ea ceteris similia sunt, quae à nostris ministerijs in eiusmodi peregrinationibus fieri solent.

BRVGENSE. Collegium.

BRVGIS metus hostilium excursionum, quibus extra portam pedem ponere sine periculo non licet, homines facit pietatis amantiores. ita solito frequentius nos adeunt, sacellumq. nostrum auxilium è Caelo petentes viri, feminaeq. omnium ordinum studiosissime frequentant, nobiles vero, & eminentioris dignitatis in primis. Sagae aliquae ad incendium damnatae, è daemonis faucibus ereptae: monitaeq. sunt, vt pactum cum suis incubis rescinderent: ac per confessionem expiatae, magna pietate mortem exceperunt. Collegio domicilium ante

Digitized by Google

re fuit, & loco incommodum, & situ perangustum, nec sine immensis sumptibus laxari poterat. eius mutandi causa comparatae sunt aedes prope in ipso umbilico Ciuitatis, opportuno loco, & salubri: ea descriptione, & mensura, vt dedita opera ab ingenioso architecto nostris vsibus accommodatae videantur. praeterea structura, & materiatio firma, & robusta, flumen habent ad posticum, per quod nullo negotio, quae opus sunt, inuehantur in Collegium. & cum se tempora reddiderint tranquilla, ad Abbatiam nobis attributam enauigare, & renauigare commode possimus. Laxitatem habent sane commodam: hortos peramplos, & amoenos, & ambulationi, & culinae opportunos, & quo nullus externus pateat prospectus. Sacellum aedificauimus peramplum; quo iam suo magno cum animi fructu ciues vtuntur. tota haec impensa vix quinque florenorum millibus nobis stetit: cum bonis temporibus duplo pluris aestimarentur. Sollicitudinem autem persoluendi pretij diuina prouidentia nobis ademit. Illustris quaedam Vidua Brugensis, sed quae degit Audonari, nostri quamuis ignara, consilio nullius impulsa, solo diuino instinctu, pecuniam bene magnam, quae sibi certo nomine debebatur, nostro Brugensi Collegio cessit. qua pecunia, & pretio veteris domus diuenditae, facti sumptus sustentati sunt, vt aes alienum nullum conflatum sit. agendae igitur diuinae bonitati grates.

COL-

COLLEGIVM Iprense.

IPRIS felici morte consumptus est P. Petrus Dicherius vir mansuetissimi ingenij, admirandaeq. sanctitatis. decennio ante in haereticorum grassantium manus incideratzqui sua modestia truculentas illas feras ita mitigauit, vt nulla ab ijs paullo grauiore contumelia afficeretur. quin potius humaniter habitus, & horas canonicas, & alia pietatis opera persoluendi, ad votum potestatem obtinuit: eum de animi salute, de reuerentia aduersus Deum habenda, deq. alijs Christiani hominis officijs disserentem audiebant: eoq. rem deduxerat, vt eos cum Ecclesia, & cum Rege reconciliaturus esset, nisi vnius peruicacia rem omnem disturbasset. Rudium admodum institutione laetabatur: vt frequenter eius rei caussa pagos peragraret; saepeq. tribus diuersis in locis sermonem haberet, nullo aut tenuissimo cibo, & eo quidem fortuito caesuq. reperto. Creditur ex nimio gaudio traxisse morbum; cum secundo spiritalium rerum cursu laetaretur immodice. nam cum de aucto confitentium, & communicantium numero narrari quaedam audisset, vt erat solitus in tali re; coepit plus aequo laetitiae gestire; ex eoq. repente in morbum incidit. & quidem medici iudicio initio vis morbi plus in quadam exstasi, quam in alio corporis languore videbatur. Sed admonitus periculi, ad se redijt; Sacramentisq. communitus ea, quae talem vitam decuit, morte decessit. Vir primarius vxore viduatus spiritualibus exercitijs tantum diuinae lucis lumen hausit; vt pertaesus rerum humanarum Societatem

tatem iam nostram cogitaret: sed interrupit haud ita multo post eius consilia breuitas vitae: rebusq. praesentibus solutus, voti compos in aeterna felicium animorum Societate factus est. Duo ex haeretica factione, qui fines populabundi violarant, comprehensi, damnatiq. antequam extremo supplicio afficerentur, nostrorum opera abiecta haeresi, ad Ecclesiam sunt aggregati. Scholae tertia discipulorum parte auctae sunt: aucta etiam res familiaris quingentorum florenorum eleemosina collata.

COLLEGIVM Cortracense.

CORTRACENSIS ciuitas paene tota in nostrorum studium, & pietatem versa, confessioni, & Eucharistiae sacramenta summa religione, quam saepissime frequentat. Ex alto libidinum coeno extractus quidam non sine peculiari Dei auxilio, cum viginti duabus pellicibus, quis credat? versari solitus erat. industria patris vnius ab omnibus abstractus ita viuit, vt quod nunquam ille fieri posse putaret, sua laetus castimonia, immortales nunc Deo O. M. gratias agat. Erat alius in sua prauitate ita obfirmatus animo, vt nullis neque humanis, neque diuinis rationibus videretur inde posse deduci. Vidit hic per quietem profundissime hiantem late puteum abyssi, intolerando fetore, fumo, flammisq. erumpentibus horribilem, indeq. daemonem ferream machinationem sibi molientem. tamq. alte horrenda species illius animo insedit, vt somno excitus terroris plenus confestim priores vitae maculas delere lacrymis coeperit; primaq.

maq. luce festinus ad sacellum nostrum se contulerit; accitoq. confessario territus priorem vitam detestatus, purgatis per confessionem sordibus, nouam instituere decreuerit. Non minus in sua simultate obstinatus fuit alius, qui tam graui odio in suum feruebat inimicum, vt ei animam agenti naturalem inuideret obitum; statueretq, irrumpere, & hominem in eo statu constitutum manu sua obtruncare. à tam barbara immanitate vnius è nostris oratione non modo reuocatus est, sed etiam ad pacem cum inimico faciendam, offensarumq. venia petendam, ante quam plane de vita decederet, adductus. Non est patris vnius industria reticenda, qui sibi hoc negocium susceptit, domos omnes, vt obeat quotidie, in quibus aegrotum quempiam decumbere cognouerit; eumq. de remedijs commonefaciat ad animi salutem pertinentibus, quo fit vt multi maiore Sacramentis se communiant; qui alioqui, quod nemo auderet eos de re tristi interpellare, sine sacramentis obijssent.

VALENCENENSE Collegium.

VALENCENENSIS Ciuitas aliquot annis ante haereseon infamia laborauit. & qui sani erant in fide, religionis admodum negligentes erant. vt si vel vnus extra Paschae diem ad sacram accederet synaxin, pro miraculo haberetur. nunc iam restitutus est magna ex parte religionis cultus. nam qui solemnioribus diebus, & cuiusque mensis initio; quiq. etiam octauo quoque die sacram ineunt mensam, quingentorum, & sexcen-

torum numerum excedunt. Sperandum in dies frequentiam fieri maiorem. Praeter ordinariam concionem, quae dominicis, festisq. diebus in aede primaria habetur, habentur interdum diuersis in parœcijs quaternae, quinaeue summa Parochorum voluntate. Catechisticae scholae ad iuuentutem habentur locis duobus, confluente è tota Ciuitate puerorum, puellarumq. multitudine, seorsim quique ad sua loca. Neque *solum tenerae aetati vtilitatem affert haec exercitatio, sed etiam adultis.* Rusticus *enim praesens huic sermoni sensit se iaculis verborum ea maxime parte vulnerari, qua malum vlcus altissime abditum animo latebat. statimq. per confessionem sanie purgata, aduersario, tum quo inimicitias graues exercebat, iniuriam omnem condonauit; & ad omnia, quae iuberet confessarius, promptum se exhibuit. Empta domus est Collegio perneceſſaria, parochialis cuiusdam pastoris liberalitate: cuius item eleemosinis non parum aucta nostra est bibliotheca. Paries etiam impensa Ciuitatis extructus, ad prospectum in domesticas aedes prohibendum. Quae impensa florenis trecentis aestimata est. Serenissimus Cardinalis Albertus Prorex in Belgio primam à Societatis scholis gratulationem Valencenis excepit, appositio dramate spectando. quam actionem valde sibi probatam esse, & ipse verbis amplissimis declarauit, & corona vniuersa non laeta solum voluptate, sed admiratione etiam approbauit. Magistratus nouum theatrum à se excitatum, varijs picturis decoratum pro sua in nos munificentia Collegio concessit.*

IN-

INSVLARENSE Collegium.

INSVLIS octauo quoque die ad diuina mysteria se conferunt plus quadringenti: primis Dominicis mensium circiter mille. haec etsi sunt visitata, in his tamen locis, praesertim turbulentis temporibus, magna sunt habenda. Ciuitas incredibili est benevolentia, pariq. liberalitate erga nos. Haereticus extremo vitae tempore, à nostro Sacerdote adiutus, abiurata haeresi, Ecclesiae reconciliatus est: perceptisq. Ecclesiae sacramentis, excessit è vita. Quidam laqueo sibi fauces praeclusérat: tempestiua ope, ac tantum non sera resecto fune, seruatus diu iacuit semianimis. casu illac noster Sacerdos pertransibat: tumultuarioq. impetu ceteris in eum demum irrumpentibus, intrat & ipse: hominem, vt ad se redijt; amice, grauiterq. sui sceleris arguit: veniam ille petijt; factaq. confessione, vt à corporis, ita etiam ab animi interitu seruatus est. Quadraginta horarum supplicatio nostro in templo instituta, aliorum etiam pia studia excitauit. Nam ad auertendum imminentis contagionis periculum, nostrorum hortatu institutum, vt in alias deinceps aedes continenti opera exciperetur. Excursiones ad vicina loca nunquam intermissae. quae cum frequentia sint, & perampla, ac magnam partem haeresi contaminata, operas tanta iam albescente messe ad se alliciunt.

Digitized by Google

RESIDENTIA Bruxellensis.

AD residentiam Bruxellensem duae quasi pertinent familiae; ij qui in urbe versantur; & qui ad bellum copias prosequuntur. Ciuitati, vti supra dictum est, octo Sacerdotes cum fratribus quatuor inseruiunt. Ii confitentium numero admodum pauci sunt: tantus est omnium ordinum hominum, & praecipue nobilium, magnaeq. auctoritatis ad nos concursus, vt diebus celebrioribus excludantur multi; quibus ne duplo quidem maior Sacerdotum numerus satis esset. Auditae confessiones generales ad centum, praeter alias multas, quarum numerus notatus non est. Praeter alias conciones, & catecheses diuersis locis habitas, datus Aduentu Praedicator, qui quotidie verba faciat ad venerabile Capitulum S. Gudulae patronae ciuitatis in Principi aede. multi ab haeresi ad fidem traducti: in ijs Illustris Comitissa; cuius exemplo, & opera multi accedant alij necesse est. Compositae etiam conciliataq. dissidia multorum; atq. ad pacificationem animi traducti. In ijs generosus quidam Capitaneus natione Italus miseranodo admodum, & scelerato casu, à nefario latrone turpi mercede conducto, luce media in turba sclopi glande in tergo percussus est. quo vulnere dorsi spina comminuta concidit. praesto ei fuit noster Sacerdos, homini, quae extremum illud tempus postulat, proposuit. ille iniuriam omnem Christi amore vere, & ex animo condonauit; confessioneq. expiatus, ac salutaribus monitis instructus, vt strenue,

gene-

generoseq. valens militari munere, sic moriens pie Christianeq. vita perfunctus est, Sacerdote nostro illi ad extremum usque spiritum adstante. Perditus porro tanti sceleris patrator comprehensus, dirissimo supplicio, & relatu horrendo affectus est. manus illi primum ambusta: deinde membris omnibus contentissime distento, viuenti, & spiranti cor è pectore exemptum, ad tam horrendos cruciatus perferendos eiusdem Sacerdotis opera ante confirmatus est: ac totius vitae confessione expiatus: tantumq. patientiae, ac constantiae specimen praebuit, quantum tam atrocis supplicij immanitas postulabat: neque vnquam à Sacerdote illum admonente quo in diu spirauit relictus est. Admirabilis plane diuina bonitas ex tam praui operibus, tantam hominum malitiam in tantam conuertit felicitatem animarum. Iis, qui in castris versati sunt, prima curae fuit studium suae cuique religionis retinendae: ne inter tot turbas, totq. huc, illuc animum trahentes occupationes, sui oblitus animus à se ipso recedat; neglectoq. sui cultu, interioreq. cum Deo coniunctione relicta, dum alienae inseruit vtilitati, sua ipse detrimenta non sentiat. quare in id omnes adnituntur, vt ad praescriptam, nutumq. regentis omnia referant, institutaq. & viuendi leges omnes non secus, ac si in media Collegiorum quiete versarentur, ad amussim retineant. Secundum hanc maximum fuit studium, vt cuius rei causa venerunt, suas curas, cogitationes, operam, vitam denique omnem in animorum salute impendant, nullis neque laboribus, neque incommodis, neque periculis deterriti, quo minus indigentibus accurrant: longum esset, quot adierint incommoda, pertulerint, vt gregarijs militibus, aegrotis, saucijs morti fessissimis

affectis, in maxima sordium foeditate abiectis apum ferant. vt saepe ijs in ipsis se sordes abiicere necesse fuerit, manibus, pedibusq. repere, stramina suguria paedore, sordibusq. grauissime olentia promis subire, vt ad eos perueniret, qui miseri despituti; in cubilibus, seu lustris potius pecudum foede iacebant. nec minore alacritate eadem de causa pericula subiere, ad eos, qui circa vallum, & ageres, aliisq. praelijs cadebant accurrere; praeq. ac prostrati, iacentium confessiones excepere. cui rei cum daret operam Sacerdos, repente tormentarius globus, ex hoste libratus partem ageris deiecit, sub quo Pater sacro operi intentus erat: proximeq. abfuit, vt suo viuens obruetur sepulchro. Sacerdos alter dum militi Crucifixi imaginē praebet osculandam, globus emissus militem exanimat, crucemq. comminuit, Christi imagine Sacerdote illam tenente illaesa. Sub finem quadragesimae, cum praesertim copiae Calitium ducerentur, omnes prope Chiliarchi (Columnellos vulgo appellant) & nobiliores Capitanei, eq. toto exercitu milites, quibus per occupationes militares licuit, nostris confessi sunt: eaq. est passim iam omnium consuetudo, vt siue muri adoriendi sunt; siue conflictus cum hoste committendus, primum ad arma spiritualia confugiant. quo factum est, vt vitia multa sustulisse haud difficile fuerit, schorta, concubinae, furta, sacrilegia, periuria. Per idem tempus P. Nicolaus Montanus, qui ad praesidiarios Cameracenses, Castellanosq. missus erat, potestate facta à superiore, Cameraco Castelletum contendebat. profectionis duae caussae fuere: vt praesidiariorum, ad Pascha celebrandum, confessiones exciperet: & vt desertorem quendam religionis, qui ibi relicto habi-

tu,

tu, cum militibus merebat, ad claustra reuocaret. Praesagiebat illi animus, vt ipse antequam profisceretur, dicebat; eo die sibi esse in hostium manus veniendum, verum leuem eum timorem reprehendens, fretus comitatus firmitate, (trecentos enim secum milites ducebat) accepta à superiore benedictione, dedit se in viam. Iam duo milliaria processerant, cum praeter spem in hostiles duas equitum turmas inciderunt. erant omnino cataphracti trecenti. ab vtraque parte trepidatum est initio. post breuem deliberationem in nostros impetū faciunt cataphracti. Pater vt se periculo subduceret, immisso equo, in proximam syluam se recipiebat. Sed intercepto itinere, ab vno ex hostibus gladio traijcitur; eoq. vnico ictu confectus cadit. praelium interim committitur. sed hostium duce, pauciscq. ex ijs caesis, reliqui fugae se dederunt, sanguini, & meritis innocentissimi viri victoria tributa est. Caesi Sacerdotis cadauer Cameracum relatum est, honorificentissimeq. in nostro templo sepultum. Grauiter, & iniquo animo tanti viri mortem tulere milites: sed Camaracensis Praetor multo maxime, qui ei publice funus perhonorificum curauit; & funebri oratione à Monacho Hispano, cui magna cum Patre necessitudo intercesserat, laudatus. Vir impiger & indefessus, professus quatuor votorum, in obedientiae munere fungendo sublatus: dignum reliquit posteris exemplum nullas neque labores, neque pericula in diuina causa defugiendi. Excursum praeterea Philippopolim, & Marianopolim, opida Galliae cōtermina: omniumq. fere praesidiariorum confessiones auditae: grauissima inter Ciues dissidia composita, multiq. ex concubinatu extracti, sacro matrimonij federe coniuncti sunt.

MISSIO CALITIENSIS.

POST captam Calitium, quod exeûte quadragesima in potestatem venit, mensibus aliquot opidi Praefectus contendit à Serenissimo Cardinali, vt aliqui de Societate eo mitterentur. multùm id & ad rem Christianam, & ad continendos in officio milites pertinere. Missi ex ijs, qui erant in Castris duo, cum fratre vno, summa omnium gratulatione excipiuntur; opportunusq. admodum eorum fuit aduentus. grassabatur enim per id tempus vrbe tota saeua lues, cum molestissima dysenteria, aliq. morbi, quibus quotidie absumebantur multi. nostri statim ad consueta munia se conferunt. aegris iuuandis, moribundis, integrisq. ad Christiani hominis officium hortandis quotidianam illorum operam insumebatur. ita per eam occasionem facilius multos, quod nunquam antea rite fecerant, ad confessionem, & vitae mutationem, alios ad pelices ejiciendas perpulerunt. Dum sibi nulla re parcentes in proximorum salutem strenue incumbunt, frater laborum & adiutor, quo maxime tempore ipsius indigebant opera, lue correptus, paucis diebus, per multum exercitatus patientiam, cum mane se eo die secûda hora pomeridiana obiturum praedixisset, vita defungitur. Paullo post vnus, deinceps alter famulus eodem leti genere absumuntur. quorum alter spectatae probitatis adolescens iam quadriennio flagitabat, vt in Societatem admitteretur. Diuina misericordia in ipso felicis vitae vestibulo ei suae vota repraesentauit. Hoc perculsi incõmodo Patres Praefectum vrbis alios q. nobiles monuere, vt quando lues iam nostram familiam

miliam cepisset, sacello nostro tantisper saltem abstinerent, dum vis morbi deseuesceret; sacraq. in templis alijs frequentarent. Verum illi nostrorum consuetudine assueti, vt nunquam antea, ita nec tum quidem nostrum consortium vitarunt. Patres quoque non ita multo post morbo appetiti, sumpto pharmacho, & sudore multo è corpore expresso, luem abegerunt: & die altera alacres ad pristina munia retulerunt. Hac eorum sedulitate, & prompta ad omnium vsus alacritate, Praefectus ad suam existimationem, & officium ratus pertinere, de his rebus Cardinalem Proregem certiorem facere, de nostrorum officijs, meritisq. semel, & iterum perhonorifice scripsit literas dedit. Patres interim reliqui in exercitu laboribus, incommodisq. fracti, varijs oppressi morbis, in varia se Collegia recipere coacti, grauiter decubuerunt.

RESIDENTIA Montensis.

MONTIBVS in Hannonia catholica ciuitate admodum pia, & in nostrum ordinem valde propensa, consistentium tantus est numerus, vt neque sacerdotes septem, qui ibi degunt, ijs satis esse possint, ne si totidem quidem alij accederent. Catecheses in scholis omnibus semel hebdomada est instituta. Cum pro concione laudasset semel sacerdotis piam consuetudinem vniuersae vitae confessionis faciendae, libellumq; commendasset, quo eius instituendae methodus continebatur, tantum eius rei omnibus iniectum est studium, vt eorum libellorum tria millia bibliopola vno, atque altera die distraxerit.

xerit. *Mulier nobilis specie tenus pietati apprime dedita, intus vero haereseon sanie penitus corrupta, tanto artificio orphanorum hospitaliumq. magistris imposuerat, vt illi fides magnis in rebus haberetur: vulgoq. & benefica, & pauperum mater diceretur. haec peruerso succensa Zelo sensim rudiũ mentibus venenum infundebat. Sensere malitiosam artem nostri homines, sagaciusq. odorati rem, monuere eos, quorum intereat, suspectam habendam esse speciem illam pietatis. Sed quoniam certis argumentis convinci non poterat; illud tenuerunt, vt ipsius diligenter obseruarentur actiones. Illa cum se videret circunscriptam, & secum minus solito fidenter agi, vt erat versuta, & calida, suspicata iam versutiam suam teneri, solum vertit: atque vt maiore conscientiae quiete frueretur, ad sibi sacrosanctam Ecclesiam concessit Aquisgranum. & nunc pia femina noui studiosa Euangelij, ne suum otiosa panem comedat, Aquisgrani fuso, & lana victum quaeritat. Virgines sex apud nostros Sacramenta frequentare solitae S. Clarae seueriſſimum institutum complexae sunt. Virgo alia Sacramenta item apud nostros obire solita praeclarum pudicitiae simul, & pietatis documentum dedit. Illius integritati homo haereticus vesano amore incitatus, insidiabatur: cumq. eius inuictum animum varijs illecebris frustra pertentasset, vt erat ille stygio instinctu in omnes occasiones intentus, forte accidit, vt illam in eas angustias compegisset, vnde nulla vi posset euadere: pia virgo omni ope destituta, in caelestem opem spem defigens, procumbit in genua Deum, & Dei matrem B. Virginem Halensem (Halae enim magna finitimorum vrbium religione colitur Deipara) cum lacrymis*

magna

magna animi contentione implorat; mira puellae fiducia: admirabilius caelestè auxilium. vix precari illa coeperat, cum amens ille & effrenatus, quasi fulmine ictus, semianimis ruit ad terram; rursusq. aliquandiu mortuo similis. Virgini iterum facta potestas intutum se recipiendi. Excitus ille postmodum, itaeo casu grauiter perculsus est, vt nunquam puellam postea molestus fuerit.

RESIDENTIA Luxemburgensis.

LVXEMBVRGI quoque nostrorum aduentu restituta religio videtur. Concionum Dominicis, reliquisq. diebus festis, & sacramentorum illata consuetudo, noua res in ciuitate hac. nam, cum superioribus annis natalibus Christi seruis vix decem reperirentur, qui ad sacra mysteria accederent; plus trecenti hoc anno accessere. & sane multo plures accessissent, nisi è duobus, qui ibi degunt sacerdotibus, morbo alter praepediretur. Decem ab haeresi ad Ecclesiae gremium reuocarunt. Animarum pastores persaepe de rebus ad conscientiam pertinentibus nos consulunt. Vrbis Gubernator incredibiliter delectatus est nostra explicandi cathechismi ratione. magnamq. coepit ille voluptatem prompta memoria, & alacri viuacitate in addiscendo puerorum. Eorum vnum, pauperem, & obsoleta amictum veste, sed admirabili ingenij promptitudine spectauit disputantem. pueri indolem egregiam commendatiorem, faciebat inopia: cum inter paupertatis sordes bona tamen interlucentis naturae emicarent, ad-

mira-

miratus igitur in tantula aetate, ingenium, & spem virtutis innascentis, egregie commendatum magna cum honoris significatione noua veste donauit. Egregia est vtriusque senatus, & Prouincialis, & ciuitatis, atque adeo plebis vniuersae voluntas erga nos: magnoq. excitandi Collegij studio tenentur. Sed expectantur tempora quietiora. nam sunt in eam rem iam certa vectigalia, nisi eorum fructus bella impedirent. interim de loci opportunitate cogitatur.

SEDES CAMERACENSIS.

CAMERACI pestilentia spiritalium rerum cursum retardarit ne, an incitarit, ambiguo est. nam cum Domum nostram vndique pestilentia obsepsisset, vt circumscripti quodammodo videremur; pestilentibus tamen, & integris adiumento fuimus. sed pestilentes, qui ad nos aduentabant, ex certa tantum distantia audiuimus. nostrorum tamen nullum adhuc pestilentia contigerat. Christo laus. Domus perampla cum domo nostra continente empta est: nullo contracto aere alieno. Diuina enim prouidentia opportunitates, vnde solueremus, suppeditauit.

COLLEGIVM Anglicanum Audomari.

SOCIORVM Audomarensium curae adiunctum est Collegium Anglorum adolescentium egregia pietate, summa in praefides, & magistros obseruantia, egregio ad litteras ingenio, & ad om-

ne

ne genus probitatis inprimis docili. Sed incommode cecidit, quod miserandum in modum pestilentia vrbem inuasit: quare visum est tam lectas, & in magnam Ecclesiae spem educatas plantas periculo subducere. maxima eorum pars traducta Cortracum: tredecim lectissimi missi in Hispaniam: pauci Audomaristrenses. Cortracensibus Socijs incredibiliter grati ob suam probitatem, & egregiam indolem aduenere: magnaq. eos apud se habent in admiratione. Obijt inter eos Gulielmus Visemanus lenta confectus tabe; qui à R. P. N. Generali Roma missus, spe valetudinis recuperandae, huc prope appulit. examinatus.

* * *



PROVINCIARVM FRANCIAE, ET LVGDVNENSIS FRAGMENTA.

MVSSIPONTANVM Collegium.



RVINAE iam sequuntur afflictarum Prouinciarum Franciae, & eius, quae fuit in tractu Lugdunensi. & quidem Francia ita quassata est, vt ex tanto, & tam pulchro corpore duo tantum, quasi diuiecta membra, Mussipontanum, & Viridunense Collegia, miserandae admodum tantae Prouinciae parietinae supersint. Hominum numerus, cum huc illucq. dispersi in varias se Prouincias receperint, collectus nullus est. immò ne Mussipontani quidem Collegij, quod intactum fuit ab ea calamitate, capitum numerus perscribitur: tanta superat adhuc praeteriti naufragij fluctuatio, vt nondum tabulas omnes, atque armamenta diiecta collegerimus. Qui tamen in Mussipontano Collegio fuere, scholis, concionibus, & sacrarum rerum administratione rei Christiana e de more nauarunt operam. Et quoniam

iam eius Collegij praecipua pars scholae sunt, de ijs dicemus primo loco. Auditores habent plus mille: Theologiae Doctores creati quatuor: Licentiatus vnus: Bacchalaurei biblici duo: Philosophiae magistri vndecim: Bacchalaurei totidem. Schola, quae conscientiae tractat quaestiones, auditores habet vna plus centum; & quidem maturae omnes iam aetate. Data est Tragoedia Mauritius Imperator; quam praemiorum est subsequuta distributio. Praemia impensa Ciuitatis comparata Ceterum & litterarum & pietatis in primis florent studia: palmamq. alijs praeripiunt, qui sunt in sodalicio Beatae Virginis, tanto virtutum omnium exemplo, vt & praecipua causa sit, cur ascribi se illorum cetui cupiant quamplurimi: quorum ob loci angustias differtur expectatio. Ex ijs multi se Societati nostrae consecrarunt: alij, qui id in votis habent, iubentur vel aetatis maturitatem, vel tempora opportuniora expectare. Interim gymnasio vniuerso consueta non desunt à nobis ad bene pieq. viuendum adiumenta; neque scholarum tantummodo alumnis, sed vniuersae quoque Ciuitati. multi a peccandi periculis erepti: inter quos adolescens, quem daemon palam ementita specie ad furtum instigabat; & viam etiam ad praedam surripiendam commonstrabat. Multi, audita nostri Sacerdotis concione de seuero extremi temporis iudicio, se ad reddendam culparum omnium, quas in vita admiserunt, rationem compararunt. Exculti multi domi spiritalibus nostris exercitationibus: sed praecipue Abbates duo, magno tum ipsorum bono, & grati erga Societatem animi significatione, qui repetita confessione omnium à pueritia peccatorum, tantum se eo die fructum animo

cepisse

sepisse testabantur, vt eum omnibus, quos in vita laetissimos habuissent, anteponerent. Ita demum a nobis discessere, vt honorifice, & multa cum laude de nostro instituto loquerentur; quod nullum laborem aliorum causa suscipere grauarcmur: seq. cui secundum Deum plus debeant, habere neminem. vix se donum receperant, cum multos de suis ad easdem epulas miserere. sic vt nullo tempore vnquam tantus ad id excrcitationis genus hominum numerus confluxerit. ita Deo bene iuuante factum, vt sacrarum commentationum beneficio, & totius vitae confessione antiqua disciplina, quae iam exoleuerat, duobus in monasterijs restitueretur. Libri praeterea malorum morum satores exusti quam plurimi. Excursum est ad vrbes alias, opida, vicosq. circa positos, non sine fructu. Tullum est ciuitas in finibus Lotharingiae, eo missus de nostris vnus. Aduentus diebus conciones habuit tanta omnium ordinum frequentia, vt nunquam tantam se in vrbe illa vidisse, maximi quique natu illius ciuitatis testarentur. Nam cum superioribus annis concio locum diebus profestis destinatum aegre compleret, hoc anno, abundate multitudine, in aedem primariam transferre concionem necesse fuit. Tritus ante solis ortum horis ad loca occupanda concurrebant, diebus profestis horis quatuor; festis vero sex septemue sedentes concionem expectabant. neque vero ad vorandam sermonis escam tantum confluebant, hamo vero diuini verbi non capiebantur. sed tanti animorum motus facti sunt, vt praedicator ipse ad ducentas exceperit confessiones, pleraq. a prima aetate repetitas. multo plures parochi, religiosi mendicantes, aliiq. Sacerdotes, in aede principe ab ipso Episcopo, numero solito

maiore

maiore consluxit. omnium. idem erat testimonium, nunquam neque tantum vidisse se ad poenitentiam concursum, neque tanto cum animi sensu. siquidem cum sono vocis insonuerat ad mentis aures diuini spiritus alloquutio. Duo cum Ecclesia reconciliati sunt: duodecim & eo amplius a meretricia vita revocatae: inueterata diebus festis mercimonij consuetudo sublata est: superstitiones in morborum curationibus abolitae. Error etiam correctus, qui in diuinorum officiorum ratione sensim irrepserat. Tantum denique vniuersae ciuitati iniectus amor in Societatem, tantumq. nostrarum audiendarum concionum studium; vt cum postremo die discessurus a populo veniam peteret, non sine magna concionis exploratione mitteretur.

VIRIDVNENSE Collegium.

SEQVITVR fragmentum alterum Provinciae dissectae. Collegium Viridunense cum tirocinio coniunctum, in quo triginta circiter è nostris versati sunt. Sacerdotes decem, quorum duo scholam docent, tres alij magistri, quinque coadiutores, novicij ceteri. Hunc tantum capitum numerum ex afflicta provincia collegimus. Satis commoda Dei munere omnes vsi valitudine. Neque quisquam ex hoc numero desideratus est. Decessit tamen in nostris aedibus vir singulari probitate, ac pietate praeditus, & nostrae Societatis amantissimus Petrus Frizonius Decanus Rhemensis, cui nihil fuit optatius tota vita, quam in Societatem cooptari.

Digitized by Google

hic domo pulsus ad nos huc se recepit, diuturno morbo, ac graui conflictatus, die Romanae S. Petri cathedrae dicato è vita migrauit. hoc saltem voti compos factus, quod in Societatis hospitio, in longo morbo curatus decubuit, & tamquam vnus de Societate omnibus hospitalitatis, & caritatis officijs habitus, Sacramentisq. communitus inter Societatis hominum manus, quos tantopere amabat, vt Hibernus ille Malachias in Clarauallensium familia, spiritum Deo reddidit. Ceterum quod ad laborem nostrorum attinet, quotidianamq. operam in administratione sacrorum, tantus est paenitentium numerus in nostro templo, vt dominicis diebus octo sacerdotes, celebrioribus quotquot in collegio degũt, audiendis confitentibus non sufficiant. Concionum fructus crescit in dies. multi haeresibus referti, & impudice scripti libri cumbusti sunt. aliqui, qui multis annis haeresim professi erant, ea abiecta cum Ecclesia reconciliati sunt; alij solutis eorum dubitationibus in fide confirmati: meretrices duae à flagitiosa ad honestam viuendi rationem traductae: multae simultates depositae, etiam coniugos inter se reconciliati: ardentes inter quosdam irae, & vt putabatur, inextinguibiles oppressae. Duo item alij tam in festis animis dissidebant, vt neuter sine alterius nece placari posse crederetur, cum vtroque vnus egit de nostris seperatim tanta dexteritate, & efficacia, vt eos ad colloquium in locum vnum coegerit, cumq. vterque hortationibus & precibus aures obstruxisset, ad eorum genua Sacerdos abiectus, per Iesu Christi amorem erga nos, per illius vulnera, & Sanguinem obtestans, eos impulit, vt fracta animi duritia, in mutuos ruerent amplexus. Duabus in praecipuis vrbis paro-

cijs

eius Doctrina Christiana explicatur. & cum diu continentibus imbribus madefactae segetes iam nimio humore marcescerent, candidatorum puerorum, qui catechismo imbuuntur, per urbem agmine traducta supplicatio est, cum vexillis, & Christi dolorum argumento, & litaniarum sacrorumq. Doctrinae carminum cantu ad pluuiae cessationem; & serenitatem impetrandam. Quo exemplo excitati canonici reliquusq. clerus eodem ordine cantuq. eiusdem rei impetrandae processere. Et haud dubiae exceptae in caelo preces. tempestiua enim imbrium cessationem sequuta serenitas, & integras fruges seruauit; & quae vitij aliquid contraxerant, in pristinum restituit virorem. Catechismus etiam, urbis Praetore postulante, militibus, qui in hoc praesidio sunt, explicatur; multiq. ea de re ad eos habiti sermones. quo fit vt praua iurãdi exeerandiq. consuetudo sensim detrahatur: fides religionisq. integritas augeatur: multiq. eorum, quod sane mirum est in Gallicis militibus, crebro peccata confiteantur: omnes vero passim pietatis studium praeseferant; & nostros homines, tanquam suae salutis administros, vereantur, & sane tantam in militibus facilitatem, vt se nostrorum ministerio tractari sinant, secundum Deum, Praetori in primis acceptam referendam esse non est dubitandum, illudq. aperte intelligitur; nullius esse ingenium tam ferox, & immite, vt non ad mansuetudinem traducatur patientia, & lenitate. Scholae discipulos habent trecentos septuaginta. Data primum hoc anno, in hac vrbe diligentissimis praemia, impensa ciuitatis. cum dramate de tragica Mauritij nece, & filiorum.

Est praeterea sodalitas B. Virgini dicata, quae

partim scholarum discipulis, partim aliis ciuibus constat. Vtrorumque magna laus in virtutum studio, & magni ad pietatem processus. vt eorum exemplo, & fama ad aemulationem excitentur alij: nam non in consuetudine solum, conuictuq. familiarium, sed in domestica multo magis disciplina, ea sunt morum aequitate & facilitate, vt matres familias non possint tantum domesticum bonum non foras proferre; & cum matronis aliis communicare: ita ceterae vt suae quoque familiae quieti consulant, maritos, filiosq. hortantur, vt se quoque in eam sodalitatem adscribendos curent. Illud etiam hinc emolumentum profectum, quod cum antea feminae fere sacramenta perciperent in nostro templo, viri perpauci; nunc vi palmam in eo pietatis genere à feminis eripi sibi non sinant. Haec cum sint adhuc pene rerum initia, speramus maiores adhuc processus habitura. Ceterum ciuitas vniuersa incredibili est erga nos beneuolentia. nam cum cognouissent nos rei familiaris angustia aere alieno grauari, ad subleuandam inopiam mille nobis aureos ex publico aerario eleemosinae nomine dederunt. Deinde cum ne sic quidem alienum aes solutum esset, mille & ducentos circiter ex eodem aerario mutuos dedere. quae res nostris rationibus accidit peropportuna. Haec in vrbe, illa foris. Excursum est catechismi causa in vicina loca; traditaq. pueris elementa fidei, ad quae grandes quoque consluebant: vt cum magistrorum paucitate non posset vicis omnibus satisfieri. accidit persaepe, vt quadragesima, & post paschales feriae (tantus est ad hoc studium agricolarum feruor) ex multis vicis, pueri ad vicum, quo veneramus, agmine praelatis crucibus, maioribus natu deducentibus

bus cum doctrinae Christianae carmine ludus se conferrent. Conuenere fere ad octingentos: saepe ad mille, nonnunquam mille & quingenti fuere: vt aliquando, quod multitudinem templi ambitus non caperet, tota concio fuerit sub dio educenda. Commodum accidit aliquando, vt, cum in opidum quoddam venissent, duas infestas adolescentulorum acies fustibus armatas offenderint ad dimicandum instructas. vtramque a tam fedo periculo, eoq. praelij simulacro ad Doctrinae Christianae certamen auocarunt: ita triste illud, funestumq. ludicrum sublatum. iterumq. & tertio in eodem opido conuentus puerorum e diuersis vicis, ac villis ad Catechismum agmine euntium celebrati. felicis. cursu res progrederetur, nisi pestilentia gliscens in dies coegisset nostros intra menia se continere. Et sane pro miraculo habetur, quod cum saeua lues non modo Lotharingiam, sed etiam Galliam penè omnem, Germaniamq. peruaserit, insuper etiam circumpositos vicos occuparit; duabus hisce vrbibus, in quibus adhuc Societatis reliquiae asseruantur, Mussiponto, & Viriduno pepercerit. Quod cum ciues, tum etiam ij, qui in agris degunt, meritis, & pijs Societatis precationibus tribuere non dubitant. habenda certe haec praecipua gratia diuinae bonitati, quae in tantis aerumnis hoc saltem solatio maerorem nostrum consolatur. Accersiti sunt etiam nostri a Duce Lotharingiae; eiusq. rogatu Steniacum opidum semel & iterum profecti, & collapsam Ecclesiasticam disciplinam restituerunt; & aliquos ab haeresi ad catholicam fidem traduxerunt. Barroduchum opidum est multis ciuitatibus, & opibus, & frequentia par, in quo Illustrissimus Cardinalis a Lotharingia cum sere-

nissimo Duce patre & fratribus versantur, vt haereticos omnes, aut si id minus possint, quamplurimos inde exterminent. Huc vocatus P. Rector, rogatus est, daret operam, vt ciuem primarium illius opidi, virum prudentem & industrium, in primisq. rerum gerendarum peritia insignem à Caluiniana haeresi ad catholicam Ecclesiam traduceret. Pater multis habitis de religione concertationibus, homini tandem diuina ope persuasit, vt eiurata haeresi magna cum omnium gratulatione se cum Ecclesia coniungeret. Hunc vndecim alij, opera eiusdem Patris, secuti veram esse Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam agnoscunt, & profitentur. Horum vnus tam bene Sacrae scripturae loca, quibus haeretici nituntur cognita habet & quasi manibus detrita, tamq. callide eorum omnes tenet captiones, ac diuerticula, vt antesignanus esse potuerit ministrorum omnium. Speramus tanto meliorem propugnatorem veritatis futurum, quanto in adumbrata illa & fucata haereticorum insciția, fuit adhuc ceteris peritior.

PRO-

PROVINCIA LVGDVNENSIS.



PROVINCIA Lugdun. est minus illa quidem afflicta, sed ipso quasi capite, membrisq. alijs praecipuis mutilata, sui corporis fragmēta retinet maiora, quippe è nouem, quae prius habuit, domicilijs tribus amissis sex illi supersunt: Collegia quinque cum Domo Probationis Auenionensi. Socij numerantur omnino ducenti quadraginta septem. In Collegio Auenionensi octoginta septem: in Turnonensi triginta quatuor: in Dolano quadraginta tres: in Chamberiensi viginti quinque; in Anicijensi triginta: in Domo Probationis viginti octo. Decessere duo. accessere ad Societatem quindecim: missi partim in Italiam, partim in Germaniam viginti.

Digitized by Google

COLLEGIVM Auenionense.

EIECTI superioris anni naufragio Auenionem tam multi appulere, vt anno toto numerarit hoc Collegium socios octoginta septem: Sacerdotes viginti octo. E quibus quenque scholis praefuere: sex Theologiae fuere auditores: septem praeterea è fratrum numero, suae quisque scholarum magistri: Theologiae studiosi, praeter sacerdotes, decem: Philosophiae quatuordecim: sex iunis ad conscientiam pertinentis: vno pauciores Rhetoricae: septendecim coadiutores. numerus omnino Collegio huic intolerabilis, & corporum salubritati ob locorum angustias, & coarctata contubernia periculosus. quippe seni & otioni compressi, & quasi compacti in cubiculis non amplis, atque bene materiatis habitarunt, aestatis caloribus, qui tam graues esse solent in hac vrbe, vt qui Romae veniunt, eos Romanis caloribus asseruari omnino pares. qui tanto graviores esse debuerunt, quanto Gallicana corpora eorum grauitati minus assueta. Sed qui Auenionensium liberalitate nostram sustentauit inopiam, idem etiam & caeli grauitatem temperauit, & imbecillis corporibus sanitatem ad resistendum subministrauit. quod pro miraculo se habere Cardinalis Archiepiscopus sacpius significauit. tanta corporum, tam graui tempore salubritas in maiorem etiam animorum salubritatem redundauit. Siquidem ex tanta virtutum communicatione, tanquam ex aggesta materia, maior etiam caritatis flamma Collegio vniuerso

suc-

fuerenſe eſt: & in ſingulis ſuae cuiuſque religionis ſtudium excitatum, vt prope tantae calamitatis non paeniteat: ſiquidem in tantum ſpirituale bonum redundauit. vnus P. Petrus à S. Andrea corporis incommoda valetudine biennio ante vexatus, grauiſſimo deinde caſu exceptus, praeclaram exercendae patientiae occaſionem nactus eſt. Is cum reparandae valetudinis cauſſa patrium ſolum repeteret, in itinere à Villonouano latronum Duce, homine haeretico, intercipitur. Ductuſq. in caſtrũ, quod ille ſuorum latrotiniorum receptaculo delegerat, biennio toto eo ſcilicet curitate habitus eſt, quem in Ieſuitam exercere praedonem haereticum ſua fides, ſui mores docuerunt. Praedonis initio conſilium fuit eius caput cum capite haereticis miniſtri commutare, qui forte per id tempus in poteſtatem venerat Ducis Subaudiae; ita in noſtri ſacerdotis caput conſulturus, vt de eius miniſtro Subaudus conſtituiſſet. egere cum ſereniſſimo Duce noſtri magnae contentionis vinclum illum vt remitteret, ſed fruſtra. Dei tamen miſeratione factum eſt, vt miniſter, agnita veritate abiuraret haereſim, & cum Eccleſia reconciliatus è cuſtodia emitteretur. Villonouanus tamen in fide non ſtetit, ſed futili perfidiae calumniam obtendit: debere, viciſſim noſtrum ſacerdotem haereticorum, quos ille deſeruiſſet, fieri cuſtodem. erat omnino certa occaſio martyrij: ſed praeoptauit Deo aliter viſum, vel non ita vulgari eius palmae nobilitatem hoc tempore, vel noſtrum voluiſſe in alios Eccleſiae vſus reſeruare. Aſtum eius lumine de fide deferendae, ſuſtinendoq. ibi deſperatas animas munere ſuſcipiendo. nimirum de aliorum religione iudicium ex ſua faciebant: paſſimque à veris Chriſti cultoribus,

Digitized by Google

bus tanti fieri religionem, quanti est apud ipsos peruicax in sua haeresi consilium. Sed stulti rete, iaciebant ante oculos pennatorum: nihil ille sua religione, nihil Societatis nomine fecit indignum. Instituitur ea de re disputatio: corrogantur à Villanouano ministri, seu vespertiliones totius Delfinatus audacissimi, ita est genus hominum: audacia pro sapientia vtuntur. non difficile fuit hominas sua tantum libraria euoluentes, & locos certos è sacris litteris depromptos, deprauare assuetos, sinceritate Doctrinae, & argumentorum firmitate refellere. Dura interim custodia noster seruabatur. Diuinoq. plane beneficio factum est, vt ei careeris squalor, inedia, & aerumnarum grauitas, quam medicina non valuerat, corporis sanitatem restituerint. Iam ille in custodia biennium exegerat, cum inter tot afflictae Prouinciae calamitates pretium iam ad eum redimendum quingenti numi aurei, quot latro postulauerat, parati erant; missusq. ea de re sacerdos alius dum in vrbe latronibus vicina remorgeret, antequam pecunia numeraretur, increbuit Iesuitam, praedonum è custodia elapsum, à quadraginta militibus, omnibus insessis saltibus, ad necè quaeri: is enim priore nocte, intendentibus se tenebris, duce vno e Villanouani militibus, e munitione se demiserat, atque ad tuta properabat. Sed dimissis ad inquirendum satellitibus, in proxima saliceta cum comite milite delituit, latebra nec satis fideli, & facile obuia cuilibet: sed venaticos diuina prouidentia auertit alio. eo periculo perfunctus, postero die in arcem Ducis Sabaudiae vicinam se recepit. Aeterna diuinae bonitati laus, quae non modo suo militi valetudinem & libertatem restituit, sed egentem etiam atque inopia e

ex-

exhaustam Prouinciam neque suo fraudauit alumno, & in tanta egestate à tanti pretij dispendio liberauit. Sed iam ad ea, quae huius propria sunt anni veniamus. Conciones Quadragesimales, & Aduentu quotidianae, reliquo anni tempore Dominicis diebus, ac celebrioribus festis à duobus è nostris habitae sunt in duobus praecipuis vrbis parœcijs: tertia in templo nostro magna fidelium probatione & frequentia. & quidem gratos esse Ciuitati nostrorum sermones praeter ordinariam statis diebus frequentiam indicat extraordinarius etiam concursus auditorum, si quando ad Sacras virgines priuatas à nostris haberi hortationes percrebuit. Ex ijs, praeter vsitatos, & quotidianos, illi praecipue fructus sunt collecti, pecuniae multae iniusto lucro acquisitae suis dominis redhibitae: alij quingentos, alij mille nummos aureos reddiderunt: ter mille reddendos alius parabat. Ab haeresi sex & triginta sunt abstracti. eorum nonnulli admirabili plane diuinae miserationis opera adiuti. Venerat Auenionem quidam alijs de causis. forte nostrum audit de admirandis sacrosanctae Eucharistiae mysterijs disputationem explicantem. Doctrinam illae sibi nouam non aspernatus, absoluta concione, vertit oculum ad aram principem, vbi Sacrosancta Eucharistia de more prompta spectabatur. videt supra pastophorium infantem stare admiranda specie: deflectit inde oculos: reflectitq. saepius: eadem illi species semper obijcitur. postero die videt eundem in Episcopio supra sacratum Eucharistiae tabernaculum inambulantem, ipsamq. aram gratissima luce refulgentem, nimirum caeleste visum cum ijs, quae in concione pridie audierat congruere, eamq. quam

sibi.

sibi diuinitus monstrari lucem viderat, sequutus, ex eis, in quibus adhuc versanes erat, tenebris emersit. Adolescens duodeviginti natus annos fuit. Caeneue nauis, & eduratus, quibus artibus imbutus, haud fallax est coniectura. hic tamen nunquam patrios ritus magnopere probauit. Esse vero vestio quam aliam religionem, quae aliam declinam sequeretur, alios ritus coleret, quasi per umbram inaudierat: hos se catholicos nominare, & fortasse talium virorum Auenione fore copiam. Haec tantum de catholica religione acceperat. Insessit iuuenilem animum studium rei explorandae, & Duce Deo, tanquam Abraham de Vr Caldeorum, de patria egressus: Auenionem petit: in itinere, fortasse quod cognoscendi cupidus ex indigenis scisciteretur, bonusq. Angelus prius illi obiecit monitorem, vnius è nostris, qui Auenione esset, nomen illi suggestum est: quo valde bono magistro vti posset ad ea, quae vellet, cognoscenda. Vt venit ad vrbem, interrogatus ad portam, quis esset, vnde, & quo iret: nostrum illum, cuius nomen acceperat, dicit se quaerere, vt ab eo fidem catholicam doceatur. admittitur in vrbem, & via ad Collegium indicatur. tam felicem hactenus rei cursum inuidus daemon impedire conatus est. sed potuit malignus retardare ille quidem, impedire vero, quod erat in aeterna mente constitutum, nullo modo potuit. Recta tendit ad collegium adolescens. Interim ignotus illi homo, qui ea fortasse cognouerat ad portam, importuno malidaemonis zelo, vel potius furiali veneno stimulatus eū pone consitatorē eumq. intra collegij septum pedem ponoret: Quo vis inquit miser? quid tu hunc quaeris, à quo tibi paratam pestem certam nescis? qui eum primum,

qui

quisque, audieris, te ad magistratus delata, curabit te quamprimum in aeternum carcerem compingendum: hac voce territus adolescens, pedem retulit, vtisq. frustratus, iam in patriam redibat; cum stimulos illi Deus subiecit acriores; iniecitq. illud inuentem, non esse ab homine Iesuita, illo praesertim, de quo tam multa inaudierat, mali quidquam metuendum. venit igitur magna fiducia ad Collegium, veritatemq. catholicam edoctus, abiurata haeresi, Ecclesiae catholicae aggregatur. is statim, quo maiorem accessionem ad pietatem faceret, in modestissimam, & optima temperatam disciplina Illustrissimi Cardinalis Tauruſii familiam ascitus est. Quis credat in medio algore impietatis tales posse pietatis igniculos suscitari? enimuero vbique misericordiae suae radios diffundit Diuina lux. Hic licet à concionibus fructus collectus non sit: libuit tamen tanquam euidens diuinae bonitatis argumentum in hunc locum referre. Illud à concione profectum, quod non sine amarulento risu proferri potest. nempe hoc vnum deerat ad cursum rerum mutandum ab impietate profectarum, vt super tot haereses, quas effrenata hominum prauitas ab imo barathri profundo excitauit; essent etiam, qui Christiana prosapia prognati, tanquam canes sordidissima quaeque lambentes, ad censum Iudaeorum fidem, olidamq. obseruantiam animum aduerterent. Vir primarius vsque eo processerat amentiae, vt explosos, & exsibilatos abiectissimae gentis ritus adamarit: atque à vilissimis capitibus deceptus, aliquot annos coluerit: neque ante suam stultitiam, ac fe-

ditatem agnouerit, quam, audita vnius è nostris concione, ad eiusdem pedes aduolutus, perfidam abiecit superstitionem; omnemq. illorum annorum

vitam

vitam in confessione retexuit. Praeter eos, qui ad fidem rediere, multi à flagitiosa vita reuocati. mulier a turpi, diuturnoq. adulterio auulsa: meretrices sex è prostibulo eductae. & nunc datur opera vt hospitalis domus aliqua constituatur, quo se recipiant, quae è turpi illo caeno emergere conantur. Secundum concionis praecipuum locum obtinent confessiones. quarum numerus iniri non potuit, ne earum quidem, quae generales fuerunt. Vnum illud satis erit: ab vno tantum de tota vita exceptas esse quinquaginta. Multae inter multos pacificationes factae. Concordia inter coniuges restituta: & quorundam dissidia ab ipso die nuptiarum coeperunt, magnaq. partis vtriusque damna timebantur: alia duodeuiginti ipsos annos duraverant. Maleficia etiam, quae matrimonia turbant, sacramentorum medicina sanata: a duello multi reuocati: multorum violentia ab inferenda iniuria repressa. Fratres duo plus tribus annis inexpiabili odio erant inter se, vt alter alterum ira incitatius sumptis armis ad necem exquisierit. hoc tam furenter exardescens odium vnius è nostris opera restinctum, & in tantam beneuolentiam conuersum, vt non fraterne modo se diligant; sed ita etiam alter altero delectetur, vt certamen suscepisse videantur, vter melius intermissae paucis annis beneuolentiae damna resarciat. Parentes ambo iam nonagenarij graui afflicti morbo decumbebant: cum ad aetatis grauitatem aegritudo etiam de filiorum periculo accessisset; neque spes erat, eos ita facile conualituros. Hi cum primum audiuere filios ad concordiam venisse, tanto repente gaudio perfusi sunt, vt illud omnem morbi molestiam depulerit. Multae praeterea malorum daemonum praestigiae ar-

armis spiritualibus discussae. Et sane mirum est, quantam virtutem sacris rebus his in locis adversus daemonum licentiam tribuat diuina bonitas, praesertim sacramentorum vsu accedente. Domum quandam nocturni lemures obambulando ita habebant infestam, vt terroris magnitudine familiam omnem pene a mente demouissent. confessionis Sacramento domesticis purgatis tota domus importunis quoque laruis expurgata; neque vllae horrendae visae species, neque nocturni fragores amplius auditi. Alia tota domus ingenti malleorum sonitu in summis aedibus incudem tundentium quatiebatur; idq. certa noctis hora; fatiscebatq. iam ingenti hiatu lacunar: statuit pater familias quid hoc esset cognoscere: armatus ipse cum famulis armatis aereas potestates vulneraturus illuc ascendit. furor ab incude in armatos conuertitur; totamq. illam atiem momento disicit, & vni quidem crura, & alteri hastam in ipsis eius manibus diffringit: territos reliquos in fugam vertit. Sed confessione primum expurgata familia omni, deinde aqua lustrali, & sacris agni imaginibus munita, molesta illa infestatione etiam domus expurgatur. Eadem consecrati agni cera nocturnis laruarum molestijs domus alia, & inquilinus timore liberati sunt. Eiusdem consecrationis beneficio è scholasticis nostris vnus cum alijs, qui apud nos sacra mysteria vsurpant, è subito periculo erepti sunt. Erant, vt fit, in suburbana villa honestae oblectationis caussa complures viri feminaeq.: iacitur subito fulmen e caelo, puellamq. in media turba exanimat, quae vna sacrae cerae carebat munimento, illaesis reliquis. Perspecta vis est Sacramentorum, tum in aegrotis alijs,

tum

tum praecipue in duobus, quibus solo sacerdotis adventu ad confessionem excipiendam phraneticis fedata est. quorum alter cum nisi iocos, & scurrilia loqueretur, mentis recepta sanitate non nisi de Deo sermonem haberet: alter facta confessione, si quando de re alia, quam de Deo inijceretur sermo, statim in phraenesin relabebatur; cum ad pios sermones redibatur, mens quoque suae potestati reddebatur. Inciderat quidam in paralysim, vt adiumentum nullum ei medicorum opera praestaret. inuisit hominem officij caussa vnus è nostris; narrat illi aegrotus sibi in animo esse, quando nullam opem à medicina sibi videret superesse, ad vota confugere. quaerit quidnam Deo acceptissimum vouere possit noster menstruam per omne vitae spatium confessionem, communionemq. proponit: probat aegrotus, votum concipit, ac breui pristinae sanitati restituitur. Profuit etiam nostrorum opera religiosis alijs familijs non parum, siquidem Caelestini nobis gratias agunt, cum eorum nouicios inuisimus. Dicunt enim eos ex nostrorum colloquio alacriores ad spiritualem militiam redire. in monasterio sacrarum virginum restituta vetus disciplina: ratioq. pie viuendi, nostrorum opera melius, quam ante ordinata, vitijs nonnullis inde exsurpatis. Haec, aliaq. multa, sed quotidianis similia in vrbe. Emissi ex vrbe aliqui, diuersa loca obiere. Sacerdos in vicinum opidum accersitus magni momenti, periculiq. rixas ad concordiam redegit. Quadragesima tres diuersis in opidis versati magno cum incolarum bono ministeria Societatis exercuere. in eorum vno mulieres duae ad catholicam fidem reuocatae: auditae confessiones generales. & quoniam ibidem opifices, & agricolas,

colas, adulta iam die, ad quotidianas conciones venire non poterant, ad opus profecturi, tribus hebdomadae diebus, comes sacerdoti datus, qui ea facultate praeditus erat, antelucanis horis ad eos conciones habuit. Carpentoractae vrbe, item Pontificiae ditionis in concione de Christiani hominis vita, qualis esse debeat, copiose disputatum est. ad eam formam institutae vitae consiliū iniuerunt multi; eiusq; rei causa superioris vitae maculas vniuersas confessione deleuerunt. multi tum viri tum feminae à turpi ad honestum vitae genus traducti; multa iniuste possessa restituta; frequens sacramentorum vsus renouatus, vt qua in vrbe natali Christi die vix ducenti caelesti pane se reficerent, in ea hoc anno numerati sunt mille ducenti.

Ad scholas quartum Theologiae professorem adiecimus sacrarum litterarum interpretem, quod vnum nostro Gymnasio deesse videbatur ad studia sacrarum rerum. qui scholas nostras frequentant ad mille numerantur, neque doctrinae, ac pietatis studio commendabiles. & quidem doctrinae praeclarum specimen dedere tres è nostris, quatuor externi, philosophiae studia emensi, qui magisterij laurea nouo Auenionensibus spectaculo in publico Gymnasio, quam vniuersitatem vocant, donati sunt. tres alij item è nostris expleto Theologicorum studiorum cursu, consuetis experimentis probati, vnus etiam externus in vniuersitate doctor creatus. quae res magnam apud omnium ordinum homines, tum catholicos, tum haereticos doctrinae nobis opinionem conciliauit. huc accessit praeclarum de nobis totius vniuersitatis iudicium: nam eos, qui è nostro gymnasio prodierunt, magisterij, & doctoratus insignibus decorarunt, sola nostra probatione,

iudicioq. contenti. ab hac opinione ceriatim nostri à multis ciuitatibus poscuntur ad conciones. & certe qui ritu catholico viuunt in vrbibus, in quibus summae rerum praesunt haeretici, id enixe contendunt, saepiusq. ad nostrorum praesidum pedes aduoluti, supplisciter nostrorum hominum sibi fieri potestatem petunt: non ausuros scelerato haereseos circulatores eum ijs congredi, quorum vel solo nomine terrentur. De discipulorum nostrorum pietate, ac de duabus imprimis B. Virginis sodalitatibus illud tantum commemorare satis est: è minorum numero quindecim varijs religiosarum familiarum ordinibus se adiunxisse: nostram Societatem iniusse septem. Praeter hos, classes diuersae octo alios, vnum maiorum sodalitas alijs religionibus dedere: & supersunt, qui id habent in votis adhuc multi. Ceterum eorum, qui iam grandes in maiorum sodalicium ascribuntur animi magna spiritali dulcedine perfunduntur, vt quibus antea sacramentorum vsurpatio res esse difficillima videretur, eandem nunc magna sua cum voluptate experiantur iucundissimam. Vniuersorum porro ciuium liberalitas in subleuanda, in maxima annonae caritate, inopia nostra, egregie perspecta est. Illustrissimus vero Cardinalis Archiepiscopus in nobis ornandis fouendisq. omnium studia superauit, nostras disputationes sua praesentia cohonestauit quam saepissime. Primùm ineuntis anni diem sanctissimo nomini Iesu dicatum nobiscum transegit: mane fratres nostros diuina mensa excepit; ipse postmodum à nobis triclinio exceptus, mansit ad vesperam, cum de nomine Iesu pomeridiana concio haberetur. Idem in purpuratorum numerum allectus, postridie, quam ei Roma purpureus pileus

est

est allatus, noua purpura insignis venit in Collegium; disputationibus Theologicis interfuit; quatriduoq. post fratres iterum sacro Christi pauit corpore, pransusq. nobiscum una cum Reuerendissimis, & nostrae Societatis amantissimis Episcopis, Aquensi, Atrienſi, Rhegienſi, & Cauallionenſi, exceptus est à nostris discipulis varijs carminibus, & ecloga non ineleganti, ei nouum purpurae decus, iam pridem illius virtutibus debitum, gratulantibus. Denique triduo antequam Romam proficiscereturr, tertio caeleste nobis epulum praebuit. Peracto sacro breui oratione nostrum commendauit institutum, & purpurae docuit, omniq. humano fastigio tutam humilitatem esse praeferendam; faustaq. nobis à numine precatus, suam impertijt benedictionem. Cùm ipso Illustrissimus Cardinalis Aquiuiuius Legatus officijs, & amore certauit in societatem. Nos & ille humaniter inuisit: nobiscum cibum una sumpsit, & cum semel ex improuiso, & inexpectatus venire statuisset, cautos tamen, & in omnem occasionem intentos fallere non potuit, quin & mensam commode instructam, & aulam multorum generum carminibus refectam inueniret. idem nostram causam maximis in rebus suscepit vt suam; & se nobis in rebus omnibus non aequum modo, & facilem, sed etiam verum studiosissimumq. praestitit patronum. In discessu vero cum digrederetur à nobis, facto apud nos sacro, nobiscum pransus est. & multiplici carmine in ipsius discessum audito ad meridiem, tanquam vnus è nostris, expetijt amplexus singulorum; & magna cum benevolentiae significatione, post sacram benedictionem, postremum valere iussit omnes. Addam postremo loco, quod exeunte anno factum est. Illustrissimus Cardi-

malis Taurinus in discessu ijs, quos Avenione reliquerat, in mandatis dederat, vt ad opem à divino numine implorandam contra Turcas, circa Natales Christi ferias quadraginta horarum supplicatio haberetur. delectum est templum nostrum. dies dictus est sacer protomartyri Stephano. res magna pietate, frequentia, ordine, & rerum omnium tranquillitate peracta. initium factum à Reuerendissimo Vicelegato Canallionensi Episcopo. Is sacrum Christi Corpus è sanctuario prolatum in pegmate collocauit. Res ita instituta: singulis horis bini è nostris prodibant ad orandum, vnus tertius consciensso suggestu, breuem audientium animis hortationem admouebat: idq. per quartam horae partem: tres reliqui quadrantes integri dabantur tacitae precationi. id munus in viginti homines distributum. ij, binos singuli sibi sermones inter se partiti, orbem quadraginta horarum compleuere. Tanta res tam ardenti voluntate, tantaq. pietate ab omnibus suscepta est, vt nemo pene fuerit, qui non iucundo quodam, intimoq. pietatis sensu afficeretur. multi totas ipsas quadraginta horas cibi somniq. expertes in templo extraxerunt. Est peculiarium in hac vrbe sodalitas, quae maximam partem nobilibus adolescentibus, & vitae solutioris constans, antiquum quidem nomen retinet, cetera praeter nomen obsoleuerant. hi quoque, suas orandi vices obituri, conuenerant. audito vno sermone, ita permoti sunt, vt desuetum iam pridem institutum, repentino diuinitus instinctu, longo intercuallo retulerint: prostratiq. in faciem, terram osculantes magna voce diuinam misericordiam inclamarint. haeretica quoque mulier, quae nullis ante persuasionibus, quamuis machinae omnes adhiberen-

hiderentur, flecti potuit, nouo tanti spectaculi pietate, nouoq; tantae celebritatis exemplo delectata, manus dedit: & ad Catholicorum Christi gregum se adiunxit. apparet demum magnam in vniuersa ciuitate pietatis accessionem esse factam.

COLLEGIVM Turnonense.

IN turnonensibus socijs alendis perspecta hoc anno diuina bonitas est. vt mirum sit, vnde tanta multis suppeditauerit in victum: cum temporum inuidia ne, an iniuria ex annuis collegij prouentibus, vix tantum perceptum sit, quod ad quartam anni partem satis esset. Diem suum obijt 1x. Cal. Iunias Pater Carolus Sugerius, vir cum multa probitate, & virtute, tum singulari doctrina inter Gallidae patres magni nominis. quadraginta annos exegerat in societate eo vitae genere, atque ijs virtutibus, quae aetatem illam cum laude actam testarentur. Doctrina fuit tanta, vt ob eam maxime in his locis ea de nostris hominibus doctrinae fama percrebuerit; non esse quenquam ex haereticorum ministris, ne eos quidem qui ipsorum habentur coryphei, nobiscum comparandos. Earum suauitate, vt vel ipsos haereticos, à quibus timebatur, sibi beneuolentia obstrinxerit. Quamuis suspicio non absit, ipsum haereticorum manu propinato veneno interijsse. ille tamen confectus est in seneclute bona. Ceteri non otiosa desidia torpuerunt: nam ab errore aliquos reuocarunt. In ijs adolescens, qui à sollicito patre Geneuam mittebatur, ad florem scilicet Christianae pietatis deliban-

dum, vt à purissimis verbi, seu verborum ministris in illa scelerum sentina, purissima doctrina, nullo alieni dogmatis odore permixta, recens adhuc testa imbueretur. hic cum Turnoni aliquandiu consedisset, ab vno è sodalibus B. Virginis ad veritatis lumen intuendum est traductus; haeresiq. abiurata, cum Ecclesia coniunctus, confessione peccata expiauit. Pacificationes nonnullae compositae. Vir nobilis agnato suo grauissime erat infensus, quod ille aduerso casu ipsius fratrem peremisset. durauerat ea simultas annos quinque; quam nullius, ne primariorum quidem virorum precibus is, qui lusus erat, adduci potuit, vt deponeret. adhibita est opera nostrorum; diuinaq. ope factum est, vt ad Christiani hominis officium pertinere ille iudicaret, offensas penitus ex animo remittere, itaque aperto professus est omnem se iniuriam agnato suo, Christi causa, condonare; idque syngrapha testatum esse voluit. Puellae, cuius pudicitiae nouerca nequam insidiari videbatur, consultum est. Alius opimum sacerdotium, quo ei salua religione frui non licebat, vltro resignauit: raro omnino in his locis exemplo. Certe quanto ad retinendam pietatem Societatis opera sit vsui, ipsae, in quibus versamur, & à quibus absumus, testantur ciuitates: vt ad consueta pietatis auxilia quaerenda, aut adhibenda non tam proni sint, qui nostrorum consuetudine priuantur. nusquam rerum sacrarum tam multa sentiuntur beneficia, quam quibus in locis est Societas. id nuper in consecrata agni Diuini cera perspectum est. Mater infantem filium in cuna obuolutum solum reliquerat: eum rediit è cuna reperit extractum, effuso cruore ex vulnere conspersum, haud

dubie

dubie nequissimae lamiae iniuriam prodebat: neque alia ratione puerum è pestilenti vnctu seruatum mater iudicauit, quam quod è collo appensum sacrum haberet agnum. Alio item ostento non minus agnita eadem virtus. comprehenderat ignis noctu vicini domum, eamq. inflammauerat: iniecta sacra cera, ita flammas temperauit, vt cum proximas studiosorum fenestras appeterent, sacras imagines postibus affixas non modo non vsserit, sed ne fumo quidem vllo infuscarit: postridie, quod longe maius, fuit, sacra ipsa agni cera in ignem coniecta, inter exustae domus cineres integra reperta est. Venio nunc ad scholas, quae tanta confluentium multitudine frequentantur, vt oppidi non magni angustiae aegre tam multis possint hospitio sufficere. Quadraginta quatuor Bacchalaureatus in philosophia insignibus, & primilegijs donati sunt. Qui logicae studia adorti nouum philosophiae cursum iniuerunt, ad centum numerati sunt: ita multorum est hoc iudicium, Turnonense Collegium diuina prouidentia commanes superioris anni ruinas euasisse, vt essent, qui tantae iuuentuti in magna litterarum solitudine opem ferrent: cum iam tum Lutetia ipsa, tum aliae ciuitates, ob pestilentiae metum, & eruditorum paucitatem, deseruntur. Non minor in ijs extitit fructus pietatis: siquidem ex ijs multi humanis rebus remisere nunciam, tantusq. eorum est numerus, qui ad Capucinos, Caelestinos, & Cartusienses aspirant, vt earum familiarum seminarium collegium hoc fuisse, & altum ijs colere videatur. Qui vero in sodalitium B. Virginis allecti sunt, ij ceteris exemplo suo praeluxerunt ad virtutem. omnes per suas quisque vices distributi quotidie Xenodochium in-

uisunt. omnium praeter ceteros unius caritas, qui grauiter aegrotanti pauperi magna sedulitate quotidie assidet, corporis illuuiem, lotiali sordes abstersit; multas etiam opportunitates illi mundiores comparauit. Vix haec alijs in opidis reperias, ut non miso mali daemonis instigatione nos undique exturbare caeca hominum ambitio nitatur. In vicinis Iouis nostrorum excursionibus haereticorum fracta contumacia; catholicis aduersus imbelles eorum conatus munitiores facti. Venit è nostris Sacerdos in castrum viri nobilis, qui graui confectus morbo durissimis oppressus dolorum cruciatibus agebat animam. Quaerit noster ex uxore, & familiaribus, an, ut decet Christianum hominem, Sacramentis se, & Christianis monitis ad difficillimum illum periculosissimumq. agonem comparauerit. Erant illius uxor, familiaq. tota, infecti haeresi; nec quisquam praeter ipsum aegrotum in tota illa domo in fide sanus erat. Respondent, callida haereticorum simulatione, optime munitum. accedit ad aegrotum, ut quo in statu ipsius animae res essent, cognosceret. Is iam debus ore dolorum magnitudine omnium sensuum expers, neque respondere quidquam poterat, neque illa percipere, quae dicebantur. cognascit deinde ex catholica muliere, quae habitabat in vicinia, domesticorum dolos: eos graui increpat oratione: non esse familiae caput, cui tantum deberent amorem, hominem catholicum, praesertim tam periculoso tempore, tam crudeliter deserendum, eiusq. salutem in sempiternum detrimentum infernis hostibus prodendam. denique eos ui perpulit orationis, ut, pudore uicti, ab ipso peterent, ut pro aegroti salute preces faceret. fecit: breuem aegroto temperis usuram dedere

vacuam

vaenam impetrauit; qua & ipsum audire sacerdotem, & ei statum animi sui exponere potuerit; ab ipsoq. accepta benedictione, cui rei seruatus per octo dierum cruciatus ad hunc temporis articulum videtur, animam Deo reddidit.

COLLEGIVM Dolanum.

DOLAE superiore anno cum saeuissima lues infestam vrbem habuisset, magnam nostris hominibus materiam suppeditauit de alijs bene merendi. in tanta tamen laborum assiduitate, tam periculoso tempore, non modo nostrum, sed ne conuictorum quidem vllus saeua contagione violatus: sed cum vis morbi hoc ineunte anno, iam magna ex parte remitteret, periculoso morbo correptus est vnus ex ijs, qui iuuandis aegrotis, & moribundis strenue laborauerat: quo tamen Dei beneficio, liberatus est, vt in aliorum salutem ei detur diutius laborare. Continuum beneficio multi reconciliati dissidentes: mulieres duae à vita flagitiosa liberatae: sorores duae religionem ingressae: matrona alia Castitatem vouit. Sunt praeterea aliqui ad pium commentationum vsum ex nostra disciplina exercitati, in ijs è religiosa familia vir nobilis trium dierum itinere eius rei taussa venit ad nos, à quo magna ad alios eiusdem coenobij deriuata est vtilitas. Alius etiam Doctoris honore insignis eadem via in Societatem nostram est allectus. Adolescens praeterea, qui ab incunabulis incredibili semper amore fuit in Societatem. Laudanda simul, & miseratione prosequenda multorum Diuionensium

sium pietas, qui spiritali nostrorum pabulo assuett, ne nobis quidem inde electis, eo carere potuerunt, quin ad nos confessionis caussa longa via diebus sanctioribus ventitarent, magno cum incommodo, & rei familiaris dispendio: tanta nostra cum voluptate, & dolore: quanta qui in calamitate constituti dulcissimos sibi amicos per intervalla temporum revisunt, pari & ipsos affectos maestitudine, vt ex eorum maerore & solitudine vulnera etiam nostra recrudescerent. Subleuauit interim paupertatem nostram Illustrissimus Cardinalis Austriacus, qui cum hac iter faceret in Flandriam superiore anno bis mille francos (monetae genus id est) nobis eleemosinae nomine dari iussit. Scholae bello primum, proxime pestilentia interruptae, vt difficilibus temporibus, non mediocri numero discipulorum frequentantur. Nec sane quantum proficiant in pietate nos poeniteat: posita enim militari ferocia, quam belli tempore multi assumpserant, facile se ad pristinam mansuetudinem retulere, exemplo id nobilis adolescentis intelligetur. Seruiens ita inter duos condiscipulos subito furore exarsit, ita vt alter validior pugnis alterum multaret: monet adolescens nobilis ferocem iuuenem, alterius vt abstineat iniuria: gratiae loco contumax nobili colaphum impingit. hic iratus, quanquam ingenio alioquin feruidus, & ad reponendam iniuriam, non impar: accepta tamen tanta contumelia, sedato animo iterum monet iratum, male ipsum esse memorem diuini eo die accepti beneficij, quo ad sacram percipiendam Eucharistiam admissus esset. Cumq. ille adhuc ira calidus nihil nisi minas, & plagas loqueretur: hic nihilominus insuscepta mansuetudine persistens, & se iniuriam

omnem

omnem suo in Christum amori condonare subiecit, & vt alter item Christi caussa sedaret animum rogauit. Denique ita tumidum animum demulsit, vt supplex ille veniam petierit: quem amplexatus nobilis non modo ei veniam dedit humanissime, sed à scholarum etiam Praefecto delicti ei impunitatem precibus multis impetrauit. Qui in sodalitatem B. Virginis sunt ascripti, belli pestilentiaeq. tempore dilapsi, postquam rediere, narrarunt se diuinam sanctissimae matris tutelam suis quisque in periculis expertos esse: quibus plane perissent, nisi eius praesentissimum auxilium praesto fuisset. & nunc eo maiore studio ad sanctissimae matris cultum pietatemq. quam maximo affectu retinendam excitantur, neque id verbo solum leuiq. significatione, sed toto vitae genere, atque in suscepta religione constantia saepe declarant. Vocabatur quidam prauo gentis more ad sacerdotium, quod per aetatem adhuc gerere ei fas non erat: maluit hic eius emolumenti iacturam facere, quam quidquam aduersante conscientia in se admittere. Hinc Iesuitae Gallia tota rerum perturbatores, & humanorum emolumentorum euersores, cupidorum ambitiosorumq. omnium sermone audiunt. Quanta igitur securitate haec administrarentur, nisi rigidi virtutum satellites oblatrarent. est vtique nocturnis furibus fidus canum vigilantia inuisa. Ad Episcopum mittebatur alius iam sacerdos, vt in locum demortui parochi sufficeretur, in itinere puerum videt ex aduerso monte lapillos tenello digitulo scalpentem, tanquam cuniculis omnem illam molem vellet euertere. rogat, quo is consilio eam rem sit aggressus, vt hunc montem exaequem, respondet illi, tum blande puerum monet sacerdos, inani ope

ra, vt desistat: rem eam ea ratione confici non posse. Citius ego, inquit puer, his digitis hunc montem complanauero, quam tu, Curio factus, numeris omnibus munus valeas explere tuum. hoc viso haud dubie diuinitus se moneri arbitratus, dum quid agendum sit; animi pendet, inopinâ mors ei dubitationem omnem praecidit; onusq. regandae pareciae alteri concessit. sodalis alius desperata valetudine; cum diuina mysteria percepisset, multis astantibus è sodalibus cum summa omnium admiratione repente se febri leuatum sensit; neque ita multo post plane conualuit. Adolescens alius iam plane desertus à medicis, ac tantum non depositus, vt animum confessione expiauit; statim morbi grauitate ita leuari coepit, vt iam citra periculum constitutus, breui deinde tempore integram corporis sanitatem recuperaret.

MISSIONES variae.

STRENVE satis Dolue hactenus laboratum esse demonstratum est: non minus strenue in alijs vrbibus, opidisq. ad quae nostri profecti non contemnendos operae fructus retulerunt. nam concionibus catechesibus, & confessionibus audiendis vbique sopitam, ac paene situ obrutam religionem, ad nitorem pristinum, lucemq. reuocarunt. Clericos sacrorum administrationem aliarumq. rerum ad sacra munia obeunda pertinentium rationem docuerunt: priuatis colloquutionibus multos ad officium reduxerunt. simultates multas etiam inter coniuges, & quidem aliquas multis annis inueterá-

tas,

tas, sustulerunt. Vesuntione primum P. Provincialis tanta cum omnium ciuium approbatione conciones habuit, vt de collegio nobis excitando consilium reuixerit, quod annis ante aliquot susceptum, orto deinde bello intermissum, nunc demum longo interuallo renouatum est. Ecclesiasticis, ac religiosis vniuersaeq. multitudini magnam attulit vtilitatem. Clericis primum persuasit, vt eius temporis, quo à munere nulla iusta causa vacarunt, quos fructus percepissent, redderent Ecclesiae, & vt sint in posterum cautiores. Virgines Deo dicatae, ita sui instituti religiosaeq. disciplinae admonuit, vt quae ante, quibus legibus tenerentur, qua sibi viuendum disciplina ignorarent; nunc, abiecta ignorantia, suam & intelligant & profiteantur obseruantiam; multitudinem vero ita permouit, vt sexta quaque feria sub noctem pulsu campanae ad templum conuenirent: atque vbi aliqua temporis pars precando consumpta esset, clara voce capita illa pronunciarentur, exigendae à sua conscientia acti diei rationem: tum facta aliquantisper mora, persolutisq. precibus, discederetur. Dedit idem operam, vt decretum illud Tridentinae Synodi de clandestino matrimonio, magno cum multorum bono, promulgaretur. Ad vrbem Graiacum sacerdos alius vocatus per id tempus, quo B. Virginis eius Ciuitatis tutelaria solennia celebrantur, quem diem communi temporum corruptela compotationibus, choreis, saltationibus, aliisq. lusibus per lasciuiam traducere solebant. eius opera factum, vt ea licentia in conciones, sacrorum frequentiam, & sacramentorum vsurpationem, vt in tanta conuenit religione, verteretur. Quae res non in praesens solum, sed & in futurum vtilis putanda est, cum

cum, si nihil aliud, ratio saltem indicata sit pravae consuetudinis tollendae; & noua sanctaq. religio inducta. Institutum etiam, vt sacrosanctum Christi corpus honorifice per vrbem multis prosequentibus deferatur; vt statis horis quotidie ter signum detur ad Salutationem Angelicam; & vt pauperes in communi hospitali domo, publico sumptu alantur; eiusq. rei procurationem magistratus suscipiant. pecunijs item sodalitatum, quas conuiuijs, compotationibusq. male absumebant, aut inopes virgines in matrimonio collocentur, aut alantur orphani. multis item persuasum, concubinas vt amitterent. ita ciuitas, quae prius alieniore animo à nobis credebatur, nostram operam experta, nostri iam coepit esse studiosissima. In opido alio persuasum est, cuidam militum Duci, vt quam in contubernio, cum omnium offensione, pellicem habuerat, exigeret. Modulator quidam ibidem musici instrumenti, qui arte ad choreas, lasciuosq. vsus vtebatur, ab ea peccatorum illecebra absterritus. in opido alio frequens inductus sacramentorum vsus: res in eo loco non incognita solum, sed etiam inaudita: reuocatus rosariorum vsus, & temere iurandi repressa consuetudo. Morti addictus reus Iudici, magistratibus, ceterisq. Iudiciorum ministris ita erat infensus, vt prae iracundia nullum de animi salute consilium admitteret. agit cum illo saepius noster sacerdos: surdum ad monita se praebet: sed identidem hominem innoxium se asserere: nullius affinem culpae; sibiq. per summam iniuriam vitam eripi. tandem diuina miseratione, discussa pertinacia, ad se redijt: sua sponte scelus ipse suum iudici detexit; illudq. exsecratus, aequo animo supplicium subiuit. Matrona nobilis adeo immaturam

maturam vnici filij mortem impatienter ferebat, vt abdita sola in tenebris, situ, & squalore contabescere; neque vllam prorsus consolationem admitteret. Tentauit noster aequum animum pijs alloquijs leuare: nihilo plus, quam reliqui profecit. Verum pro illa Deum deprecante, ita repente mutata est; vt omni ex animo maerore detorso, pacata, tranquillaq. nostrum sacerdotem adierit; laetaq. se Deo immortalem habere gratiam significarit, quod altam illam obductam animo doloris nubem depulerit. In opido aliopraeter usitata, & solennia multae sublatae superstitiones: audita etiam confessio hominis grandioris aetatis, quam quisquam facile credat, sed tamen credere facilius, quam indagare: centum & quadraginta natum annos ferunt; & tanta aetate suis gressibus mille passus confecit, vt nostro sacerdoti sua crimina detegeret. Erant extra id opidum omnia lupis infesta, qui miserandum in modum rusticorum pueros palatos in agro palam luce adorti vorabant: vsque eo eorum excreuerat multitudo, & ex praedae consuetudine audaciam assumpserant. nusquam tuti pueri egrediebantur. eam rem noster sacerdos in religionem vertit: diuinam esse animaduersionem in poenam impietatis, & scelerum immissam: religiosam crebro confitendo consuetudinem assumerent; periurijs, blasphemijs, diris execrationibus abstinerent; cessaturam diram illam infestationem. paruere monitis agrestes: inde pueris parta securitas. Vnus tantum ex eo tempore defideratus est infans, cuius mater ab infita peruicacia praua adhuc peierandi, & exsecrandi consuetudinem non omiserat. ita & ipse vnus luporum esca, & mater ceteris parentibus documento fuit peccan-

ta cer-

ta corrigendi. In opido alio nouo inuento, nec minus salutari, quam delectabili Christiana doctrina in dramatis formam decenti apparatu populo exhibita, ita vt non modo rudes discerent, quae scire opus est, sed etiam carminum elegantia delectati, eo pro lasciuis, & inanibus, quibus per otium delectantur, subiicerent. acciditq. res admirationem digna, luculentum indicium rem eam Dei bonitati gratam esse: adolescens, qui primas partes agebat in illa actione, paucis diebus ante, quam populo danda esset, graui periculosaq. febre laborauit. is illo ipso die ita repente conualuit, vt omni prorsus morbo leuaretur, hoc diuino adiuta fauore res magna felicitate peracta.

COLLEGIVM Chamberiense.

CHAMBERII paenitentium numerus in nostro templo solita maior fuit, ex iis quatuor ad Capuccinorum ordinem se contulere: vnus ad Cartusiensium. Traducta est ad catholicam fidem virgo nobilis, quae vna cum lacte haeresim exfuxerat. bina matrimonia legitime celebrata post diuturnam propemodum consuetudinem concubinatus. Hebdomada sancta Geneua septem huc vexerunt confessionis, & Eucharistiae percipiendae causa. Facta & in vrbe & in alijs opidis, ad quae diuersis anni temporibus nostri excurrerunt, non exigua iniustae pecuniae restitutio. Multi etiam vbique reconciliati dissidentes. Quadragesima sex ad diuersa loca missi, dignos suae peregrinationis fructus reportarunt: trini ad Prioratum nostrum Megeuin-

Digitized by Google

genuensem concionibus habendis, & confessionibus audiendis magno incolis fuere adiumento. Totidem in Episcopatu Maurianensi pari cum fructu laborarunt. Bini item Aneciacum vrbem non ignobilem profecti, magnum confessionum generalium numerum exceperunt, tum Ecclesiasticorum, tum nobilium; è quibus tres Capuccinorum complecti institum decreuerunt, in quibus parochus vnus. restitutiones factae momenti non modici. inimicitiaeq. graues consopitae. Mense Maio pestilens morbus vrbem inuasit, nostris impigre omnibus opem ferentibus, neque laborem vllum, aut suae vitae periculum recusantibus. & sane euidens fuit Dei beneuolentiae argumentum in nos. Decumbebat in Hospitali domo peste infectus is, cuius contagione in xenodochium primum, ex xenodochio deinde lues in vrbem promanauit. ad eius audiendam confessionem vocatus è nostris vnus, & ei aures dedit, & morienti etiam occlusit oculos; neque vllum ex eo contactu, aut ipse, aut comes incommodum persensit: cum qui vel aegrum, vel eius res contigerint, non ipsi solum morbo sint extincti, sed alios etiam contagione eadem, etiam cum ipsorum interitu fedauerint. neque ille solum, sed nostrum omnes in tam saeua contagione tam sedula & prompta omnibus opera diuino beneficio incolumes integriq. seruati sunt: sed ingrauescente in dies lue, vnus ex omnium numero cum socio lectus, qui pestilentibus praesto esset, è collegio emissus est, qui magno animo xeno aggressus, infectorum adiens tuguria, aegros omnibus caritatis officijs sublouans, mensibus aliquot cum ijs versatus incolumis, & ipse, & socios sedata iam vi morbi rediere. Per idem tempus, quo pestilentia Chamberij saeuiret,

missus iterum Sacerdos ad Aneciacenses non eos solum iuuit, sed in fines etiam Geneuensium excurrit. ibi opida quaedam, annis iam sexaginta, aut septuaginta haeresi corrupta, perlustrauit: concionibus incolas edocuit, ad nouam, & multis annis inauditam in ijs locis doctrinam obstupentes. Parochis etiam ibi ab Episcopo constitutis persuasit, vt intermissum iam sexaginta annis Missae sacrificium repeterent, rem prorsus tot annorum interuallo desuetam. Id vt Geneuae cognitum est, protinus Caluiniani Euangelistae, zelum zelati legis, fremere, agitare, nullam non tentare viam, vt oblatam Synagogae maculam amouerent. Indignum facinus clamare, & ante hoc tempus inauditum, in sacris exsecrandae Babilonis finibus publice missam celebrari: non passurum Sathanam hanc rem inultam. literas ad Sereniss. Sabaudiae Ducem, atque ad Chamberiensem magistratum querimoniarum plenas dederunt. scilicet ab Apostolico cetu missae dignae habitae sunt, quibus Regum vertices submitterentur. sed ijs licuit iras, intra suam fornacem ebullire. verum contumelia illa (si contumelia potest à religione proficisci) eorum animos grauiter exussit, quod multa passim crucis trophea Catholicorum manu sunt erecta, quibus mali portendi aliquid ominabantur (nempe sceleratos religionis corruptores in crucem actum iri) conuicijs ministros suos onerabant: illi maledictis concionem: maledicti minas adijcisbant: verendum esse ne breui Geneua in potestatem Antichristi veniat. Vtinam Deus hos Cayphas veros faciat prophetas: siquidem ipsi vere Antichristi, vt latrones per contumeliam latrones appellant viatores: sic verum Christi Vicarium Antichristum appella-

appellare scelerati non verentur. Quatuordecim praeterea in ijs locis publice, ex Concilij Tridentini forma, abiurata haeresi, in Ecclesiae gremium venerunt: factaq. ab ineunte aetate peccatorum omnium confessione, cum Deo reconciliati sunt. & in ijs duo fuere Geneuenses, inter Caluini sacra nati & educati. Plures cum haereticis & priuatim, & publice susceptae disputationes: qua in re illud accidit perridiculum. Cum catholici iam auderent frontem haereticis obijcere; ministri sanctissimi studio reducendarum ouium, catholicis publicae certamen disputationis indixere. Sed postquam cognouerunt disputationi à catholicis affuturum Iesuitam, feroces aduersus hospites molossi, aduersus leonem ignaui catuli, certamen detractarunt. Deus interim orandus, vt bene coepta feliciter promoueat. Missi per idem tempus alij ad Prioratum nostrum, qui à S. Philippo nomen habet, multa ad Dei gloriam peregerunt. in opido S. Petri data est opera, vt templis sua restituerentur ornamenta: adducti ad relinquendas pellices aliqui: alij à fenerando reuocati: reconciliati filij parentibus: eorum vnum inter & patrem tam graue odium exarserat, vt ne magistratuum quidem auctoritate ad concordiam adduci possent. Deo tamen bene iuuante, persuasit vnus è nostris filio, vt ad Patris pedes abiectus, veniam erratorum precaretur, & vterque peccatorum confessione cum Deo in gratiam rediret. Pater alius contumacem filium ob ipsius commerita exhaeredauerat. Paterna deinde benevolentia emollitus, facti paenitens, rem totam reuocare cupiebat, si modo filius ab obstinata peruicacia desisteret: ea de re multis cum lacrymis sacerdotem nostrum per Christi merita obtestans,

opem sibi ferri postulauit ad filium in viam reuocandum. is quoque diuina ope, & cum patre ipse, & cum Deo vterque reconciliati sunt.

COLLEGIVM Anicienſe.

ANICII ad viij. Idus Iul. exceſsit ex humanis P. Arnoldus vicinus natus in Vasconia, vir singularis modeſtia, pietatis laude, abiectione sui, & aſsiduitate diuina meditandi, exempli non vulgaris. audiendis vero confeſsionibus, tractandisq. hominum animis, eisq. ad pietatem permouendis inprimis efficax. annum agebat aetatis suae quinquageſimum ſextum, triginta quatuor exegerat in Societate, multis annis Rectoris, ac Prouincialis munere, cum laude perfunctus. ſtudio fuit ſemper incenſo Chriſti cauſa multa patiendi, morum grauitate leni quadam suauitate condita venerabilis: obedientiae tam diligens cultor, vt quoad vitae ſuae ſtatum à Praepoſitis nihil vnquam poſtularit, niſi illa due, ne ad alios regendos adhiberetur, neue ei in ſuam patriam vnquam redire permitteretur. Et cum alia multa tum illud praecipue ei debet Aniciana Ciuitas, vſum ab ipſo inductum ſemel ſaltem vitae totius peccata confitendi: quam in rem ita incubuit concionibus, priuatis hortationibus, & opera ijs praeſtanda, vt ad duo earum millia, & eo amplius vnus ipſe exceperit. Magnae fuit illi ſemper veneration hoc ſacramentum, praecipuumq. & maximum ad animi vilitatem perfectasq. virtutes inſerendas adiumentum ſemper eſſe duxit. Romae mihi cum illo multus

multus fuit vsus, cum hic & philosophiae primum, & iterum Theologiae studia sequeretur. meminiq. illum mihi in familiari sermone dixisse aliquando (cum de humanis vitijs exuendis quaereremus inter nos) ad id maxime conducere, omnes conscientiae suae latebras in confessione aperire: vlcera omnia, & ea maxime in quibus plus est verecundiae, & leuissimas quasque maculas confessario detegere; neque vnquam culpam vllam excusare, sed se seuere accusare, hominem nequam confiteri, neque quidquam magis humana vitia, aut certe vitiorum fomitem in nostris alumnis fouere, quam ab hac consuetudine recedere. hominis mihi carissimi, & summa obseruantia dignissimi dictum, dignum illius vita paene ab infantia in Societate, summa cum laude traducta, memoriae infixi. quin etiam locum ipsum memoria teneo, vbi haec agebamus inter nos; voluiq. ad memoriam tantae virtutis renouandam, ad aliorum vtilitatem his litteris mandare. Manauit hic illius studij fructus ad aliarum etiam vrbium, & opidorum populos. Complures enim à quadraginta leucis, & eo amplius per occasionem Anicianae aedis inuisendae Virgini dicatae, nos confessionis caussa conueniunt. Constitit q. huius sacramenti vis in femina quadam omnibus membris ita debilitata, vt totis tribus annis ne pedem quidem posset dimouere, omni curatione in cassum adhibita. Haec nullam sibi opem ferente medicina, statuit, ea neglecta, à religione, & pietate opem quaerere. quicquid à pueritia commiserat, sacramentali detegit confessione, sacroq. Eucharistiae cibo munita conualescens paucis diebus ipsa suis pedibus gratias Deo actura ad templum nostrum se contulit. Magna quippe religio,

& frequens vsus Anicij est confessionis à prima pueritia aliquando repetendae: idq. eiusdem P. Arnaldi institutio. Cetera Societatis munia de more in vrbe solita diligentia, & fructu obita. Tradidere se se nobis contemplandi institutionibus exercendos Canonici tres, & eorum duo apprime nobiles. Quatuor virgines, de quibus superiore anno scriptum est, factae voti compotes sancto illo S. Clarae coenobio se incluſere. meretrices nonnullae à turpitudine ad honestam viuendi rationem traductae. Diuinae bonitati laus. Afflixit hanc vrbem finitimosq. pepulos duobus circiter mensibus grauior paullo annonae caritas: quo factum est, vt huc ingens mendicantium numerus confluxerit. illorum inopiam susceperimus nos pro nostra tenuitate subleuandam. ita ad eleemosinam petendam, statuta hora, ad ducenta interdum capita conueniebant, vt ijs ordine disponendis aliquot è nostris occuparentur. inde oblata occasio etiam his miseris ab omnibus contemptis, & omni humano cultu destitutis Christianae doctrinae rudimenta inculcandi, quod & ab ijs libentibus animis acceptum, & à nostris non minus studiose pijs votis satisfactum. sub ipsum quoque messis tempus, cum in suburbanum locum operae ad messem conducendae conuenirent, in mistam illam confusamq. turbam nostri se insinuabant; sparsiq. diuersas in partes concionabundi operarios circa se cogebant: ac spe piorum munusculorum, sacrarum imaginum, rosariorum, rerumq. aliarum renitentes attrahebant: eorumq. expectatione praemiorum, de Christiani hominis officio commonebant. ita factum, vt illi ea expectatione inescati, sensim etiam hamum doctrinae Christianae deglutirent; beatosq. se existimarent,

quod

Digitized by Google

quod tandem aliqua sibi rerum diuinarum cognitio affulserit; nostros honore prosequerentur abeuntes; &, vt sæpius redirent, precarentur. &, quoniam multi passim ludibundi in choreas, quasi manipulos distributi, qui se conducerent expectabant, aduentu nostrorum statim solutis choreis, abditisq. sibijs, sese ad audiendum componebant. Cui rei etiam Parthenij sodales multam nauarunt operam, cum dissipatos cogerent, timidos ac segnes excitarent. ijdem etiam rem aliam egregie iuuerunt. Nam cum per annonae caritatem mendici, qui confluxerant in vrbem, noctu in Xenodochium vnum cogerentur, nostri praeuertendam inopum sollicitudinem rati; Dominicis diebus, prima luce, antequam illi è stratis se suis excitarent, praesto erant ad docendum: cum ijs vna sese Parthenij adiungebant. maturitas erat non ingrata. Si quidem dum Christianae vitae praecepta nostri explicarent, boni sodales ientacula, auide egenis expetita, comparabant. ita inopes, & quae docebantur in praesens, & quae parabantur spe praecipiebant. Haec in vrbe.

Circa natalicias Christi ferias superioris anni missus P. Arnaldus, is quem diximus, rogatu Comitissae Dacheriae in vicum quendam, praeter cetera, paucis concionibus tantum excitauit studium confessionis de tota vita faciendae, vt & clerici, & nobiles, & plebs vniuersa eius rei consilium iniuerint: cunctis praeiuit exemplo ipsa Comitissa. satisfactum est ijs in praesens, quibus ab homine vno, & qui multum sibi de somni, cibiq. tempore detraheret, per eos dies, quibus ibi morari licuit, potuit satisfieri, reliquis in tempus aliud dilatis: qui abunde vota sua expleuere, cum eodem iterum

Pascha insequente reuertit idem Pater. *Egit per idem tempus cum Comite de magnis rebus, multaq. ille de patris sententia constituit: inde se in aliud castellum transtulit. Per idem tempus alij opida alia adierunt, populosq. mire illarum epularum auidos diuini verbi pabulo, & sacramentorum administratione recrearunt. locus est in Macheuillienſi diœcesi multis adhuc annis haeresi infectus: documentum ingens, quantam hun. ano generi haeresis afferat perniciem. huc sensim tantam religionis negligentiam inuexerat, vt misti passim haeretici, catholiciq. solo nomine distinguerentur; nulla non modo catholici ritus, sed ne religionis quidem vestigia apparebant; non magis quam si nunquam Deum esse inaudissent. miseranda prorsus rerum facies; magis miseranda hominum conditio, tam densis vndique tenebris obsepta. nulla templa, altaria nulla, nullae cruces, sacrorum prorsus cultus sublatus omnis; & inueterata iam diuini numinis obliuio. ethnici saltem suis simulacris delubra retinerent: vt si minus vera, species saltem aliqua fictae religionis appareret. porro ipſi homines in feros, ac barbaros mores degenerauerant; & qui inter ipsos impudentior, contumacior, praefractior, ac maior religionis contemptor existeret; is ceteris generosior haberetur. huius ingenij homini, seu monstro potius stolido, & hebeti, pueri in ijs finibus in disciplinam tradebantur; vt ab ipsa prima institutione, contumaciam, scurrilitatem, & religionis odium imbiberent; fierentq. demum decuplo, scelerato magistro nequiores. solebat execrandum caput, ad cetera religionis ludibria, quae pueris proponeret, etiam diuinum Missae sacrificium (horresco referens) irridere; sordidisq.*

Digitized by Google

aliq. ac laceris lacinijs, centonibusq. obsitus tremendam actionem homo impurus imitari. accedebat ad cumulum horum malorum, & alius homo pertinax; qui ad quinquagesimum annum more catholicorum vixerat inter catholicos: à quinquagesimo eius vitae anno per seditiosos satanicae doctrinae ministros, facta rerum mutatione, quadraginta insequentes traduxerat in haeresi, Caluinianae prauitatis tam acer defensor; vt magna confidentia patriae suae templum se sua manu diruisse gloiaretur. In hac ditione, Prioratu proxime nobis attributo, hanc frementium bestrarum syluam suscepimus excolendam; ferinosq. hominum mores ad mansuetudinem, christianamq. pietatem traducendos. Principio templum instauratum, iniectaq. longo tot annorum interuallo de religione mentio; catholiciq. ab haereticis professione discreti; atque ad pios cultus ea, qua par est, religione amplectendos excitati. vsus sacrorum, altaria, crucesq. multis in locis antiquo more collocata; moresq. sensim incolarum, cogitatione, curaq. religionis ad mansuetudinem condocefacti. Huc missus iterum noster sacerdos ante Dominicam Palmarum exceptus est magna catholicorum ei obuiam prodeuntium gratulatione, ad cuius ingressum à prosequente turba crux in foro, vnde triginta ante annos cuersa erat, magna laetitia restituta est. neque ibi eà solum, sed viginti minimum alijs in locis aliae constitutae, cum pompa, solenniq. cerimonia. Inde, vt tempora ferebant, ager maiore cura, sedulitateq. coeptus perpurgari. E catholicis, praeter eos, qui ante confessi erant, constat plus centum eo tempore multorum annorum; plurimi quadraginta, nempe ex eo tempore quo illuc haeretica lues irruperat &

confes-

confessionem tum primum instituisse: qui ceteris fuere sanctiores, quinque annis minimum omiserant. Haeresim multi abiurarunt: hebdomadaq. sacra cum catholicis ad sacram mensam accesserunt. quos inter laude digna fuit quarumdam mulierum constantia, quae viris coniunctae haereticis, conuicia, contumeliasq. insuper etiam verbera perpessae; ad extremum peruicere, vt sibi liceret, & catholice viuere, & catholica sacra frequentare. Cum nonagenario Caluiniano aliquanto plus negotij fuit: quippe qui inueteratae religionis obliuioni assuetus, in suo etiam malo argutus esse visus est: cum nefas esse diceret, aspirare eum, ad aeternas in Caelo sedes, qui Diuorum aedes in terris euertisset. plus tamen apud animum, caeca vesania perditum, valuit diuina bonitas, & assidua nostra Sacerdotis caritas, quam mali daemonis venenum, & obstinati pectoris duritia. semel enim, & iterum confessus, sacraq. percepta Eucharistia, diffidentia ex animo excussa, ad spem diuinae miserationis se erexit. Restitutus est catholicus supplicationum, litaniarum, sacrorumq. carminum ritus. ipso die palmarum supplices à templo ad locum, vbi crucem pridie defixerant, sacros hymnos decantantes bini agmine iuerunt. mirumq. iam est, quantopere pristinis ritibus, & cantu Ecclesiastico teneantur. nostrorum exemplo tres vicinae pareciae sua & ipsae templa à fundamentis excitarunt; eaq. iam frequentant, & catholico ritu benedicta vtuntur aqua: itaque Dei beneficio in his ruinis paullatim muri Hyerusalem iam aedificantur. sed vt in semente quoque seges perpurgetur, opera P. Prouincialis, qui ea de re cum Illustrissimo Cardinali Ioyosa egerat, pueri probo, ac pio

paedagogo

paedagogo commisſi ſunt; qui cum probis moribus eos etiam Chriſtianae diſciplinae praeceptis informet, exturbato nequiſſimo nebulone, inſulſo ſacrorum ſcurra, tenerae aetatis peſte, ac pernicie: noſtris vero Macheuillienſibus eruditus, & idoneus parochus eſt datus, qui rem felicibus auſpicijs inſtitutam, diligenti cura, aſſiduitateq. diuina iuuante bonitate promouebit.

AVENIONENSIS domus probationis.

EX ijs quindecim, qui in Auenionenſem probationis domum admiſſi ſunt, quinque egregia indole adoleſcentes Lutetia profecti, voluntarium ſibi à patria exilium indixerunt. quorum eo magis laudanda conſtantia, quod poſt noſtras clades annum integrum ibi morati ſine nobis, inter Scylleas hominum voces contra nos, & laxantem frena maledictis inuidiam, propoſiti tenaciſſimi perſtiterunt. Acceſſit & illud diuinae prouidentiae non obſcurum argumentum. nam cum Auenionem veniſſent, ob locorum angustias, neceſſe fuit, eos in diem paullo differre longiorem. interim eorum parentes huc ſe conferunt; illos, vt hinc abductos in patriam aſportent. Sed diuina prouidentia factum eſt; vt quo die venerunt, ob diſſipatos graſſantis peſtilentiae rumores, in vrbem ingredi permiſſi non ſint: & illo ipſo die adoleſcentes totius rei inſcij domo iam excepti eſſent; quos haud dubie ſecum abduxiſſent, ſi in vrbem ingreſſi eos reperiſſent. poſtero die intromiſſi in vrbem, recta ſe conferunt ad tirocinium. fit illis poteſtas comiter, benigneq.

nigneq. cum suo cuique filio colloquendi. qua in re ea maturitate, & prudentia strenui Christi tirones se gessere; vt non tum primum eam aggressi militiam, sed multa meruisse stipendia viderentur. quibus tamen libere facta potestas est, si vellent, redeundi; ne quid de nobis eorum parentes male sentirent; filiosq. arcta custodia teneri existimarent. sed facilius à cursu fuit reuocare brauium iam tenentem, quam adolescentes diuino plenos spiritu, tum primum, quod diu expetierant, assequutos, ab inita religionis via remouere. Parentes saepius eorum pertentatis animis, exploratq. diuina voluntate, de sua spe, opinioneq. quam de nostrorum iniuria combiberant, deiecti, aequiore erga nos animo, quam venerant, reuerterunt. Alium mater vnicum sibi filium annum integrum litteris sollicitare non destiterat; missis etiam consanguineis, qui adolescenti reditum ad parentem suaderent. ad extremum iter leucarum sex, & sexaginta emensa accurrit ipsa. impetrat cum filio colloquendi potestatem. quas tragaedias eo viso excitarit, cogitare facilius est, quam vt verbis exsequi sit necesse. tandem diuino beneficio factum est, vt filij constantia, & comitate mitigata diuinae voluntati acquiesceret; & antequam discederet materna benedictione filio bene precaretur. Adiuuit hanc domum diuina liberalitas aliquibus, & ijs quidem satis amplis eleemosynis hac annonae caritate, & temporum difficultate valde opportunis. Inuisit hanc domum de more P. Prouincialis; cunctaq. ad praescriptam recens probationis formam ordinauit. & iam ex ijs, qui suum studiorum cursum peregerunt, sacerdos vnus tertium instituit probationis annum. Meditationibus spiritualibus exculti

exiulti multi, e nostris, externisq. commoda fere vsi sunt valetudine: pauci leuibus morbis tentati. vnus P. Rector molestissimo hemitriteo vexatus, feliciter tamen praeter omnium opinionem periculo perfunctus est. res proxime miraculo peracta. Creditur q. obedientia Illustrissimi Cardinalis Aquauiuij Pontificij Legati sanatus. miserat Illustrissimus Princeps suum secretarium, qui, obseruata hora paroxysmi, ipsius nomine patrem iuberet à morbo cessare, cum febris in ipso primo conatu debilitata resedit. Eum postmodum conualescentem vterque Illustrissimus Legatus, & Archiepiscopus perhumaniter inuiserunt. Hanc saepius erga nos humanitatem luculentissimis argumentis declararunt. nam ipso anniuersario fundationis die, Archiepiscopus, non ita pridem Cardinalis renunciatus, in sacello nostro rem diuinam fecit; nouicios q. omnes diuino ferculo impertiit. Illustrissima fundatrice praesente; cui totius Societatis nomine P. Rector consecratum cereum de more in monumentum gratitudinis donauit. Eam postea Cardinalis, praesentibus non paucis, ample collaudaulq; quod tam praeclarum, tamq. salutiferum opus instituerit, atque ad coepta strenue perficienda est hortatus. Etiam priore die Dominico idem itidem in sacello & sacrum fecerat, & nouicios caelesti epulo, insuper etiam hortatione exceperat, tam appositae dicta ad nostrum institutum; vt si vnus è nostra familia fuisset, & multis annis institutis nostris assuetus. quo etiam die nobiscum cibum sumpsit; totumq. diem inter spiritualia colloquia traduxit, tanto sensu pietatis, tamq. absorptus, vt solet in diuinarum rerum cogitationem, vt spirituali dulcedine victus diem se traxisse ad vesperam non senserit.

senserit. Dici non potest, quanta in aestimatione semper habuerit societatem omnem, quamq. de hac nouiciorum domo conceptam habeat opinionem. Obsessos à daemone liberaturus, non locum alium peritissimus diuinarum rerum praesul elegit, quam domum hanc; atque interim dum sacris exorcismis tartareas potestates perurgeret, vt qui sciret eorum malitiam, superbiamq. nullis acrius flagellis cruciari, quam humili, intentaq. simplicium animarum precatione nouicios esse voluit in precibus. Alio item Dominico die Illustrissimum Legatum cũ missae sacrum peregisset, & sacrosanctam Eucharistiam nouicijs impertitus esset, communi mensa excepimus. Tantaq. fuit religiosissimi Principis modestia; vt solus sine vllo comitatu nobiscum diuersari, non alio pane, non alijs vesci ferculis voluerit, quam quibus ipsi vteremur; totumq. diem pijs colloquijs traduxerit, nouicijs omnibus tantae humanitatis, ac pietatis exemplo, inusitata piae dulcedinis iucunditate perfusis. Conuenerant ad illum in domo nostra versantem officij caussa primores ciuitatis; cum quibus ex occasione sermonem iniecit de nostra nouiciorum educatione, multaq. perhonorifice ea de re commemorauit, tanta cum Societatis dignitate, vt ea praesens P. Rector sine rubore audire non posset. eiusq. vox illa audita memoria tenetur, cum diceret: Nos quidem in terra, hi vero in Coelo Cardinales sunt. Extitere & alia complura illius in nos beneuolentiae indicia, neque vulgaria, neque obscura. Et cum hinc discessurus esset, ne nouicios insalutatos relinqueret, domi nostrae sacris operari, nouicioſq. rursus caelesti epulo reficere voluit: post sacrum ad vnum omnes amplexari, ea beneuolentiae significatione, atque amoris

ris sensu ; vt appareret, quod ille profitebatur, rem suo cordi carissimam, hanc tironum familiam relinquere. Ad extremum benedictionem suam non vsitatam illam, & familiarem, sed solemnem, & Pontificalem solenni cerimonia, conceptaq. ex ritualibus libris forma verborum omnibus impertiuit, dulcemq. sui memoriam omnium impressam medullis infixamq. reliquit.



PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA AQVITANIA.



ABET nunc Aquitania Prouincia Collegia sex cum domo probationis, & residentia vna: Mauriacense Collegium, vt anno nonagesimo perscriptum est, horum temporum naufragio interijt. in ijs, quae reliqua sunt domicilia, socij numerantur centum octoginta. In Collegio Tolesano quadraginta octo; in Burdegalensi decem; in Rhutenensi septemdecim; in Auscitano vndeuiginti; in Petrocoriensi viginti quatuor; in Agennensi viginti; in Domo probationis triginta quatuor: in Residentia Sancti Macharij octo: praeter hos Romae quatuor; duo Cõpluti in Theologiae studijs versantur: Excesere ex hac vita decem: Societatem iniuere vndeuiginti.

COLLEGIVM Tolosanum.

FRVCTVS qui ex spiritali semente Tolosae nostri collegere hi sunt, sacramenta frequentantium numerus creuit hoc anno supra modum: ita vt totius vitae, ab vno sacerdote auditae sint confessiones, centum quinquaginta. ab haeresi ad Ecclesiam

Digitized by Google

eleſiam ſe retulere, prope viginti: aliquot in fide confirmati: diſſidia inter plures coniuges ſublata, ipſiq. inter ſe amice reconciliati. multi praeterea à viuendi licentia ad Chriſtianam modeſtiam reducti; non pauci à conſilio inferendae ſibi necis, ex rerum ſuarum deſperatione reuocati. Excepius ex alto periculoſoq. barathro eſt probus alioqui adoleſcens. hic procacis mulieris inſidijs illectus, conſuetudineq. ita delenitus eſt, vt illam ex animo eiicere non poſſet: ſaepius id tentauit conſcientiae morſibus adactus, ſed arctius illecebrarum vinculis obſtrictus, quam vt ijs exuere ſe poſſet, cum ſaepius animo mentis libertatem reſpiceret, non tamen eum aegritudo ſinebat reſipiſcere; ſed ad notam vltro ſibi voluptatis peſtem, recurrebat. & cum iam omnia paene à ſe virtutum inuitamenta repulliſſet, vnum illud euincere praua non potuit conſuetudo, quod ei ſaluti fuit. ad conſueta ſaepius Patris ſpiritualis conſilia redibat; ſed male affecto animo & remedia aſpernanti medicina parum adhuc ſalutaris fuit; conceptoq. ſaepius melioris vitae ſtudio, meliorem tamen vitam nunquam peperit; vt propterea medicus animae ſacerdos, cum eum alia ratione inſanabilem eſſe intelligeret, grauem ei aliquem corporis morbum precaretur, qui omnem ex eius animo inſaniam extruderet. non eſt aſpernata hominis vota diuina miſeratio: tanta morbi grauitas oppreſſit adoleſcentem, vt de vita iam veniret in diſcrimen. tum ſiquidem calor omnis ille ſtygyus deferbuit: tantaq. prauae conſuetudinis animo ſucceſſit poenitudo; vt, recuperata praeter ſpem valetudine, & priſtinum ſanctae viuendi inſtitutum repetierit; & vt in poſterum certius eiuſmodi pericula vitaret, in tutum religionis portum ſe re-

ceperit. Vtriusque sodalitatis B. Virginis alumni non indignos & ipsi pietatis fructus protulere. Multi variis se religionibus consecrarunt. Duos eximia spe adolescentes diuina bonitas in Caelum ad se transferre occupauit. eorum alteri triduo antequam extremum exhalaret spiritum, B. Virginem visam esse non obscura coniectura est; nam tacitus, atque in altissimo silentio defixus, oculis semper in locum vnum intentis, subinde in has voces erumpebat; ò quàm speciosa es Virgo Maria. Eum quidam de sodalibus, qui illi assidebat, aliquando monuit, vt curam aliquam susciperet valetudinis, & pio aliquo solatio laxaret animum. respondit: opportunam tu mihi quidem recreationem narras; sed ea mihi mundum sapit. Est ille hoc genere mortis non modo ad aeterna praemia translatus: sed opportune etiam ex magna molestia, sollicitudineq, ac proinde etiam maiore sui cum victoria exemptus. Mensis tum agebatur, cum grauissimum cum patre, alijsq, viris primarijs, atque adeo Illustrissima matrona, cuius erat in famulatu, certamen sustinuerat; ne contra leges Ecclesiasticas certi sacerdotij fiduciariam possessionem sibi dari pateretur; quam immaturo adhuc adolescenti, cum postmodum creuisset aetate, cessurus esset. ita tot virorum simultatem non dubitauit diuinae indignationi posthabere. Alter vir honestissimus, cum in sacello sodalitatis ipso die Virgini in templo praesentatae sacro caelestem Eucharistiam sumpsisset, octauo inde die moriens, octoginta numos aureos eidem sodalicio legauit. Sodalitatis Praefectus, idemq. publicus in Academia Tolosana Theologiae professor, omnibus Quadragesimae sabbathis concones habuit de laudibus Patronae Virginis. Ex

alijs

alijs porro sodalitatibus, quae in Galliae Collegijs, tempestatis turbine absorptis, una cum ipsis collegijs disiectae sunt, e communi naufragio, in hanc vnam se recepere sodales centum triginta. ita supra ducentos iam in vtraque numeramus; scholas, quod à belli tumultibus distamus, habuimus quam frequentissimas. adolescentes, quod magis mirere in tanta frequentia; virtutum, ac pietatis amantissimos. coepit quidem obrepere licentia nonnulla: sed ea est facile cohibita. Data in praemiorum distributione Tragoedia, & Comoedia magnifico apparatu, frequente populo, clarissimis fratribus Ioiosaeis Cardinali, & Marschallo spectantibus & probantibus: ita vt Marschallus vtriusque legendi dramatis copiam sibi fieri petierit. Praeterea ad Theologiae scholam accessere etiam quaestionum explicationes, ad ius conscientiae pertinentium. Haec Domi. Foras etiam nostrorum hominum sedulitas porrexit industria. inuisit noster sacerdos sacrarum virginum coenobium extra vrbem; earumq. viuendi rationem, piasq. exercitationes ad meliorem formam reuocauit: multis sermonibus eas de vera ad virtutem progressione, deq. edomando corpore adhibenda moderatione edocuit: Moniales omnes praeteritam vitam confessione explicarunt; factum denique est, vt tum demum se vitam religiosam instituisse iudicarent. Earum septem & vna cum ijs sacerdos cum socio, qui illis est à confessionibus, spiritualium contemplationum exercitatione, maiorem ad pietatem instituti. Quo minus eadem vtilitas ad reliquas promanaret, impedimento fuit necessarius patris discessus, quem ad se reuocatum in sua lustranda Dioecesi illustrissimus sibi comitem habere voluit.

COLLEGIVM Rhutenense.

FVERVNT in Collegio Rhutenensi soci quindecim, quinque sacerdotes, magistri sex, quatuor coadiutores, domi, forisq. non paruo cum fructu versati. Domi primum illa gesta; ducenti ferme commissa à prima pueritia peccata nostris confessi sunt: & fuere, qui cum aliquot milliarijs distarent, huius vnius rei causa huc venirent, nostros, vt de sua pacanda conscientia, consulerent, pecuniae contra iustitiam conquisitae, legitimis dominis redditae sunt; duo de Franciscana familia domi nostrae, magno cum fructu, spiritualibus exercitationibus exculti: puella summa rerum inopia premebatur, vsque eo, vt paupertatis aerumnas pudicitiae damno redimere cogitaret; verum antequam se praecipitaret, diuino vtique instinctu iniecta ei mens est, nostrum, vt de re tota consilium exquireret: ita ab irreparabili damno diuino beneficio seruata est. Doctrinae iuxta pietatisq. studium in scholis viget: in vtraque autem laude alumni B. Virginis excellunt, extrema anno quinque humanae Philosophiae studia cum sanctioris vitae doctrina commutarunt. nam postquam solenni disputationum die publice, prompte, subtiliterq. respondissent, tres ad nostrum tirocinium Tolosam aduolarunt: e duobus reliquis, vnus Capuccinorum, alter alterius ordinis Franciscanorum disciplinae se adiunxit. Extra vrbem in vicis habitae ad agrestes conciones; & doctrina Christiana rudibus explicata: compositae inter duos magnae auctoritatis

Digitized by Google

Floritatis in ijs locis viros inimicitiae, quae non nisi alterutrius, aut vtriusque nece quieturae videbantur: prohibita veneficia. Duodecim ferme milliarijs hinc distat vrbs, quam vocant, Inter aquas; huc missi quadragenario tempore sacerdos cum comite, non inutiliter operam posuere. Sacerdos quotidianis de mere concionibus, alter Catechismo pro viribus illam Domini vineam excoluerunt. inueterauerat in ea vrbe improba consuetudo, vt prima Quadragesimae Dominica, post concionem absolutis vespertinis horis, vniuersi paene ciues ex vrbe se effunderent; atq. secus flumen, quod vrbem alluit, in ripa considerent: totumq. illud diei tempus, ad noctem vsque choreis, & saltationibus traducerent: & ea ratione dicebant, se commeatum dare Bacchanalibus: in mediam eorum laetitiam, festosq. cantus infert se noster Sacerdos cum comite: grauiq. modestaq. oratione, lasciuientem eorum laetitiam castigat: Non ad fructus seuisse eum, quem Rhutena vsque habendis concionibus aduocassent; neque tempus illud acceptabile, quod Apostoli verbis admonemur aduenisse, eam licentiam postulare: satis ante iciunij tempus indultum esse choreis, satis lasciuiae datum, malisq. voluptatibus: nunc iam tempus postulare, vt ad se, atque ad sua quisque deploranda peccata redire debuerit; fallacias, & Diaboli laqueos, hos esse omnes declinandos, dirumpendosque. Tepefecit eum laetitiae feruorem inexpectata discentis oratio, ac plerisque eorum facile persuasit, vt quando eum locum laetitiae ducerent, eam laetitiam amarent, quae minime à temporis sanctitate dissideret. iniecit subito Catechismi explicationem: intermistisq. pijs cantionibus ad animos exhilarandos,

des, vniuersam paene illam multitudinem ad vesperum sibi retinuit. Docuit hic nimirum in diuina causa non segnem esse oportere. Deus coeptis aspirat; magno animo tantum opus est, inuicta constantia, & immota fiducia in Deum; praescripsit item alijs, quid in eiusmodi occasionibus gerendum sit. Disputauit aliquando ad concionem, aduersus eos, qui per nefariam nundinationem Ecclesiastica occupant sacerdotia, aut eorum sibi vectigalia, iniuste vindicant: aliqui ea, quae salua conscientia retinere non poterant, dimisere: professiq. sunt velle se ea idoneis conferri, paratosq se ad satisfaciendum exhibuerunt. alij Ecclesiasticas censuras in simoniacos, & confidentiarios latas incurrerant. horum quoque conscientiae consultum, est. Grauissima odia deposita, iniuriaeq. quae maxima intulerant detrimenta, multis condonatae, pristinaq. gratia reconciliata. Eiusdem hortatu Sacerdotis, ciues templum iam ante ab haereticis dirutum, restituendum curarunt; & iam diuina in eo Mysteria celebrantur. Curatum est crebris admonitionibus, vt confessarij diligentius, & maiore cum fructu suo munere fungantur. Deniq. suam ita Interaquensibus nauauit operam, vt non aliorum, quàm nostrorum iam optent audire conciones.

COLLEGIVM Auscitanum.

COLITVR Auscitanus ager ea, qua semper ante diligentia; redditq. pro soli bonitate, suis cultoribus fruges suas, etiam cum fenore. Ciuium beneuolentia, & opinio de nobis ea est, quae

potest

Digitized by Google

poteſt eſſe maxima, & optima. teſtantur id egregia liberalitatis documenta: nam qui nobilium more circa vrbem diſperſi pagis, in ſuis praedijs, tanquam in ſuo quiſque regno viuunt, ad laxandas rei familiaris noſtrae angustias, pro ſe quiſque commeatum ad Collegium ſubmiſerunt. Dici non poteſt, quantam ijs aegritudinem attulerit Regiae Curiae Senatus eos de Societate è Callia exterminanda factum: vt nulli prope paullo honeſtiores ciues fuerint; qui nobiſcum non eam iniuriam etiam cum lachrymis expoſtulauerint, atque in publico conuentu ſtatuere, quicquid alijs Societatis Collegijs factum ſit, ſe nunquam paſſuros, vti è ſua Ciuitate Societas eijceretur. ardentia fuere per eos dies noſtrorum diſcipulorum ſtudia: qui, vt tam ſaeuam procellam, à ſuis magiſtris auerterent, triginta dies ante ſacroſanctam Euchariſtiam, preces fecerunt. Iidem alio tempore praeclarum ſuae pietatis documentum praebuerunt. nam cum toti Galliae Summus Pontifex, propitiandi numinis ſupplicationes indixiſſet; ipſi quoque in eas ſupplicationes, longo agmine (gratum Ciuitati ſpectaculum) prodiere. quae res ita Ciuium animos ad pietatem excitauit, vt inſolita multitudo per eos dies virorum feminarumq. ad confeſſionem, atque ad ſacram menſam confluxerit. Et quia confeſſionum facta mentio eſt, multi viri primarij è ſuis locis longo itinere, ſaepius ad nos confeſſionis tantum cauſſa venere. aliorum ciuium auditi circiter quinquaginta totius vitae peccata euoluentes. Duo è ſcholis noſtris adoleſcentes, haeretico prognati patre, poſt annum, quem in litteris poſuerunt apud nos, dum tantiſper in patriam à parente reuocantur, inuitati ad haereticorum concionem, conſtanter recuſa-

runt: minis intentatis moueri non potuerunt, vt ad vltimum pertracti animo liberi perstitere. & dum collecta haereticorum multitudo sua carmina inconditis vlulant clamoribus; ipsi inter se Angelicam salutationem, vt fit in Catechismo, modulabantur. Puerulus alius, (tanti refert sincerum adhuc animum, & integrum pijs imbuere disciplinis) tanto castitatis amore succensus est, vt sua sponte, nemine consulto, se illius perpetuo colendae voto obligarit: & religiosae vitae etiam ineundae se eodem vinculo obstrinxerit: hos praecoces, & intempestiuos non esse fructus vt credamus, facit aetas. P. Arnaldi Vicini, quem Anicij vixisse diximus, cuius si annorum rationem ineamus; inueniemus non multo hoc puero grandiorem, innocentissimam aetatem Deo in Societate dedicasse: magnum sane diuinae bonitatis donum; vtinam inter mundi vepres, ac sentes, tam lecti floris suauitas soli se pandat, vt nullo spinarum vulnere cruentatus, illaesus illibatusq; succrescat. Hi ferme fructus nostrae disciplinae. Ad alios quoque nostrae fructus operae promanarunt. Miles ingenio ferox, & vt fere est id genus hominum, periurijs blasphemijsq. assuetus; nullum non sermonem eiusmodi impijs vocibus inquinabat, ratus haec flagitia verborum suae professionis ornamenta. huic nostrorum opera primum persuasum, vt tam nefario sermone abstinere constitueret; deinde eo adductus est, vt certum ipse sibi, quoties peccaret, multam indiceret. Duo adolescentes iisdem nati parentibus, tam intestino odio dissidebant; vt in mutuam necem conspirauerint, cum alter praesse vellet, alter fratris imperium in paterna Domo viuo Patre ferre non posset. ita vnius è nostris hortatione ad concordiam

redacti

redacti sunt; vt aliter alteri acciderit ad pedes, & vicissim erratorũ veniam petierit, dederitque; per opportuna toti familiae reconciliatio, patri iucundissima, iuuenibus in primis salutaris, quae vtrumque à concepto scelere reuocauit. Parthenia sodalitas, & sodalium numero, & studio pietatis in dies augetur; multiq. sunt è primoribus Ciuitatis adscripti: e sodalibus vnus Canonicatu insignis sodalitatem ipsam nouae rei celebritate, apud ciues vniuersos fecit notiorem; quippe magno ciuium concursu, in eius sacello sui sacerdotij primicias Deo dedicauit: alius dum filij sui valetudinem B. Virgini commendat, voti compos factus est. Non est dubium quin B. Virginis tutelae tribuenda sit priuatae vnius familiae incolumitas. Die quodam Virgini sacro, vnus è sodalibus de more pijs exercitationibus in sodalicio occupabatur; eodem tempore familia reliqua tota templum petierat, nullo domi relicto; cum repente aedificium totum à culmine solutum collabitur: omnes vtique ex ea familia ruina oppressurum, nisi exhibendi Virgini matri cultus studium eos domo illo tempore euocasset. Ex eo sodalicio duo sunt in Societatem allecti: alius egregia indole eodem studio tenetur.

COLLEGIVM Agennense.

ALVIT Agennense Collegium duos & viginti, ex ijs decessit sacerdos vnus diuturno morbo, magno patientiae exemplo, conflictatus. Ad confessionem accurrit quidam intempestiua, & horrenda territus procella, id sibi persuasum habens,

habens, Deum vni sibi iratum, ita sua potentia mundum permiscere. Vir nobilis aureos nummos mille, male conquisitos, quibus debuit, reddidit: feminas nobiles amore pietatis immoderatus fervor inceſſerat afflictandi corporis: prudentiae fines exceſſurae videbantur; ſed à prudenti ſacerdote cohibitae, ſe intra limites continuere. Revocati ab haereſi plus minus viginti, fidem catholicam ex forma Concilij Tridentini publice profeſſi ſunt. Ex iis vnus ipſa Chriſti natali nocte, magna ſui animi laetitia, multis cum lacrymis in noſtro templo haereſim abiurauit. Alius cum vno è noſtris de ſua religione agebat. is cognitis à noſtro blaſphemis Caluini vocibus, in eum ipſum, quem tantopere ſactant haeretici, Chriſtum Dominum, illacrymans ait: Atqui ego iſta tam horrenda, nunquam, à noſtris miniſtris inaudiueram. vt vel hinc intelligi poſſit horum impoſtorum verſutia, & quantis ambagibus miſeros circumagant: cum ea dicant, ea reticeant, quibus non Euangelium, quod profitentur, illuſtrent: ſed quibus ſemel deceptos, ac ſuis laqueis irretitos, perpetuo ſibi obnoxios retineant. Alius poteſtatem fecit vxori, Catholicam fidem amplectendi; amplexurus & ipſe, ſi commodam, vt ille ait, occaſionem nanciſceretur. ſed quam miſer occaſionem nanciſcatur? praeclare ſe res habet, ſi vt rerum gerendarum, ita etiam religionis conſilia ex occaſione moderanda ſunt. Et talium etiam hominum torporem diuina ſaepe vincit patientia. Obijciet occaſionem Deus aliquando, vt ſaluetur vir infidelis per mulierem fidelem. Mulieres quatuor inuitis maritis, & parentibus ad Catholicorum caſtra tranſiere. Chriſtiana doctrina tribus, quatuorue locis in vrbe explicatur, diuina

bonitate

benitate rem ita promouente, vt oclogenarij homines honori sibi ducant, interrogari, respondere, & magna cum reuerentia, sacrarum iconum praemiola accipere. Manauit hoc studium, & aduersus religionem reuerentia ad alias quoque partes Ciuitatis. Pagellae lusoriae è ludentium manibus nulla ipsorum querela exceptae. ita factum est; vt si Iesuitam aduentare nuncietur, ludo continuo abstineant. Quadragesima diebus Dominicis, qui carcere tenentur, Christianam doctrinam edocti, & confessione expiati. Operarios, baiulos, aliosq. circumforaneos, & infimae sortis homines, vel cura quotidiani victus conquirendi, vel imperitia, quod illa quae in concione aguntur, non intelligant, vel vt in asperis ingenijs contingit, pernicio sa sui negligentia, & inueterata desidia ab ingressu concionis prohibebat; ad hos die Palmarum medio foro, pileo illorum more circumacto, conuocatos, hortatio habita illorum ingenijs accommodata, ratioq. rite confitendi accurate explicata; sane non definit diuina bonitas suis piscatoribus, & imbecillis instrumentis ingenium, & industriam suppeditare, omne genus piscium ad Domini sagenam congregandi. Histrio diebus festis ad suas fabulas spectandas ciuitatem euocabat; ratus Parochi vicarius rem indignam, cum prohibere non posset; vnum è nostris sacerdotibus illuc intromisit, aclorem ad eam scenam non valde expetitum. nuncia-

tur aduenisse Iesuitam. tum vero vidisses viros & honoratos & ignobiles, trepidare; & quasi in fragranti aliquo crimine deprehensos, huc, illuc effugia circumspicere; pauimenti asseres diffringere, vt euaderent. nostri ingressus imperat silentium: & ex ipso Histrionis scaena disputationem aggredi-

tur

tur de morte, deq. extremi temporis iudicio, non illi vtique ad eam comoediam histrioni symbolum dedissent. tenuit ea concio aliquot horas, an subinuitos, an subpudentes; quamdiu videlicet eos scena tenuisset. festum tandem, ac tritum ad vespertinas audiendas horas dimisit auditorem. proba sane, vt apparet, sunt hominum ingenia, & ad omnem honestatem, pietatemq. propensa: vt non difficile admodum sit, ex medio tritico mala inueteratarum consuetudinum excernere zizania. id in nonnullis viris primarijs compertum est, qui cum praecepta quadam, vt fit opinione, animo à nobis essent alieno, nunc ipsa veritate expugnati, nullam de nobis benemerendi occasionem praetermittunt. in ijs quidam, qui nullum finem de nobis detrahendi faciebat, nunc ita mutatus est, vt ingenue fateatur, non secus emolliri, ac deuinciri nostra morum facilitate etiam hostes infensissimos; ac leones, (sic enim ille loquebatur) humanitate mitigantur. Atque hic amor vniuersarum Ciuitatum, in primis vero Agennensis, eo maxime tempore se prodidit, cum vno consensu omnes nostra caussa supplices libellos supremae Regni Curiae dederunt, consulibus Ciuitatum etiam haereticis assentientibus, ne ex hac prouincia eijceremur. Illustre vero eo tempore tum vniuersi senatus Burdegalensis, tum viri clarissimi Matignonij, Marschalli, & Aquitaniae Praetoris studium fuit erga nos. ita enim nos fouerunt, nostrumq. nomen à maleuolorum inuidia defenderunt; vt in Regia, in Comitijs, in maximis Principum virorum conuentibus, caussam nostram grauissime defenderint: seq. hoc veritati, fidei, catholicae religioni tribuere, pro sua benignitate, & fide testarentur. grates diuinae

proui-

Digitized by Google

prouidentiae, quae non prorsus profligatam oppressam q. innocentium causam esse permisit: vt si ex vna parte publicis edictis vrgemur, & magnorum virorum auctoritate; ei possint ex altera parte momenta paria praeponderare. Scholae florent indies, & numero discipulorum, & virtute. Tragoediam dederunt Mauritium Imperatorem theatro apparatissimo, plausu longe maiore. Discipuli probitatis in primis studiosi, & in religione constantes: eorum vnus in patriam haereticam ad parentes Caluinistas reuersus, nullis suasionibus, neque parentum hortatu, ad esum carnium diebus vetitis adduci potuit. Alius quod scholas nostras frequentaret, a parentibus haereticis omni ope destitutus, exemplo S. Francisci, didicit omnem spem suam in vno caelesti patre collocare. Sed omnium studiosissimi sunt Partheniani, qui eo feruentius se hoc anno ad sanctissimae matris amorem incitarunt, quod didicerunt se, tanquam boni succi tenellulos surculos, in felicem arborem Romanam sodalitatem, insertos esse. flagellorum, ac ciliciorum vsus vbique receptus, & frequentatus, hic quoque, tanquam in recens prosciſſum, & excultum agellum, introductus. aegrotos in nosocomijs inuisunt: Christianam ibi explicant doctrinam, haereticos ad nos adducunt, magno studio, vt ad fidem conuertantur. Eorum quidam equalem suum sibi familiarem non ad catholicam fidem solum adduxit; sed etiam vt eandem secum sodalitatem iniret, persuasit. Erat sacratissimi Christi corporis pompa, per plateas educenda: aedes haeretici hominis, qua erat transeundum nullis ornatas peristromatis, vnus e sodalibus conspicatus, epigramma foribus affixit, chartamq. alteram insignibus crucibus

bus ornatam; id ille ita aegre tulit, vt si cruciarium eius foribus affixum esset; statuitq. cum adolescente agere iniuriarum: sed metu maioris probri destitit incepto. alij, vt facilia sunt ingenia adolescentium, & parum prouida, quod famelicum quendam, & tenuem ministrum irrisissent, & vltra modum etiam ludificassent, vocati in iudicium, cum risu absoluti sunt. libros haereticos, aliosq. parum castos, praesertim post solemnem in studiorum repetitione habitam ea de re orationem, perdendos, aut castigandos detulerunt. Eorum quidam à parente discessit, quod eum ab obstinata haeresi non posset multis rationibus, & longa disputatione amouere. Multi in vtraque sodalitate magno tenentur nostrae Societatis desiderio. Ex ijs tribus tantum satis est factum, dilatis reliquis in tempus aliud. & quia saepe non minus scelerum animaduersiones, quam recte facta, homines hortantur ad officium; nollem quidem factum; sed quando ita factum est, non me pigebit infelicem & miserandum vnius exitum referre. obnixe flagitauerat hic se admitti in Societatem: nec longe illius studium differebatur, ac iam futurus erat voti compos, cum repente mutata voluntate, non solum à suscepto consilio defecit: sed & sodalitati, & studio bonarum artium salute dicta, habenas cupiditatibus laxauit, ac sese miser in omnem petulantiam viuendi licentia effudit. sed infelici non diu impune furere permittitur. vix dum liberioris vitae cursum arripuerat, cum dysenteria corripitur: paucisq. flagitiose consumptis diebus, omnem bene ante actae vitae gratiam pessundedit: vt miserrimi exitus terrore, maiore ceteri gratia, & constantiore vocationis donum à diuino fonte bonita-

tis

Digitized by Google

tis sibi datum, tueri conarentur, à mente enim alienatus, ebriosis vocibus & pocula inclamans, & lusorias pagellas, eiecit animam; horrendo sane exemplo, & omni digno miseratione. Sed si in tantam putredinem fuit vlcus illud eruptурum, diuinae prouidentiae acceptum refero, quod intra nostras aedes tantam perniciem non admisimus. Haec Domi. foris, varijs in locis habitae conciones. in vico quodam Paschae ferijs, cum quidam feneratores reprehendisset; vnus ex ijs, qui audierunt, errore agnito, debitores, quibus pecuniam mutuam dederat, ad se accersitos omni pensionis onere liberauit; protestatusq. est nolle ab ijs quidquam, praeter sortem, quod reliqua pecunia, quae praeterea penderetur, sua esse non posset. Alius Moyraci (opidi nomen est) ipso Palmarum die de restituendis crucibus egit, quas multas, è locis publicis superioribus annis haereticorum furor disturbauerat; haerebatq. adhuc in republica illa macula, & illud impietatis monumentum: intra ipsam hebdomadam sex, septemue restitutae sunt. Multorum inimicitiae, & quidem magni momenti, & periculosae, ad pacem magno cum incolarum bono reuocatae. Extrema quadragesima, adnitentibus opidanis praeter eum, qui è suggestu populum docebat, missus eodem sacerdos alter, omnium paene confessiones excepit: multiq. suam confessionem à quindecim annis, & viginti repetierunt. Alius circa sacram Domini Anastasim Vrbem, Plumam nomine adiuit; ac cum de condonandis iniurijs disputasset, repente illius permoti sermone, duo inter se grauissime ante infensi, sua se sponte reconciliarunt: idem postea alij multi fecerunt: in ijs fratres duo ex praecipua eius vrbis familia, implacabili

odio

odio dissidebant, & ferro se se mutuo aliquando appetierant; eorum vterque ita abhorrebat à concordia, vt statuerint sacris abstinere, potius, quàm à concepto odio recedere. hi quoque, nostri sacerdotis opera, magna cum totius Ciuitatis gratulatione, fraterna reuocata beneuolentia, & ipsi secum inter se, & cum Deo reconciliati sunt. Alius è nostris, opidum aliud adiuit concionum caussa: haeretici sese ad videndum Iesuitam effuderunt: cumq. ad concionem inuitarentur, templum quidem ingredi recusarũt; sed è fenestris, quae tractabantur, audierunt. egit ille de sanctimonia, & iure matrimonij: & forte per eos dies aliqua celebrabantur. ita, quae audierunt, probarunt, vt faterentur se tunc suorum ministrorum mendacia agnoscere. & tamen vani illi errones iustitia eretati Pharisaica, audacia & copia verborum, incredibile est, quantum sibi videantur sapere: quibus si fraudes & mendacia detraxeris, inopes, & nudi relinquantur; &, quod deterrimum est, qui eorum arbitrio reguntur, vsque eo sunt amentes, vt ijs ipsis, quae detegunt, fallacijs plerunque delectentur; miseroq. caecorum ducatu, una cum suis ducibus in eandem ruinam videntes pertrahantur. In vrbe Aquillone ita Catholicae religionis feruor intepuerat, vt nulla paene earum rerum signa apparerent, quae passim Christianae solent indicia esse pietatis. Iurandi libertas effrenata, sacramentorum neglectus incredibilis, nullus rosariorum, nullus prope aquae lustralis vsus. Huc missus è nostris sacerdos per Aduentus ferias, rem Christianam restituere visus est. Curauit primum, vt ad salutandam Virginem signum ter in die, cum bis tantum antea, daretur: repressa iurandi

randi licentia; docti homines rationem comparandi se ad sacramenta rite obeunda. ipsisq. Natalis Christi ferijs valde magnus numerus ad sacram synaxim accessere, cum antea res insueta esset in his locis. reuocatus usui earum rerum, quae iam obsoluerant; & vt haec quoque pars subleuaretur, his quaque hebdomada quaestiones de conscientia sacerdotibus explicatae. haereticorum libri exusti: restituta etiam sacra sodalitas, quae paene iam collapsa erat. ita demum Christiana pietas in ea vrbe paucis diebus vnius opera videtur faciem suam recepisse. Deus bone, quam non fuit commodum, tot colonos tam strenuos ex his terris exurbasse: quod si haec paucis in opidis vrbibusq. ad quas nostrorum opera peruenit; quanto plures alias agri Dominici partes cultoribus indigere existimabimus?

COLLEGIVM Petrocorienſe.

PETROCORIIS obijt diem suum P. Franciscus Bordesius, ciuis Petrocoriensis, vir pietatis laude insignis, magno totius luctu Ciuitatis, qui in magnis belli difficultatibus Collegium septem annis magna cum pace prudentiaq. rexerat. Vrbem non semel putarunt, periculosis temporibus, suis precibus, & concionibus seruasse. Fratrem suum non ita multo ante in nostro templo, praesente maxima parte Ciuitatis, honorifico funere tumularat, qui se ei, & probitate, & pietate, postremo etiam vitae instituto, praebere simulauerat quam simillimum. Tres ille liberos suscepcrat, quos

Dd omnes

omnes iam antea; extremo vitae tempore se ipsum quoque nanciscitur vobis cum omni sua possessione Societati dedicauerat. Pauci dies ab eius sepultura praeterierant, cum ad eius sepulcrum noster in preces effusus à Deo petit, vt se cum fratre coniungeret in Caelo; postero die sacrum faciendi demissa vox est: Exaudita est oratio tua. paucis diebus morbo consumptus emigrauit ad superos; Afficit magno animi sensu Ciuitatem vniuersam talis viri interitus: tantaq. ad funus honestandum affluxit multitudo; vt ea vix templo caperetur. Princeps Vrbis magistratus, quem Maiorem vocant, & consules conuenere; atq. iacentis manus osculati, lacrymas dedere. Clerus ipse non vocatus exsequijs celebrandis praesto fuit. Qui communem totius Ciuitatis sensum inspiceret, patriae parentem lugeri existimaret. Haec de domesticis rebus: nunc pauca de opere. Poenitentium, Deo laus, ingens est numerus. Diebus enim celebrioribus, aegre septem confessariorum opera tantae multitudini satis est. auditi de totius vitae peccatis prope ducenti: multa male parta iustis dominis reddita sunt: multorum animi reconciliati: sedatae discordiae. Duo viri nobiles, qui immortale odium alere omnium iudicio existimabantur, in media vnius è nostris concione restincto odio in mutuos amplexus conuenere. Multi impudice viuentes ad honestatem adducti. Inueterata saltationum licentia, non quidem penitus oppressa; valde tamen, Deo fauente, repressa. Sex agnita veritate, haeresim detestati abiurauerunt. Scholae quoque dederunt fructus suos. octo è sodalibus B. Virginis magnae probitatis, & eximiae spei adolescentes ex hac vna vrbe, prope quot ex alia prouin-

provincia universa, in Societatem admissi. Adventus, & quadragesimae diebus, extra urbem excursum in varia loca non sine fructu. Inimici multi reconciliati: duo praesertim viri nobiles praeter omnium expectationem. Adolescens cum Patre, cui gravis admodum, & infestus aliquando fuerat, reconciliatus: persuasumq. est, ut abiectus ad patris pedes suae contumaciae supplex veniam peteret. Decem annos quidam cum fratre exercuerat inimicitias; hi quoque inter se reconciliati. Puerperis duabus periclitantibus confessa salutis fuit: libri permulti noxij exusti. Delecta scholarum ministrorum inscitia, & audacia repressa. Ex opido quodam minister, qui idem ludi Magistrum agebat exturbatus. Ministrorum alius cum uno de nostris sacerdotibus, viris primarijs multis praesentibus, tum catholicis, tum haereticis, certamen suscipere ausus, cum in ipsa premenda difficultate fluctuaret, verborum ambagibus, magna cum adstantium irrisione, diuerticula quaerebat: iussus a nostro, missis aliens; directo, & dilucide, more disputantium respondere: columnians imperiose agis secum, tyrannum sacerdotem nostrum inclamabat; qui quemadmodum sibi responderi vellet, imperaret: se liberum esse, nullius oneri seruitute: nolle sibi dari leges in disputatione. debere nostrum ejs, quae ipse responderet, esse contentum. hic vero tam insulsa oratione, multo magis est arrisum. ita, quod ille maxime optabat, cum homine nauci omissa disputatio. Accurrit alter denuncio socio suppetias laturus, ipse ineptior priore. & homo acutus primo statim responso, effusissimo cum risu omnium, prioris sententiam contraria plane sententia euertit. melius homo subtilis

alterius dedecore tacere didicisset. Sed mira est haereticorum insolentia, horum praesertim plebeculae ministrorum: nihil omnino norunt, nec quidquam est, quod illi non audeant. & cum tantam profiteantur eruditionem, vt prae se ceteros contemnant; nihil ijs pronius, quam pedicis argumentorum implicari. dimisso cum eorum ignominia congressu, extitit repente novus quidam sadduceus, & argutulus, vt sibi videbatur, ex eodem grege legum doctor; non multo tamen & hic prioribus constantior; sed aliam viam iniuit, vt ille existimauit, tutiorem. nam argumentorum congressionem declinans, ad iudiciorum confugia homo peritus se conuertit: Sacerdotem nostrum, quasi aliquem oratione inter disputandum violasset, in crimen vocat: suiq. venditandi causa spargit in vulgus crimina nescio quae. res delata est ad Maiorem, quem summum Magistratum esse diximus, ferox initio leguleuis. sed nihil turpius, quam artium praecepta aliqua tenere, & ea male intelligere. hic fortasse fretus arte litigandi, magnam sibi iuris prudentiae opinionem vindicabat. sed cum ad rem ventum est, acicula cum acu de consuendi subtilitate venit in certamen. Venit dies agendae causae. interrogatus vnus è consulibus, qui ei disputationi interfuerat, testimonium dixit. vicibus tanti testis auctoritate dissertus patronus metu trepidare, ambigere, ad extremum suae causae praeuaricari, & crimen, quod ipse in iudicium attulerat, negare; & vt iure consultus aequissimus contra suas ipse calumnias patrocinari veritati. Ita omnis ineptissimorum hominum conatus contra nos in nebulam & fumum dissolutus, Deo suorum innocentiae patrocinante.

DOMVS PROBATIONIS Tolosana.

TVM multis rebus aliis diuina erga nos beneuolentia, tum in primis non obscure intelligitur in lectissimis adolescentibus ad nostrum institutum aggregandis: vt quo se dant nobis tempora duriora, eo maior ipsorum animis ardor excitatur, ad humana relinquenda; & Christi Crucem nobiscum amplectendam. quis crederet in publica nostrorum proscriptione, tam graui tempestate dissectis, dissipatisq. nostrae quasi reip: membris, tantam egregiae indolis adolescentium multitudinem studio nostrae Societatis exarsisse? vt cum alios viderent eiectos, profugos, huc illucq. fugientes, quaerere sibi tunquam exsilio locum, tum maxime se non minus aerumnarum, & laborum, quàm studiorum, ac religionis comites adiungerent. Vnde viginti in hanc Tolosanam domum, ad ponenda nostri instituti rudimenta post tot collegiorum ruinas, tot prouinciarum quassationem admisimus: cum tamen longe plures ob locorum angustias, & tenuitatem vectigalium excluſi sint. Quis non luce clarius iam cernat cordi esse omnium parenti Deo nostram familiam? tantumq. abest, vt Tolosates, reliquosq. Aquitanos haec saeua tempestas à nostro complectendo instituto absterruerit; vt in medijs rerum aduersarum fluctibus praeter eos, quos Parisiis Auenionem contendisse, supra retulimus; alium ex eadem vrbe adolescentem, ad nobiscum eandem aleam subeundam excitarit, is indigna nostrorum eiectione permotus, Magistrum suum

in carcerem coniectum, omnibus humanitatis officijs prosequuntur, non modo nihil reliqui faciunt ad miseri solitudinem, inopiamq. subleuandam: sed ad eius à Deo missionem impetrandam, voto se nostri suscipiendi instituti obligauit: statuitq. sibi patria potius, atq. cognatione omni, quam nostra consuetudine, disciplinaq. carendum. Tolosam igitur se contulit; factusq. voti compos, cum pusillo Christi grege, ad dura pro Christo subeunda instituitur. Nec minor Dei amor erga nos in adolescentium animis inuadit, quam in ijs à superum amore, consuetudineq. auellendis perspicitur. Vix dum admissus erat adolescens ad primum nostrae disciplinae quaestuculum; cum pater, re comperta, sex dierum itinere, tanta celeritate Tolosam aduolat, vt filium nondum saeculari ornatu posito offenderit; quem vt vidit, lacrymis pro verbis vsus est. Ita enim dolore emollitus est, vt vocem elicere non posset. Recepta tandem animo, cum multa questus esset; ita filij constantiam est admiratus, vt omnem ipse ex animo duritiam exuerit; filijq. victus rationibus, maerorem, & indignationem in placidam paratamq. laetitiam conuersexit. Cibag. non prius vna sumpto, antequam discederet, filio paternam benedictionem collaturus, à P. Rectore postulauit; an verba, quibus ei bene precaretur, ipse conciperet: promisitq. se cum altero eius fratre, qui domi erat, futurum, vt ipse quoque eiusdem vocationis amore saperetur. Maiore alter, ac turbulentiore certamine conflictatus est, percurrerat his iam Philosophiae spatia, cum ei melioris Philosophiae studium, Deus O. M. iniecit; inuidit illi eam mentem malus daemon; consilijumq. disturbare aggressus hominum sustulit, qui ei litteras red-

deret

dares, quibus litteris grauí parentis morbo reuocabatur in patriam. haesit hoc nuncio aliquantum adolescens: ancepsq. vtri pareret, Deo ne ad se vocanti, an patri domum reuocanti, obuersabatur animo, tantulum moras interponere licere, mox id consilium repetituro: vicit tamen melior sententia, diuinamq. secutus vocem, diuinae obtemperauit voluntati. admissum ad prima disciplinae rudimenta noua excipit pugna litterarum, & malè amicorum hominum a susceptio consilio auocantium, resistitur egregiè, irritiq. conatus eluduntur. Praeterierant iam ab instituto religionis cursu dies multi, cum ecce tibi nihil minus cogitanti, die Dominico a concione cum reliquis fratribus domum redeunti fit obuiam pater consanguineorum comitatu circumseptus, vir grandi aetate, & generis nobilitate verendus, ruit in amplexum: ac per speciem exosculandi, iuuenem arctè complexus e suorum diuellit comitatu: circumfunduntur propinqui: nostri accessu prohibentur: ille validissimè reluctari, nostros inclamare, opem sibi ferri postulare. nostri, & si comminus accedere, iuuenemq. ex eorum manibus eripere non poterant, pudore, nouitiaq. proiectam vim facere prohibante; consanguineorum tamen conatus retardabant. Itaq. iam vis, non vt cogitarant, res prona videbatur. Pater ad miserationem versus, ejulatu, questuq. omnia complere, vicinorum opem implorare, in nostros conuicia iactare: ingens fit hominum concursus; multiq. patris senectutem lacrymasq. nobis exprobrabant. is animi, & quod maiorem vim adortus esset, & in illa turba iniquius compressus, quam per aetatem ferre posset, tum clamore, & animi consternatione fatigatus, miserando admodum ad-

Spectu expalluerat: vt iam iam illum defectura videretur anima: feminaeq. ad eum reficillandum ex aedibus liquores properabant: quae res & aequiorem senis causam, & nostram dirorem faciebat. pugnatum est à nostris semihora, omnino impari conatu, & aduersus tantam multitudinem viribus longe minoribus; sed Deus suorum conatus secundauit: elapsus adolescens, amisso pallio tunica discerpta, in suorum globum se subito inserait; festinatoq. gradu domum contendit, laetus tam parua factura suam libertatem redemisse. Sesquihora circiter intercesserat, cum pater submittit qui quaerat, an sibi sit potestas iterum filium conueniendi. nostri & si causae satis erat, cur id negaretur: tamen diuina ope freti, & constantia adolescentis, maluerunt in optima causa de suo iure decedere, quam vllam offensionis causam apud animum cuiuspiam relinquere; vt cum senex omnia expertus esset, re tandem explorata, victus conquiesceret. renunciari iubet P. Rector, futuram honesto seni potestatem cum filio loquendi, cum velit, quantum velit. Venit Domum senex: cum eo loquitur remotis arbitris: eius congressus summa fuere vsitatae, & solennes in tali re parentum querimoniae, quibus iam antequam huic se militiae ascribant, tirones aures; animiq. tundunt: paterna beneficia, ingratum animum filio obiecit. sed stultum fuit, qui è tam graui, & insueta pugna victus abscesserit, sperare hac se tam trita velitatione superiorem futurum; verum id totum paterno dolori condonandum: modo non alia inimiciora moliantur. negant enim adhuc illorum quiescere consilia, nec dum plane delerem omnes desedisse: sed, & ipsa dies, & religionis reuerentia,

rentia; in primis vero diuina bonitas assiduis precibus sollicitata meliora consilia iniiciet. Admiratione dignum, & plane euidens diuinae in nos benevolentiae signum, quod narrabitur, ex tam sinistro initio, tam facilem exitum sortitum. Adolescens Burdigalensis, qui nunquam in nostra disciplina versatus, non in scholis nostris eruditus, non illa sacrarum rerum consuetudine à nobis institutus; immo vero qui, nisi per vmbram, & eam quidem à longe, nostrum nomen audierat, nostros homines ne viderat quidem; cum primum per aetatem aliquid sapere coepisset; sua sponte, nullo monente, solo diuino instinctu consilium cepit nostrae religionis ineundae; & eo maxime tempore, quo septem ab hinc annis nobis Burdigala per tumultum pulsis, apud plerosq. Societatis nomen maxima erat inuidia. Erat hic Burdegalensis Senatoris filius, vir, vt eius declarant facta, non magis auctoritate, & dignitate, quam aequitate, & generosa probitate primarij: & quo tempore nostri Burdigala procelloso illo turbine cesserunt, octauum annum agebat; nondum magistro traditus, domestica instituebatur disciplina, triennio post litteris informandus ad Collegium quoddam Aquitanicum, cuius regimen erat, vt plerunque penes Sacerdotes, à parente mittitur. hic, vt qui concretas hiemali gelu voces verno tepore liquata persentiunt, coepit ex ijs, quae forte pueri inter se, vt solent, de varijs collegijs, deq. nostrorum Collegiorum disciplina, conferebant, in memoriam redire eorum, quae dudum de nobis inaudierat in patria, quae tunc aut non animaduertebat, aut per aetatem intelligere non poterat. haesit puero in mente illa cogitatio, sensimq. coepit coalescere, ita vt illius iam

animum

animum agitaret: & vt erat à Deo delectus ad sui cultum, constituit apud animum suum, nostrum vitae complecti genus: neque id caelauit aequales suos, quibuscum fortasse, vt pueri pio instituti solent, de cultu pietatis, & aemulatione virtutum crebro loqueretur. quin etiam, vt illa fert aetas, magno animi candore consilium patri detexit. Pater pro sua prudentia rem adhuc immaturam non magni fecit in praesens. Vulgatur pueri consilium inter aequales, vt saepe, & domi, & in schola, puerilibus iocis perstringeretur, & minima quaque obortâ indignatione, Iesuita appellaretur; quod ille ita inuicta patientia ferebat, vt quae alios exagitatio ex ea voluntate deturbasset, hunc maxime in consilio suscepto obfirmaret. adoleuit vna cum aetate concepta de religione voluntas: & cum iam consilio exsequendo sibi maturus videretur, de tota re Patrem interpellat. pater sedato animo filij audit postulata: responsi tamen nihil dat: sed expectat, quo sit filij consilium eruptura; langueret ne, an vires sumeret. instat iterum, vrgetq. saepius adolescens, vt bona cum parentum venia, sibi liceret ad caelestem brauium cursum capessere. iubetur dum est integrum, etiam atque etiam considerare; vires suas expendere, quod sibi imponit onus diligenti trutina examinare: iuxta perniciosum, atque ignominiosum esse à semel suscepto religionis itinere discedere. Postquam satis constantia probata, & iam tuta esse omnia visa sunt, dant manus vtrque parens: faustaq. omnia genitorum affectu, à Deo comprecati, carissimum suorum viscerum pignus diuino cultui permiserè. Pater tribus comitantibus senatoribus, ad P. Prouincialem, qui per eos dies Burdigalam ad Collegium

ginem iam octo annis desertum recipiendum vnxerat, filium deducit: & vt erat generoso ingenio, & liberali, tantum etiam pecuniae appendit, quod esset satis, & ad iter Tolosam vsque, & ad omnes tirocinij impensas sustinendas. Ita licet hinc inde petamur hominum iniurijs: perficuis tamen diuinae benouolentiae argumentis recreamur. Haec de primis vocationis initijs, quae scriptu digna visa sunt. Alius ex ijs, qui hic degunt magistratoram à trigesimoquinto aetatis suae anno haeresim complexam miseratus, cum adhuc domi esset, precibus primum ad Deum, tum rationibus, ac suasionibus, ad Catholicam reuocare conatus religionem: frustra machinis omnibus adhibitis, re desperata, desiterat. in Societatem cooptatus, dum pijs commentationibus exercetur, interiora monitu, statuit rem iterum tentare; precatus Deum dat ad obstinatam feminam litteras: quibus obscaecatae mentis mature animum diuina lux affulsit: eodem tempore ipsam morbus opprimit; catholicum accersit sacerdotem; venit ex familia Franciscanorum: monet quae tempus postulat. paret illa, errata confitetur, cum Deo, & Ecclesia reconciliatur. Vix Ecclesiae potestate peccatorum vinculis soluta, solutus etiam corporis vinculis anima. Hactenus de tironibus fuere quoque & veteranorum, qui hic degunt aliqua commemoranda. Frater domestici adiutor operis, dum per vrbem, quae sui muneris sunt obiret, quadrimum puerum videt, diuturna iam febre, prope ad extremam tabem adductum. miseratus sedam teneri corpusculo vexationem, sacram ei cerei agni è vllam appendit è collo: ea coelestis amuleto, ita depulsa febris est, vt nullam ei quandoquidem illud retinuit molestiam

exhi-

exhibuerit. verum cum non ita multo post in paterna villa esset, quidam è familiaribus, dum puero blanditur, sacram ei bullam, vt sibi applicaret, e collo detraxit; statim febris redit. percussa mater nutricis accusat negligentiam, quasi ipsius culpa puer in morbum recidisset. mirata nutrix quid id esset, dum puerum amanter fouet, animaduertit bullam abesse, morbi expultricem, qua restituta, restituta est etiam puero bona valetudo. valeat ad perpetuum testimonium virtutis sanctae illi consecrationi diuinitus impressae. Eandem in re alia virtutem vidua mulier persensit. haec ob recentem filiorum, & coniugis interitum dolore agitata, & stygijs furijs exstimulata, mortem sibi ex desperatione constituit inferre. multasq. in casum vias experta, in Garumnam flumen se deiecit: non tamen submergi potuit, muliebri veste in orbem explicata, plumearum instar alarum eam suspendente: cumq. aquarum voluminibus deueheretur, admoto liniere quidam, qui non procul erat, eam abnuentem, ac prope reluctantem, ex aqua extrahit, exponitq. in ripa semianimem. feminae excipiunt, fouentq. forte idem frater, qui puerum seruarat agno cereo, prope eum locum pinsendum frumentum molae inijciebat: accurrit: mulierem desperationis, & stygij furoris plenam salutaria omnia respuentem, nec quidquam aliud cogitantem, & loquentem praeter necem, grauibus increpat verbis: in Deo, non in desperatione, spem esse aduersis in rebus collocandam: illa irata mori sibi certum esse denunciat: eo se desperationis venisse, nulla vt peccatorum sibi venia speranda sit. Ille ex desperatione sermonis sathanicos sentiens assultus, tanto magis mulieris animum ad

spem

spem conatur erigere: detractam sibi è collo agni caelestis effigiem illi appendit: tum furor omnis desedisse visus est: factaq. sensim placidior, domum reuertit: eam paulo post noster inuisit; aegram animi consolatur: pium etiam libellum, cuius lectione leuaretur, ei praebet; persuadet demum, vt ad reddendam animo tranquillitatem, totius vitae, peccata confessione expiet: quo factum est, vt longe alia vota conceperit, noua consilia inierit, mutataq. penitus voluntate, à desperatione in vna tantum caelestium rerum cogitatione omnem suam curam, animumq. defixerit: & quae ante rebus aduersis perculsa, odio vitae lucem abrumpere praecipiti furore decreuerat: nunc inconstantiae rerum humanarum pertaesa, seipsam à saeculo abducere, meditatur. interim frequentem sacramentorum vsum in nostro templo suscepit. Sperandum diuino Dei munere, ingens aliquod bonum ipsius animae reseruari, quando ex tam certo periculo tam admirabili euentu liberata est. Domi foriscq. solemnia tirocinij strenue exercentur. Aduentu & Quadragesima missus saverdos Galliacum, opidum in Albiensi Dioecesi, praeter vsitatos docendi populi labores, magna cum totius opidi vtilitate arcem ipsam & totius rei caput petiuit, clerum sibi separatim suscepit instruendum, à quo tanquam à capite in caetera membra vtilitas demanet; ritus sacrasq. cerimonias, & rationem sacramentorum, poenitentiae praesertim administrandorum edocuit; Catechismum in opido explicauit, magno eius populi bono, cum non pueri modo docerentur: sed ipsi etiam domi rudimenta religionis, parentes reliquosq. domesticos docerent. Hic quoque sacri agni cereri in opprimendo incendio perfecta virtus

quae

quae res tantam intulit opinionem religionem, vt quod sacerdotij eius consecratae aerae superaret, fuerit in tot minutatim particulas communicandum, vt infinitae prope multitudini sufficeret. Concionum porro ea fuit vtilitas, vt viri primarij ad quadraginta totius vitae noxas generali confessione detexerint: multae, & veteres inimicitiae multorum reconciliatae, usurae repressae, & qui ex ijs quaestus percepti, redhibiti, iraque & pecuniae, & praedia etiam iustis dominis concessa. Quidam, quod in haereditatem alterius irrepserat, permotus nostri Sacerdotis oratione, vltro virum misit in possessionem, vnde dolo malo eum ejecerat.

COLLEGIVM Burdigalense.

BVRDIGALENSIS Collegij ruinae paulatim iam restaurantur: licet refarta nondum omnia: sed minus infenso animo videntur esse Ciuitas in nos, siue quod iam catholici & boni plus virium habent: siue quod ipsa dies etiam aduersariorum iras, praesertim expleto odio, demitigauit. nam quemadmodum anno CIↃ IↃ LXXXIX. *per causam belli, & speciem tuandarum regiarum partium ab aduersa factione, magno cum bonorum luctu, vrbe excedere iussi sumus; superioribus eorum annorum litteris perscriptum est ex eo tempore partim in varia collegia desiecti nostri, partim in Residentia S. Macharij consedere. hoc anno demum sub ipsum paschae tempus nobis facta potestas redeundi, ac vetus collegij domicilium incolendi, & conciones etiam habendi. Scholas tamen adhuc aperire, non est*

Digitized by Google

est datum. Statim ad occupandam collegij possessionem duo missi; quos paulo post alij quatuor sunt insequuti. Collegium fuerat per totum illud tempus militum diuersorium: quam male habitum, & quot affectum detrimentis, cogitare difficile non est. multa ruinis sedata, nihil in tota domo integrum, omnia sua sedibus conuulsa, cubilia locaq. omnia fumo, & squalore deturpata, densis sordibus, & fetore militari maleolentia. Data est opera primum, vt repurgarentur omnia, & in ruinis reficiendis, opificibus exigendis, qui bonam aedium partem iniuste occuparant, aliquantum laboris fuit. Dei tandem beneficio, & summa Ciuitatis voluntate, omnia perfecta sunt; paulatim tenuis suppellex comparata. Et iam, Deo laus, nostrae operae fructus aliquos Ciuitas coepit degustare. Octaua corporis Christi duo è nostris ad conciones habendas in duobus celeberrimis vrbis templis initiati sunt, quod munus non minori Ciuium probatione, quàm vtilitate obierant: multi enim catholici in fide nutantes confirmati sunt; haeretici aliquot ad saniorem opinionem reuocati. in vs quidam nobilitate, & doctrina conspicuus. Vocantur praeterea nostri saepe ad aegrotos confessionis causa excipiendae: ex vs quinque, quorũ de vita valde timebatur, aquae benedictae potu sanati sunt: ad vinctos quoque, & capitis damnatos accersuntur. Haereticus homo militaris, & opibus potens audita capitali sententia, qua damnabatur. eo magis in haeresi obfirmarat animum, quo se magis religionis onera indigere sentiebat: aduocatus vnus è nostris, post longarium horarum concertationem, homini tandem persuasit, vt abiecta haeresi, in catholica religione moreretur: quo officio sic laetatus Senatus est, vt ex

eius bonis publicatis aureos centum collegio decreuerit: Alius antequam duceretur ad supplicium, ministrum Caluinistam expetierat: sed unus adhibitus è nostris, hominem abiurata haeresi, ad mortem pie obeundam adduxit. Aduentus concio uni è nostris, in praecipuo urbis templo data est: duobus alijs, alijs in templis Dominicis festisq. diebus. Ex ijs, qui nostrorum conciones frequentarunt, haeretici nonnulli in nostro templo fidem catholicam professi sunt, quod idem alij plures apud alios parochos fecerunt. Accidit & aliud luculentum ad periurij horrorem, & poenitentiae efficacitatem argumentum. Virgo quaedam ad mendacium firmandum, iguem S. Antonij sibi imprecata peierauerat, statim diro incendio omnia illius uri membra caepta sunt, facies sacro illo igne incensa fedabatur. haec propere ad nostrum templum adducta, confessione expiata, aquae benedictae haustu, restincto incendio, pristinae incolumitati restituta est. leni quippe auiemadmodum flamme, & periculum fedissimum redemit, & diuinam didicit in posterum uitare indignationem.

PRO

PROVINCIA ARAGONIA.

DEGVNT in Aragonia Prouincia Socij octoginta septem, supradueentes. Sacerdotes centum duodecim; Studijs dediti quinquaginta quinque; coadiutores nouaginta quatuor, nouicij viginti sex: variarum disciplinarũ magistri, qui aut Sacerdotum, aut scholasticorum numero comprehenduntur, duo & viginti: atque hi decem domicilijs distributi. In Domo professa Valentina capita numerantur triginta septem, Sacerdotes viginti, coadiutores sexdecim, & nouicius vnus. In Valentino Collegio Socij triginta tres, decem Sacerdotes; e quibus tres Theologiam docent; eos audiunt fratres decem: adiutores habent ad domestica munia tredecim. In Gandiensi viginti nouem, Sacerdotes decem, philosophiae studiosi octo; eorum magister vnus: duo praeterea grammaticae Magistri, cum coadiutoribus octo. in Caesaraugustano octo, & triginta, Sacerdotes sexdecim, e quibus vnus conscientiae explicat quaestiones, scholastici sex; quindecim coadiutores, quibus accedit nouicius vnus. in Bilbilitano quindecim; nouem Sacerdotes, quorum tres iuuentu-

Digitized by Google

tem grammaticis instituunt, adiutores quatuor, quibus duo tirones adduntur. in Puriasonẽnsi item quindecim; Sacerdotes sex, tres litterarum studiosi, e quorum numero Sacerdotes duo cum fratre, grammaticam iuuentuti tradunt; sex coadiutores. in Barcinonensi triginta, Sacerdotes duodecim, quorum duo S. Thomam interpetrantur; ijs dant operam discipuli octo; iuuantur decem adiutoribus. In Balearico viginti septem; Sacerdotes tredecim, studijs dedi quatuor: ex vtrorunque numero vnus philosophiae, quatuor grammaticae Magistri; coadiutores decem. In Domo Probationis Tarraconensi vnus, & quadraginta; decem Sacerdotes, e quibus vnus est tiro; quatuor, cursu studiorum peracto, tertio anno in Tirocinio se exercent; coadiutores quinque: reliqui nouicij. E vita excessere nouem: in eorum locum suffecti tres, & viginti.

DOMVS PROFESSA Valentina.

VALENTIAE in professorum domo obijt P. Martinus Alberro, Cantaber septuagenarius. vixit in Societate annis quadraginta, magna sanctimoniae opinione. vir fuit contemplationis studio apprime deditus: vt extrema aetate, per aliquot annos magnam noctis partem in oranda Deo poneret. sui admodum despiciens: vsque eo, vt omnibus ad abiectissima quaeque se demittendi exemplo esset. Eius candorem sinceritatemq. animi, tum alia multa, Deo admirabiliter probante, tum illud in primis testatur, quod constat, diuinam matrem,

Digitized by Google

matrem, cuius ille fuit amantissimus, ter sese ei visendam praebuisse. singulari praeterea fuit aduersus Eucharistiam reuerentia: atque ad illius conspectum multas horas quotidie consumere assuetus: magna animi alacritate ad labores, confessionum praesertim audiendarum, inopum maxime, & scholasticorum, quorum ad solam Franciscanorum familiam eius consilijs plus centum accessere. his manipulis onustus, affecta iam aetate, gliscente vi morborum multorum, quibus vexabatur, multis editis patientiae documentis, ex humanis excessit. Huius iacturam resarsit e primaria huius vrbis nobilitate vir clarissimus amplissimis honoribus perfunctus, aetate quidem sexagenarius, sed tamen firmis in vegeto corpore viribus: qui mortua sine liberis vxore, sacris initiatus posthabito decem millium aureorum annuo reditu, nomen Societati dedit. Tantum ille beneficium optimo, sanctissimoq. parenti nostro Ignatio accepium refert. cui in Italiam iterum nauiganti, Valentiae patrem suum benigne feciisse narrabat: quatuor etiam illi aureos, ad transmarinam nauigationem in Palaestinam eleemosinam dedisse: quos intercluſa nauigatione, sibi testabatur esse redditos: admiratum clarissimum senem sanctissimi viri virtutem, eiusdem postea alumnos, cum Valentiam venissent, quoad vixit, (vixit autem annos duodeuiginti) semper in honore habuisse; atque omnibus eximiae caritatis officijs prosequutum esse. is nunc, vt paternarum opum, ac dignitatis; ita etiam pietatis haeres, ac beneuolentiae erga nos, seipsum perpetuo Dei famulatu, ad illius, quem semper pie coluit, familiam adiunxit. Ex alijs, qui in hac domo versati sunt, varij varia nostrae Societatis

munera de more obiere. Concionum, confessionum audiendarum, aliarumq. exercitationum labores non sunt, quae speciem habent quandam nouitatis. illa tantum breui perstringam. Duo de nostris Sacerdotibus ieiunij verni tempore duobus in praecipuis vrbis templis conciones habuere. Mulieres famosae duae à flagitioso viuendi genere abductae. Nostrorum opera, concordia inter moniales, quae grauiter dissidebant inter sese, constituta; & ad praesidium suorum obbedientiam familia tota reuocata. Iureconsultus non ignobilis grauj morbo se subito liberatum profitetur precibus nostri Sacerdotis. accersierat ille confessionis caussa in periculo constitutus patrem, cuius susp iciebat sanctitatem: facta confessione, rogat, vt pro sua incolumitate preces faciat. fecit ille accurate, neque irritae fuere. aegroto haud multo post somnus obrepit, quo nocte tota quieuit in matutinum. inde fatigati spiritus ea quiete recreati in totius corporis membra salubritatem diffudere. diluculo experrectus, sensit aeger omni se prorsus molestia leuatum. Deoq. gratias agens, confestim rem totam P. *Praeposito gratulabundus exposuit. Apparet interdum admirabilis diuina prouidentia in ferenda egentibus ope in ipso temporis articulo. Duorum animae e nosocomio exissent e corporibus nullo munitae sacramento, ac fortasse miseranda tartari praeda, nisi in ipso tempore noster ijs sacerdos subuenisset. is aegrotos decumbentes inuisens, adolescentulum duodecim annorum reperit agentem animam, ab omnibus desertum; & quod illa fortasse contemneretur aetas, nullo adhuc dignatum sacramento. huic statim, quantum necessario, angustioq. tempore potuit, oportunam tulit opem, qua miser*

adiutus

adiutus expirauit. Idem Sacerdos dum pergit hospitalem domum obire, feminam offendit, quae iam ad extrema vitae deuenerat. erat haec ex iis, qui ex Mahometanorum colluuie Christiani recentes appellantur. Et quod id genus homines nunquam sincere confiteri existimentur, Sacerdos nullus eam poenitentiae sacramento dignabatur: sed tanquam putida canis iacens, ab omnibus despiciebatur. miseram tot malis oppressam noster Sacerdos alloquitur; periculum proponit; ad veram hortatur poenitentiam; docet, quid tali tempore facto opus sit. infelix mulier non grauate initio salutaria monita accipere: mox etiam libenti animo amplecti: ad extremum multa cum pietate totius vitae confessionem pertexere. tantaq. illam Deus sui diuini spiritus copia confirmauit; vt soluta criminibus, viuifico Christi corpore percepto, extremo inuncta oleo, ad vltimum vsque spiritum multa verae pietatis signa dederit. Laudanda diuina bonitas, quae hominum ita rebus moderatur; vt quae fortuita illi esse putent, illius exequendae diuinae voluntati adiumento fitit: admirabiliq. rerum dispositione eos, quos sibi delegit, ab extremis eruit periculis: Sed sunt euenta alia cognitu non indigna. Impia quidam corruptissimi hominis consuetudine adductus, nefarias verborum conceptiones edidicerat; quibus beelzebub, aliosq. nefarios daemones eliceret, & in sua teneret potestate. Sed, vt sunt à natura religione hominum imbuti animi, licet ab ea deflexerint, ad impietatem tamen minus audacter proiecti, siue suae culpae cogitatione, siue facinoris horrore, ita diu, noctuq. angebatur animo, vt non menti solum, sed iam paene oculis ei horrendae species obuersa-

reuitur. diuina & hic clementia adiutus in ipso morbo medicinam inuenit: territus eis monstris nostrum adit Sacerdotem, rem ei totam patefacit. ille coelestis agni effigie, & lustralis aquae aspersione adhibita, monet, vt Dei matris nomen subinde inuocet. nec frustra: his enim lustrationibus omnis abacta tartari potestas est. Molestus quidam interpellator, quacunque obuiam obsonatorem nostrum habuisset, vt sunt petulantes homines ad diuicitatem prompti, maledica loquacitate obganniens, auaritiam, & auiditatem nostris obiectabat. idq. homini procaci eo erat procliuius, quod ob nostri mansuetudinem impune se facere laetabatur. erat emptori familiaritas illa non amica, & perpetuus, tanquam ab emissario assiduo metus imminens. sed diuina bonitas, & molestia nostrum, & illam nequitia liberauit. Illius vxor in grauem incidit morbum: sacerdos erat adhibendus ad confessionem: illae e nostris vnus forte pertransibat: dubitat aliquandiu, an hunc accersat, quod eum sibi minus propicium existimabat. facit tandem sibi animos, ac frontem perfricat, rogat, vt sibi tali tempore opem ferat. obsequitur noster magna comitate; hominiq. cumulatissime satisfecit: ille modestiam, & caritatem admiratus, cuius antea seueritatem extimuerat, ita repente mutatus est, vt venia petita suae contumaciae, contumelias in laudes commutarit. ita noster frater laetus Deo grates agit, quod sibi liceat vrbe tota, sine vlla molestia, sua eum erumena commeare. Ducebantur Mahometani duo ad supplicium, ob mentitam Religionem flammis comburendi, magister, & discipulus: magna illa doctrinae opinione inter suos; & ob eam rem pertinacissimos.

is tan-

le tandem prope sub ipsum patibulum, vehementi, opportunaq. omni è nostris opera manus dedit: antequam collo laqueum induceret, generalem peragit confessionem: tantaq. copia divina gratia in illi infunditur; ut magna constantia teterrimam sectam magna voce detestatus, crucem supplex amplecteretur; & pie Iesum identidem ingeminans, supplicium subiret. Hic circumfusa multitudo gaudio exultans, Sacerdotem nostrum humeris sublatum defert ad discipulum: qui rei gestae seriem edoctus, magistri & ipse sequutus exemplum, iisdem vestigiis per momentaneam mortem aeternam sibi vitam conquisiuit. in quo sane non mediocriter laudanda est divina bonitas, quae tali temporis articulo, homines ante perditissimos, desperatissimosq. ex ipsis Erebi faucibus extraxit. ita enim est id genus hominum futile, ac mobili ingenio, ut vix quemquam reperias, cui recte divina mysteria credantur: ita vero in sua pertinacia haerentes, ut etiam deprehensi, & admoniti, aut nunquam, aut raro resipiscant: ut non nisi peculiari divinae misericordiae beneficio tantum divinae firmitudinis iis datum sit, breui ut illa temporis usura omni inconstantiae periculo defungerentur. Pertinet ad divinam bonitatem erga nos magnam de Societate esse omnium hominum opinionem. Archiepiscopus enim cum Regis mandato in eam caussam vehementer incumberet; ut qui nuper ex alienis sectis ad baptismum venerunt, in fide, quoad eius fieri posset, confirmarentur ex omnibus religiosis nostros potissimum sibi delegit, quorum consilio vtatur. Quaestores quoque caussarum fidei nostrorum opera multum vtuntur. Dynastia sunte dissonis quidā lustraturus, duos è nostris sic

gitauit; qui concionibus habendis, & audiendis confessionibus, egregiam ipsius popularibus nauarunt operam. Duo sunt in hac domo externarum hominum sodalicia: nobiliorum vnum, quod à spiritu sancto nomen habet; opificum alterum. illud trecentos septuaginta quinque homines inopes aere alieno obrutos nexu liberauit. Idem feminas quatuor sustentat, quae in nosocomio periculose aegrotantibus cibum ipsae parant suis manibus, feminas vero, tum decumbentes, tum de nouo aduenientes inuisunt; sordes eluunt, vngues exsecant, squalorem, illuuiemq. perpurgant; cum viris ipsi, amotis feminis, haec munera obeunt. Nec minus, quam in egentibus opera iuuandis, etiam in fastu, humanaq. gloria despicienda se praebent studiosos. ex ijs clarissima quidam stirpe natus, grauiore verbo lacessitus, non leuiter quidem initio commotus est: cum tamen ipsius animum subisset sodalitatis cogitatio, non modo eam contumeliam erecto tulit animo, sed etiam aequissimo remisit. Altera vero sodalitas extremo Bacchanalium die, cum ingens sodalium numerus mane ad sacram mensam accessissent, totum diem cum reliquis sodalibus in templo pijs exercitationibus traduxerunt: quo tempore magna populi, & ad rem nouam confluentis multitudine, frequentes à nostris habiti sermones audiebantur peritiente. Templi aedificatio superiore anno instituta bene procedit: duae. ob eam rem domus bis mille, & centum quinquaginta aureis coemptae: ad emendas aliae eiusdem non mediocri pecuniae decreuit summam, quibus solo aequatis ad templi frontem illustrandam spatiosa area aperietur. Matronae tres millenos aureos singulae nobis testamento legarunt. alia

ad

ad pensilem argenteum lychnuchum centum. auctus praeterea sacer ornatu non mediocriter, benignitate aliorum.

COLLEGIVM Valentinum.

QVO minor Collegialibus Valentinis exercendae in externos caritatis occasio datur, eo suae ab uno quoque salutis suscepta cura major est. omnes parentis nostri meditationibus concepta pietatis vota renouarunt. Discipuli praecipue studiosam suae ipsius despicientiae aemulationem susceperunt; detrita, & lacera veste cum pauperibus stipem corrogantes. Parthenia sodalitas, iam pridem licet instituta, hoc anno tamen, suam formam primum videtur accepisse, distributis, quibus ipsa regatur muneribus, ordinatis officijs, exercitationibusq. nam antea Academiae fere formam tantum habuerat. Ita utriusq. generis functiones partiti sunt. diebus festis matutina tempora pijs exercitationibus, pomeridiana litterarijs insumunt. & sane cum fructu res vtraque procedit. multi iam religiosam vitam sunt amplexi: ex ijsq. sex ad nostrum ordinem se contulere. Auctum Collegij vectigal rusticis praedijs aliquot, reddituq. praeterea annuorum aureorum quingentorum. Accessere hi Collegio ex haereditate honesti viri, qui aliquot ante annis seipsum Societati addixit. quanquam in praesens ad certam diem, in pios vsus erogantur: postea in vsus Collegij cessuri. domicilio item cubicula non nulla accesere.

COL-

COLLEGIVM Gandiense.

GANDIENSE Collegium cum rebus alijs multis, tum praecipue laetissimis pretiosissimisq. donis auctum. Neapoli ex usque Italia nobis à Sacerdote nostro procuratis. Sed praecipue, Bibliothecam ille exquisitorum, selectorumq. librorum multitudine complevit. aram templi maximam S. Sebastiani, Collegij, & Vrbis patroni effigie pereleganti exornauit. sacrarium quoque magni pretij ornamentis multis instruxit. Quod ad opus attinet, excursiones aliquot in vicina loca fructu non caruere. Sacerdos cum comite ieiunij magni diebus circumpositos vicos peragrauit. quo tempore antemeridianis horis concionibus, pomeridianis pijs colloquutionibus vicanos ad vitae emendationem, & Christiani hominis officia hortabatur, tanta cum ipsorum admiratione, vt diffusa de illo fama certatim incolae ad ipsum, & visendum, & audiendum excitaret. Dianijs quoque, vnde maximam nostrorum vectigalium partem percipimus, de more subuentum est. Tres eo de nostris sacris hebdomadae sanctae, & Paschae diebus profecti, catechismum quotidie in foro, conciones in templo habuerunt. quibus tum inuolutorum animos ad confessionem, aliaq. sacra mysteria & obeunda, & frequentanda permouerunt; vt, qui antea à nobis essent alieniores, magna nobiscum gratia reconciliati sint. Marchionis Terrae nouae rogatu duo de nostris Sacerdotibus ad ipsius opida profecti, magnos labores pertulere. Vix enim ab antelucanis

horis

horis in maximam diei partem requies dabatur vtla confessionibus generalibus audiendis, reconciliandis dissidentibus, concionibus habendis, & Christiana doctrina explicanda. Sacro Dominici aduentus tempore opidani omnes ex quatuor opidis, paucis omnino demptis, confessionis sacramento, & sacrosancta sese Eucharistia expiarunt. inde prauae consuetudines multae emendatae, pacificationes factae, à graui diuturnaq. pectandi consuetudine aliqui reuocati honestam viuendi rationem inierunt. creber denique sacramentorum vsus antea in locis illis non ignotus modo, sed etiam inauditus, per omnia illa opida diuina fauente ope inductus: ijq. diuinae pietatis igniculi succensi, quibus magnum excitatam iri diuini amoris incendium speramus.

COLLEGIVM Barcinonense.

BARCINONE modica quamuis, aliquam tamen pecunia, nacti Collegij reditus. Ruinae templi quaedam reparatae, ac per eam occasionem extructa cubicula quaedam Collegio, & nula gymnasio litterarijs exercitationibus peropportuna. verum ea impensa magnam rei familiaris attulit difficultatem, quam non facile expediremus, nisi Serenissimus Albertus Cardinalis Patriae Gubernator, per Aragoniae Admirallium certior factus, nobis opem tulisset. nam pecuniam bene magnam, quam deponi Barcinone iusserat, nobis assignauit: quae res tum inopiam nostrem leuauit, tum diuinam prouidentiam, & Serenissimi

simi Principis liberalitatem, & beneuolentiam erga nos non obscure declarauit. Praeter quotidianos, visitatosq. concionum, & confessionum fructus, cum Quadragesimae tempore vnus è nostris in templo maximo ad concionem verba faceret, meretrices duae, mater, & filia, quae toti nobilitati erant exitio, magno cum ciuitatis bono, magnaq. laetitia magistratuum, ex infami vita se ad honestam viuendi rationem recepere. Sponsiones quaedam pecuniarum fieri solent in ciuitate: in quas cautiones quaedam irrepserant iniustae: eae per vnum è nostris rescissae sunt; & ingens pecunia iustis dominis restituta. Idem consultus à magistratibus de noua quadam negotiandi ratione, quam mercatorum cupiditas excogitauerat, cum, aut iniustam, aut valde periculosam esse demonstrasset, ea sublata tota est. Triremes huc appulsae tantam aegrotorum multitudinem exposuerant, vt eorum curandis, neque animis, neque corporibus ministri publici satis essent. accurrere Collegij Sacerdotes omnes, eamq. subleuarunt indigentiam; expiatosq. à criminibus ad trecentos caelesti pane refrearunt. Non caruit fructu Parthenia sodalitas. decem enim è suorum alumnorum numero varijs Monachorum Religionibus addixit. Auletanus Episcopus quadragenarij ieiunij diebus sacerdotes duos è nostris impetrauit; quorum alter haberet conciones, alter aliorum spiritalium ministeriorum illi comes adderetur. Vtriusque opera, gratia inter multos reconciliata est: concubinatus aliquot disiuncti: mulierculae quatuor, quarum duae, quasi diaboli proxenetides non suo contentae, aliarum etiam interitum moliebantur, infami lucro eas cum amatoribus conciliando, ad ho-

nam

nam frugem reuocatae. Itum est in Pyreneos montes rogata Episcopi Vrgelitani, nostri ordinis apprime studiosi, vbi inter aspera montium, syluarumq. recessus, efferatos hominum mores, & agrestem, solutamq. viuendi licentiam repererunt. sed constitit laboris fructus. in montanis opidis sex, tria hominum millia, peccata confessione expiarunt, & quidem vitae totius trecenti. Ingens hominum numerus, post inueterata multorum annorum odia, in mutuos amplexus conuenere: & plerique palam ad exemplum. inter hos parens, & natus reconciliati: quos inter implacabile paene odium exarserat. duo item nobiles, & opulenti ad pacem adducti, quorum inimicitiae inexpiabiles multos alios in partes pertrahebant. Iniusta alienae dignitati labes aspersa erat: persuasum est detractoribus, (& ij vigintiquinque fuere.) vt se reuocarent: ita omnis prorsus macula delecta. Foenora multa prohibita, & pecunia ijs, qui damno affecti essent, restituta. impediti etiam abortus; & earum, quae flagitio conceperant, famae consultum. Harum rerum fama dissipata opida excitabat vniuersa ad eos, quocumque venissent, honorifice excipiendos. In vno tantum opido variatum est. Nam primo aduentu tristiorem aliquanto rerum condicionem experti sunt: voluit siquidem diuina bonitas, in medio secundarum rerum cursu, illorum excitare patientiam; vt inter tot officiosae caritatis obsequia, tàm illis honorifica, asperitatis aliquid, & incommodi dumtaxat degustarent. Nam cum eo venerunt, nulla laetitiae, nulla hospitalitatis, aut vllius obuiae voluntatis signa. in Xenodochium diuertunt. at illud ita erat aegrotis refertum; vt ne vnus quidem nostris

angulus

Digitized by Google

angulus vacaret. ergo concedunt in implouium. ibi duabus fermè horis sedent subdiu, consilij prorsus expertes, diuinae prouidentiae opem expectantes: & iam nocte imminente, frigus illos perurgebat, cum ccce tibi Episcopi Vicarius de ipsorum aduentu certior factus, eo se confert, domum suam honorifice deducit; habetq. apud se liberaliter. At postquam semel, & iterum, & in templo, & in foro ad multitudinem dixere; ij facti sunt motus animorum, vt confitentium multitudine obruerentur. Itaque communi consilio publice miserunt, qui suam inhumanitatem excusarent: enixeq. flagitarent, vt diutius aliquando apud se diuersarentur: compensaturos nouis officijs, & pietatis fructibus primi diei inhospitalitatem. Sed imminente iam hieme; corrumpentibus itinera niuibus, quae decidebant, illorum votis satisfieri non potuit. In reditu à pio, & locuplete viro humanissime excepti, totam ipsius familiam (capita fuere quadraginta, tum viri, tum feminae) ea nocte confessione expiarunt; & sub auroram, antequam discederent, coelesti pane recrearunt.

COLLEGIVM Cæsarauguſtanum.

CAESARAVGVSTAE in aede maxima solenni ieiunij tempore vnus è nostris conciones habuit, pari doctrinae, & pietatis opinione. earum concionum hi fructus exstitere. male parta pecunia iustis dominis reddita: pellicatus aliqui matrimonio iusto commutati: à quaestu corporis abductae, & in tuto collocatae non nullae: in ijs ad-

uena

nana mulier generis nobilitatem florentis abusu aetatis fedauerat, haec praecipue Archiepiscopi auctoritate, homini locupleti, qui cum plures annos consueuerat, nostri Sacerdotis opera erepta, ad honestatem reuocata est: conquisitaq. dote, honesto matrimonio collocata. Alia praeterea per facios alios feliciter diuina ope procurata. Graue vulnus viro primario per iniuriam inflictum erat, corporis incommodum animo magnum attulit emolumentum: siquidem facta cum Sacerdote nostro confessione peccatorum, Christiani magis officij, quam inanis vulgi existimationis amans, non ipse tantum iniuriam inimico condonauit; sed propinquis etiam ad vltionem paratis, vt omnem simultatem deponerent, persuasit. Primarios viros duos controuersia de possessione pecuniae in mutuam pernicicm armauerat: hi ad concordiam nostrorum opera reuocati. Repressum etiam ingens dissidium, quod inter magistratus de iurisdictione oriebatur. Ad rem familiarem, sacramq. non nulla accessere. Villatica domus dimidio amplius laxata est. Illustris comes fuit Sastaguensis, vir non modo generis nobilitate clarus; sed qui etiam domestica ornamenta religione, & litteris illustrauerit. eius haeres vir primarius D. Blasius de Alagone iam pridem apud nos nobilissimam eius Bibliothecam deposuerat. cuius donationem superiore anno P. Rector iustis de caussis constanter recusauerat. hic magno cum bonorum omnium maerore moritur repentino. resignato testamento, inuenimur librorum omnium haeredes. ita quod cum laude recusauerammus, vltro sine vlla, aut rei, aut existimationis iactura ad nos rediit: ea tribus millibus aureorum aestimatur: sed multo pluris rei nobilitate, & opportuni-

portunitate aestimanda. nulla enim collegio, in quo doctrina tractentur, & litterae optabilior fortuna est, quàm nobilium copia librorum. Digna viri pietas, & beneuolentia erga nos, quae pijs ad Deum precibus, sacrificijsq. memoria colatur sempiterna. Et, quando in hoc sermone versamur, pauca de scholis, scholasticisq. expediam. Instituta superiore anno de causſis conscientiae schola, publico licet ciuitatis gymnasio tumultuante, cursum tamen suum tenet. Scholae tantum tempus, pacis retinendae causſa, postulante ciuitate, in horam aliam nobis opportuniorem commutatum. Plures sunt in hoc Collegio Congregationes; quarum quae scholasticis constat, in tres Classes tribuitur, Theologorum, Philosophorum, & Grammaticorum. omnes, & numero, & fructu pietatis in dies augentur. Christo laus. Acceſsit praeterea ad templum, & ad arae principis ornatum, ingens tabula, magnifico elegantiq. artificio, mille sumptu aureorum perfecta: triplex item sacellum (ita enim scribunt) absolutum: sacrum quoque instrumentum quadringentorum aureorum sumptu locupletatum. Dioecesim lustraturus Archiepiscopus è nostris sacerdotibus laboris socios sibi duos delegit: qui confeſsionibus excipiendis populorum animos ad sacram Iubilei indulgentiam, diuinaq. mysteria de manu Principis Pastoris percipienda praepararent. Ingens fuit, & supra, quam credi posſit maior, ad confeſsionem venientium concursus: à viginti enim milliarijs multi venerunt. ipsi pecudum pastores è syluis, & saltibus, relicto pecore animi sui pabula quaesitum confluxerunt. Generalium confeſsionum numerus initus non est, sed tamus fuit aliarum numerus, vt ad partem

operis

operis alij Sacerdotes aduocandi fuerint. ipsoq. trium mensium spatio Praesul ipse sex hominum millia caelesti pane cibauerit. Inductum sacramentorum usus, offensae condonatae, multa domino reddita, compressae peccandi occasiones: tanta denique rerum facta mutatio; vt vir grauis diocesim obire assuetus, testetur, se loca eadem inuenire: sed alia iam prorsus hominum ingenia. Assuuerat longo iam tempore quidam magnorum consuetudini flagitiorum; quaedam tamen eluscbant in eo signa pietatis. nam, & concioni libenter intererat, & non nulla Dei mat rem colebat pietate. Deo tamen interiore instinctu ipsius animum subinde excitanti pertinaci peccandi voluntate resistebat: soloq. diuini verbi auditu contentus, frumentum sine radice super petra natum, ne à nefaria peccandi dulcedine auelleretur, sacramentorum detrectabat medicinam. Sed magna diuini eloquij, etiam in pertinacibus vis est. Semen enim per aures in animum transfusum, sensim lapidu duritiam coepit emollire, & hominem sollicitum habere. reluctabatur inueterata consuetudo, & animus malo assuetus, non libenter à nota, familiariq. voluptate abscedebat. cumq. anceps metuum inter, & cupiditatem in contrarias curas traheretur; sensit per noctem, quasi circunuoluto angue fauces sibi comprimi, vocemq. ad aures allabi: Ni matures animorum medicas adire, ipsius causa caelitus illuc delatos, ab iisq. medicinam quaerere; breui futurum, vt miseranda morte flagitiosam vitam finiat. tali perculsus ostento horrescit, Deiparaeq. ope quod ei non nunquam familiare erat, implorata, vbi primum diluxit, ad demonstrata sibi noctu praesidia confugit.

COLLEGIVM Turnonense.

TVRNONE migrarunt è vita frater vnus, domesticarum rerum administer, vt firmo corpore laboris indefessi, ita in morbo exemplum patientiae; & P. Petrus Fraduc Collegij Rector, domo Valentinus, nobis, ciuitatiq. vniuersae magno sui desiderio relicto; tres & triginta circiter annos laudabiliter egerat in Societate. Sodales Congregationis, & Franciscani solenni ritu in nostro Templo Missae sacro peracto ei iusta persoluerunt. Ceterum de Societatis integritate, & doctrina tanta est in his locis opinio; vt praeclare secum actum putent, qui assequi potuerunt, nostro vt alicui Sacerdoti animi plagas nudauerint. cuius rei caussa non Aragones modo; sed etiam Nauarrei à multis milliarijs ad nos veniunt. & sane quantum profitiant non est poenitendum; quod potest ex vnius, aut alterius exemplo coniici. Quidam enim amicis benigne fecerat, à quibus pro beneficijs contumeliam recoperat, verbis ab iis male acceptus. quod ille non modo patienter tulit, sed vltro etiam contumelias nouo beneficio cumulauit. Nam cum ingrati illius amici in difficultatem incidissent; hic consilio confessarij eos, à quibus laesus erat, adiuit vltro; & rursus commodata illis pecunia illorum ingratum animum redarguit. Alter graui irritatus iniuria, eum, à quo laesus erat, longe in agro dormientem reperit; omniq. prorsus vi ab illo abstinuit: tantum nudato mucrone dormientem excitauit. is repentino periculo oppressus, inimici

minici tantum bonitate seruamus, quid Christianum deceret hominem aperte inuehere, & vicissim inimico de inuectiua illata abunde satisfacere.

Scholarum fructus in breuitate quidem declarauimus, quatuor exhibet dialogi: quorum uno excepto est Carolus Aragonius eius Balbastrensis Episcopus, cuius urbes collegium beneficia extant, & multa, & magna: in pietate vero lectissimi Parthenias sodalitatis adolescentes respondunt in dies. Est hoc anno primum Romanae sodalitati aggregata: quo factum est, vt eo impensius in Christianae pietatis officia exercenda incubuerint inter quae illud etiam susceperunt, per vrbem pecuniam ut erogent, qua leuarent inopia pauperum studiosorum. Beatam virginem non in virtutum modo, sed in litterarum etiam studio patronam colunt: id quod eorum vnus indicauit, is cum ad examen, quod stato tempore fieri solet, ut mox diximus, praeuerso, omnium opinionem, & se, & condiscipulos omnes, magna admiratione respondendo superasset, id totum diuinae matris patrocinio, cui se studiose commendauerat, acceptum retulit. Ex his quatuor magnae spei adolescentes ad nostrum Societatem, ad alias religiones alij se conuertere. Alias enim me candare, & vt iniquam reliqua, expeditionis non vulgaris, vt flos erumpens virgo surrisse, sic nobis immatura morte praereptus est. is Caesaraugustam studiorum caussa profectus, pestifera febre correptus, sacramentis omnibus munitus inter nostri sacerdotis manus purissimam animam emisit. qui constantis virtutis, & in ipsa morte, documenta dedit, cum molles fratris lacrymas exstingueret; & multo ante in discessu è domesticis laribus matris lacrymabundae, cum aliqua ipsius

maerore oſculum repulit à ſeſe, quod muliebrium quamuis maternum acceſſum ſuae iam aetati parum conuenire aſſeueraret. & quidem iam ante conſtanter affirmauerat, ſe non amplius domum rediturum, ſiue quod vitae ſibi praeſagiret finem; ſiue quod aliquid diuini conſilij aleret in pectore. & nunc multo feliciore, quam ſibi propoſuerat, vita perfruitur. Hi tenellae adhuc congregationis fructus. Eſt, & altera virorum inſtituta. haec Beatum Ioſephum ſibi delegit tutelarem; & iam quadraginta numerat viros, omnium ordinum honeſtiſſimos. hi ſacris obeundis myſterijs, aegrotis inuiſendis, addictis nexu liberandis optimum quenque ad eadem Chriſtianae pietatis excitant officia.

Extra vrbem in quoddam Nauarrae opidum, inteſtinis diſſidijs ruinae proximum, vocatus ſacerdos è noſtris magno labore turbas ingentes ſedauit. quae populum prope vniuerſum in mutuam perniciem incenderant: crimina, querimoniae, & iniuriae ad multos pertinebant. itaque alij vinculis exempti; alijs vt falſa teſtimonia reuocarent; pecunia alijs vt ſatisfacerent; alijs, vt accepta vulnera condonarent; omnibus, vt conſtituta iam periculoſa lite cederent, perſuaſum. Reditum eodem iterum; iraeq. mulierum praeſertim, quae vltra humanum modum exarſerant, magna contentione reſtinctae. Neque vero inter has turbas cura neglecta catechiſmi; doctiq. non vrbani ſolum, & indigenae; ſed etiam qui ex Mahometana colluuione nuper baptizati ſunt. verſutum genus hominum, & fallax; & in quo non multa ſigna cernas probitatis. non omnis tamen in ijs edocendis opera abijcitur. audiunt enim non inuiti quo-

aetate

ætate sunt adulti: quam alte eorum animis insideant audita, non facile dispicias. infantes sequuntur quocunque velis: vorant, quae traduntur: retinent omnia fideliter, inculcant alijs, redduntq; multa cum alacritate. Inductus inter eos iam rosariorum vsus. & cum in quodam eorum vico templi angustiae vix mediam eorum partem continerent, datur opera, vt alterum laxius exaedificetur. quam ad rem suam ipsi promptam pollicentur operam. atque interim, dum materia conuehitur, curatum est, vt diebus festis duo sacra celebrentur, vt bipartito possint omnes interesse. His rebus, externoq. apparatu, spes est fieri posse, vt illa penitus infixa Alcorani execranda reuerentia, ex eorum animis sensim euellatur.

Addă extremo loco impudentem teterrimi hostis in misero circumueniendo adolescente versutiam: documentum quantas illi vires addat religionis negligentia: quamq. sit efficax ad diuinam clementiam flectendam honestum aliquod, vel vnius probae actionis studium constanter retinere. Susceperat inops adolescens alendam aegrotam propinquam suam: eiq. stipem per vicina opida, vicosq; mendicando, victum comparabat. lustrauerat forte opidum totum, ac ne vnum quidem obolum collegerat, egreditur inde iratus, atque instigatus furijs, genibus positis, quam contentissima voce infernos daemones omnes ad se quamprimum viuentem in tartara abripiendum prouocat. Adiungit se illi paullo post ignoti hominis specie è tartaro adrepens infaustus comes: cum eo sermonem conserit: inter loquendum omnia ipsius vitae facta non secus, ac si illi comes fuisset individuus, exponit: addit demum: Grata mihi tua familiaritas est!

in primis quod triennio tota, neque sacrum unquam audisti, neque sacerdoti peccata confessus es: neque tibi solennis est ingredi templa propiciando Deo. Propinquam nam lecto decumbentem ago prisinae reddam valetudini: tu modo mihi dicto audiens sis, atque, vt dictis fidem facerat, in proceram arborem situs ascendit, indeq. se praecipitat: idq. iterum, & saepius facit nullo damno, improuidus adolescens tartareo intus veneno infectus, extemplo, spectaris stupefactus, facile capitur, rosarium, & caream agni mystici effigiem, eo iubente, obijcit, atque proculcat. Enim vero gaudens Sathanas, praedamq. praeceptam sibi gratulari, in eo eundem, si quando templorum tecta subissent, nullum crucis signum, nulla lustralis aquae aspersio, religionis indicium nullum. Siqus forte peccata confiterentur, addebat veterator se omnia audire; sed omnia audendi interclusam esse potestatem, his, aliisq. modis, quos longum esset recensere, nequam hostis miserum hominem per omnia impietatis genera circumduxit, vnum ei flagitium persuadere non potuit, castitatem vt polluerat: quam ille in tanta impietate (mirum dictu) non modo re, sed ne cogitatione quidem ad eam diem imminuerat. hanc igitur sodalitatem recusanti Stygius satelles dexterum femur attigit leuiter; stigmaq. cum acri dolore, quasi ferri candentis impressit. Iam ipsum amica cum inuitaret ad flagitium suis vestibus nudauerat; eaq. sibi malus induerat; prioreq. flagitio frustratus, ad flagitiorum omnium maximum descendit. iubet impudens vecordem adolescentem, vt erat vndo corpore, genu posito, sibi manus osculari; & impia temeritate se tanquam Deum adorare. paruit hactenus insanus, iubet rursus manci-

patum

patum sibi miserum Dei religionem, Deiparaeq. cultum abiurare. hic verò pauidus, imperium abnuere: horrore nefas. Nondum es igitur, dirus inquit Tyrannus, meus totus: neque te mihi penitus, & ex animo tradidisti? veruntamen animi tui salus deplorata est. quantum vis peccata sacerdotibus confitearis: neque veniae iam suppetit spes vlla. Hae machinae ad arcem illam religionis giurandae expugnandam à scelerato adhibebantur, vt ex veniae desperatione minus extremum illud scelus, quod reformidabat, perhorresceret. Tu, si recte sapis inquit, solitudines sequutus, hominum consortia vitaueris. hanc pestiferam doctrinam magister mendacissimus obtrusit imperito. is vero vsque eo fuit amens, vt ne sic quidem diabolicas insidias agnosceret: sed sceleratum comitem, & nequissimum quendam impostorem esse existimaret, multiscium, vaferrimum, ac maleficiorum omnium peritissimum, hominem tamen, nec supra humanum captum illius excedere naturam. Recipit demum à scelerato duce vestes: quibus indutus, mirum in modum se grauari sensit, auxit admirationem, quod breui tempore longa itinera nulla defatigatione confecit. Iam aliquot praeterierant dies, cum misero mali comitis grauis esse coepit importuna familiaritas. itaque eam sui, tetraeq. consuetudinis pertaesus, maeroris, & anxietatis plenus, patria, aegrotaq. relicta, quam nequissimus medicus adhuc sanare non poterat, errore, vagaq. traducere vitam in animum induxit. Ir eo errore Turiasonem peruenit; quem dum extra moenia vir pius tristem, lacrymantemq. conspexisset, seu causam maeroris ederatus, seu de diuinitus permotus, in vt ad nostrum Collegium

glium veniret auctor fuit ; vbi contra quam initio statuerat, omnem vaferrimi insidiatoris telam vni è sacerdotibus retexuit . docetur , importunum illum comitem humana specie diabolum fuisse . cohorruit ille subito rei tam tetrae pauore perculsus ; ac vix sui compos credere reformidabat . mox resumpto paullatim animo , mutata voluntate , peccata confitetur : rosárioq. & cerea sacri agni imagine munitus , contra vaferrimi hostis insidias, voto religionis susceptо , liber dimißus est.

COLLEGIVM Bilbilitanum.

BILBILITANAE scholae , quas superior annus aperuit , fructus ferunt in dies vberiores . earum initium factum est à comoedia , cui Ioseph Patriarcha nomen dedit : apparatus dignitatem habuit : actorum etiam elegantia laudata . quae res , & famam collegio conciliauit , & auxit frequentiam . Congregatio Reginae Angelorum suis laetatur incrementis : ea duos nobis dedit bonae spei adolescentes ; quorum alter egregium fuit constantis animi exemplum . Conceperat is iam à prima aetate Societatis nostrae sequendae votum . suspiciosus pater rem subodoratus , adolescentem à studijs abduxit ad mercaturam ; eiusq. rei causſa Caesaraugustam mittit : in his motibus hic se Societatis votis obstringit : neque ita multo post precibus extorquet à patre studia repetendi facultatem . Bilbilim venit , vbi dum excolitur , curae committitur sagacis pedagogi , qui eius rei causſa alebatur à patre ; vt à filij latere nunquam discederet .

Digitized by Google

loret. hic, Argo ipso vigilantior patrem certiorem facit, filij de religione studium non modo non consenuisse; sed in dies magis, magisq. augeri. tristis pater simulato corporis morbo litteras scribit ad filium illecebrarum plenas; quibus tamen pro imperio filio mandat, vt ad se veniat, eiusq. rei vir grauis, & religiosus internuncius fuit. Datur negotium reducendi in patriam adolescentis homini perito, & callido: sed sagittae fuere paruulorum: adolescens enim, cognita patris simulatione & ipse suis artibus instructus, sagacissimi hominis elusit artem: & ex ipso itinere, admirabili modo, decepto duce, per occulta itinerum compendia Valentiam flexit; ac dum eius custos, missis circunquaque qui iuuenis vestigia perquirerent, confusus haeret; ipse à P. Prouinciali summis precibus contendit; vt se ad tirocinium admitteret. dantur ea de re ad patrem litterae, quibus ei potestas fieret, si vellet, filium reuocandi. is, seu dolore, seu mutata voluntate, cum nihil respondisset; adolescens tandem voti compos factus est. Duae missiones ex hoc collegio perutiles fuere: quarum fructus, quoniam aliarum similes, ac proinde magni aestimandi sunt, satietatis vitandae caussa omittuntur.

DOMVS PROBATIONIS Tarraconensis:

TARRACONENSIS probationis domus hoc anno tandem, quod diu in votis fuerat, suos tirones excepit: quos Caesaraugustanum Collegium iam ante sexdecim annis aluerat. magnae

bernam: homines etiam collocauit, qui nec obedientes in carcerem pertraherent. hanc rem improbus caupo indigne tulit; & sacerdotem nostrum cum comite à concione reuertentem infesto animo adortus, conuicio quidem, & truculento vultu terrere conatus est: sed nihil ausus vltra minas, conatu irrito discessit. His alijsq. rebus permultis vniuersa ciuitas permota eundem in insequentem annum flagitauit.

COLLEGIVM Balearicum.

IN Collegio Balearico inter viuos esse desiit P. Petrus à Turre, spiritualis formatus coadiutor, vir religiosa simplicitate, & animi tranquillitate tanta; vt omnis perturbationis expers videri posset: indefesso in animorum salutem laborandi studio; vt pridie, quam è vita vocaretur, (is fuit dies sacrosanctae Eucharistiae solemni memoriae dicatus) contra vim morbi contendens, antemeridianum tempus totum audiendis confessionibus posuerit: ingrauescente postmodum vi morbi, vix antequam occubuit, lecto decubuit; sex & viginti ipsos annos magna cum laude in Societate vixerat, è quibus duos & viginti in hac maiori Baleari magna cum vtilitate incolarum transegerat, quibus egregie perfunctus, incertum maius ne nobis, an ciuitati vniuersae desiderium reliquerit. Iam P. Visitatoris ad nos aduentus quantas vtilitates omnibus attulerit, renouatum de sua cuiusq. religione omnium studium testatur. conciones idem habuit ad ciues, magna expectatione,

ita

ita de illius in dicendo vehementia dissipata fa ma tantam frequentiam concitauit ; vt occupandis | sedibus multi duabus horis solis ortum anteuerterent . Habitae etiam quadragenario ieiunio conciones in templo S. Eulaliae , quod è praecipuis est huius regni templis amplitudine , & celebritate . Nostrorum consilio repressa prorogis iussu impudens , & solito licentior Bacchantium audacia . Catechismus duobus in locis in vrbe cum fructu explicatur. Scholae frequentem , & selectam habent iuuentutem , sed qui praecipuo se studio Dei matris colendae dediderunt; ij, praeter ceteros, vita , & moribus excellunt ; dicae eos ad religiosam vitam educari ; tam multi se variis familijs dicarunt . duo in nostram Societatem sunt allecti . Addita est altera sodalitas item Deiparae dicata , virorum aliorum . Antistes nostri ordinis amantissimus, ipso die Circunciſionis Christi sacro in templo nostro , veteri ipsius consuetudine concionem habuit , eodemq. die Regni totius Visitator à Rege missus apparatu maximo sacrificauit praesentibus Prorege , Consulibus , & primae nobilitatis viris permultis . Porro ciues suae liberalitatis erga nos egregia dedere documenta : nam de aere contracto aliena , & collegij angustijs admoniti, cum quisque pro sua facultate contulisset quadringentorum circiter aureorum summa collecta , nostrae indigentiae magnum leuamentum . Excurrere in vicina opida duo plenariae promulgandae indulgentiae ; quae res ita omnium animos exciuit ; vt Alcudiae , in quod primum opidum ventum est , nemo fuerit , qui poenitentiae sacramento animum non expiarit ; & quidem ab admissis à primis annis criminibus exorsi multi : iniu-

sta

sus pecunias possessione, redhibitione facta, ultroque sese submouere: perrimacos maiorum imprecandi studium, gratiasq. reconcilia-
re: nouasq. maiorum mentes fouere: ut cognitionem si-
bi de Collegio priuatim
do susceperint.



Digitized by Google

PROVINCIA SARDINIA.

SARDINIA Prouincia Socios numerat in tribus Collegijs degentes cētum, & septendecim. in Sassaritano quadraginta quatuor, in Callaritano, totidem, vnde triginta in Vallecclefiensi, si septendecim nouicij adnumerentur; ad horum numerum accedant oportet, qui in Algarensi quarto huius insulae collegio versantur; quos quoniam eorum numerus perscriptus non est, ad reliquorum adiungere non potuimus. Vnus excessit è vita: quatuor ad nostrum admissi instituti.

COLLEGIVM Sassaritanum.

SASSARIS multorum benevolentia reconciliata, multiq. à flagitiose viuendo revocati, pelliceſq. ad honestatem traductae, Sed curata in primis pecunia opera nostrorum, qua cibo egentes in carcere recrearentur; pauperum virginum tegretur nuditas, earumdemq. pudicitiae consulere-

tur:

tur; neque intermissa interim catechismi explicatio in portis, xenodochio, carcere, magno cum multorum bono. Femina prius impudica, repentino matris interitu perculsa, & sacerdotis nostri monitis in lacrymas, & turpis vitae detestationem effusa, magna omnium probatione, in suscepto honeste viuendi consilio persistit. feminae infelici nex ob violatum coniugium, à fratre, consanguineisq, parabatur, haec diligenti viri optimi opera, clam periculo subducta, ad vrbem è pago, vbi habitabat, atque ad confessionem adducta, à confessario edocta tuto nunc in loco collocata honeste viuit. propinqui porro, qui illi erant infesti, ita à sacerdote nostro pijs monitis adiuti; vt & miserae erratum condonarint; & peccata confessione ipsi deleuerint. Vnius è nostris sacerdotis opera virgo perpetuae, obstricta voto castitatis, ab irreparabili damno reuocata, eiusq. consilijs instructa, parta iam animi tranquillitate perfruitur. Itum est extra vrbem varios in pagos: multae totius vitae, multorum item annorum confessiones exceptae: duo à suscepto consilio sui cuiusque interficiendi inimici reuocati. Foeda quaedam superstitio circa feminas puerperas, & aegrotos decumbentes, quae multorum erat causa malorum, è loco quodam sublata: pellices à multis amandatae: furto sublata multa suis dominis reddita.

COLLEGIVM Algarense.

IN Algarensi Collegio necesse non est ea, quae nota sunt iterare. Scholarum frequentia, & Partho-

Parthenia sodalitas in dies augentur. Aedicul. ad sacra facienda, qua carueramus adhuc, exstructa est; ad eius aedificationem pij viri centum aureos contulere.

COLLEGIVM Calaritanum.

EGREGIE nauarunt operam nostri Calaritani, concionibus, confessionibus, & excursionibus: cum interim scholarum exercitationes maxime viguerint. Verno ieiunio multis in locis conciones habitae sane frequentes, non otiosae, aut fructu vacuae fuere, in templo maximo, in suburbijs omnibus, ad coenobia monialium, in alijs vrbis Ecclesiis; cum tamen per idem tempus festis diebus nostri templi concio nihilo redderetur infrequentior. Doctrinam praeterea Christianam quatuor in locis in vrbe explicarunt. Harum rerum fructus illi fuerunt. multi ad melioremi vitam reuocati: tres è libidinum coeno emersere: magna pecuniae summa iustis possessoribus reddita; magnorum virorum inimicitiae à grauibus iniurijs profectae, sublatae sunt. Religiosus sui desertor instituti ex ignoto solo in hanc insulam ipse ignotus, tanquam in asylum, concesserat: vixeratq. annos quadraginta; è quibus acto, & triginta irrito, sacrilegoq. in matrimonio traduxerat. rem vnus è nostris odoratus, operam dedit, vt miserae, deceptaeq. concubitu relicto, ad male desertum rediret institutum. Concubinarijs, qui pecuniae inopia nuptias celebrare, ac matrimonium contrahere non poterant; virginibus, quae ob paupertatem

Digitized by Google

nubendi spem abiecerant, aliisq. aliorum generum hominibus indigentibus latae suppetiae. Pagi multi à nostris obiti, excitatiq. pagani ad cultum pietatis: multae, ac multorum annorum confessiones exceptae: sacris aris, locis quibusdam proprius decor restitutus. Insignis fuit in suo munere sacerdotis vnius industria, qui quadragesimae tempore ad eum populum, quo missus erat, tres vniuscuiusque hebdomadae dies concionibus habendis, reliquos totos audiendis confessionibus, sabbathum rorogandis, erogandisq. eleemosinis insumebat, quam ad rem alios quoque ex eodem populo hortabatur: quo factum est, vt tantum pecuniae cogeretur; vt non modo nuditati pauperum, qui in illo populo essent; sed plurimorum egestati sufficeret abunde. ac ne illius discessu pium opus intermitteretur, institutum est, vt pium eius loci sodalicium totius rei procurationem susciperet. Scholae, & litteris, & pietate floruerunt. Multae à Rhetoricae studiosis habitae orationes magno canonicorum, aliorumq. nobilium virorum concursu; inter quos bis, terue Episcopus Alensis interfuit. bis etiam Prorex, cum Marchione Sorrensi, & magno proceerum comitatu, semel orante filio Comitis Laconensis Rhetoricae per id tempus studioso: iterum cum fuit scholis initium faciisset philosophiae professor. vtraque actio digna tanta tam insignium virorum corona iudicata. Drama etiam non inelegans de Proregis aduentu theatro datum. confluente ad spectandum ciuitate vniuersa. Minorum sodalitas hoc anno est Romanae aggregata. ea tota fere scholarum nobilitas nomen dedit. speramus magnum ad hanc iuuentutem in pietate continendam adiumentum allaturam.

COL-

COLLEGIVM Vallecclesiense.


IN Vallecclesiensi Collegio diem suum obijt P. Gauinus Campus, qui tertium tirocinij annum repetierat. documentum efficax, omnibus horis esse vigilandum. noctu siquidem, nihil minus cogitans, repentino è faucibus sanguinis profluuio suffocatus. Profuere illi scilicet religiose acta vita, repetita per id tempus prope à rudimentis, pietatis studia, & integerrima Societatis disciplina; qua nemo vnquam tam videtur à cogitanda morte alienus, quin satis ad illam excipiendam sit paratus. Quae ad visitata, & solennia hoc anno in vineae domini cultura acceßerunt, parua quidem semina videri possunt; sed segetem speramus prolatura dignam opera. Inopes pueri puellaeq. ad ianuam eleemosinam petitum veniunt non paruo numero. hi, vt Christianae doctrinae rudimenta doceantur, vni è domesticis negotium datum est. res belle procedit: miseri illi rudes, & egentes Christiani hominis officium edocti, & sibi, & alijs sui similibus vtilitati deinceps esse poterunt. quae res, quam sit frugifera, sentiunt ij saepius, qui audiendis rudium confessionibus dant operam. Eius rei causa scholarum discipulos per vrbis plateas binos incedentes agmine praemittimus, doctrinae Christianae carmen decantantes. hos celebrioribus in locis subsistere iubemus: ibiq. ad circunfusam multitudinem, alioſq. eo confluentes catechismi praecepta explicare: vt quibus templum adire graue est, minore cum taedio aspersa illa,

quasi curiosae specie voluptatis, discendi molestiam vorent non inuiti. quo fit, vt patres, matresq. familias rei spectaculo permoti, filiolos, quamuis interdum maerentes, & inuitos, minis, conuiciisq. castigatos, imperio adigant ad nostrorum puerorum agmen consequendum; vt vna cum ceteris, Christianis rudimentis imbuantur. Fouebit idem, qui haec in dies noua excitat studia, omnium parens Deus. Sodalicium scholasticorum B. Virgini dicatum in dies augetur: illud vero agricolarum, & tenuiorum maiora capit in dies incrementa. Flagrant sodales hominum ad eam pietatem adiungendorum studio. ita diebus festis, cum conueniunt singuli, singulos comites secum conantur adducere. quo factum est; vt breui tempore sodalium numerus congeminauerit. Singulis mensibus primo quoque Dominico die sacra mysteria frequentant. Dominicis singulis vesperas decantant, quas Litaniae sequuntur, catechismus Litanias. Famosum carmen in quosdam nulla ipsorum dignitatis habita ratione, passim per ora vulgi ferebatur. res erat insigni ignominia, & magna diuini numinis offensione. in eam licentiam noster Sacerdos in concione inuectus est: lege lata cautum est, nequis ausit in posterum carmen illud effutire. ita non paruum ciuitatis dedecus restinctum est. Multorum item in pago quodam odia restincta, animiq. ad concordiam reducti.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA BETICA.



ABET Prouincia Betica domicilijs quindecim socios quadringentos quadraginta duos: Sacerdotes centum octoginta duos, coadiutores cẽtum septuaginta quatuor, diuersarum disciplinarum studiosos, vnum supra sexaginta; nouicios vigintiquinque, duodeuiginti scholares, septem coadiutores futuros. In professa domo Hispalensi sexaginta sex, Sacerdotes triginta quatuor, coadiutores triginta duos; in Collegio eiusdem Ciuitatis, ad S. Ermigildi septuaginta vnum: Sacerdotes viginti quatuor, studijs addictos viginti sex, coadiutores viginti vnum: in Collegio angelicano in eadem vrbe decem, quinque Sacerdotes, coadiutores totidem: in Cordubensi Collegio vndesexaginta; Sacerdotes viginti sex, auditores septendecim; sexdecim coadiutores: in Granatensi quinquaginta sex; Sacerdotes vnum, & viginti, vndecim discipulos, coadiutores viginti quatuor: in Montellano vnum, & quinquaginta; Sacerdotes tredecim, auditorem vnum, coadiutores duodecim, nouicios viginti quinque: in Baeçano sexdecim; sacerdotes octo,

Digitized by Google

totidem coadiutores: in Marcenensi, & Xerensi, quinos denos, septenos sacerdotes, coadiutores octonos: in Malacensi viginti quatuor, undecim sacerdotes, totidem coadiutores, auditores duos: in Triguerensi viginti, sacerdotes septem, scholares duos, undecim coadiutores: in Gaditano septem, sacerdotes tres, coadiutores quatuor: in Astigitano duodecim, sacerdotes sex, discipulos duos, quatuor coadiutores: in Casorlano tredecim, sacerdotes sex, coadiutores septem: in Vbedano septem, sacerdotes quatuor, coadiutores tres. Et vita excessere tredecim, sacerdotes octo, fratres quinque, admissi in Societatem viginti.

DOMVS PROFESSA Hispalensis.

PRAETER visitata, quotidianaq. Societatis munia, quibus Hispali ab ijs, qui in professa domo degunt, Christiana res promouatur, duo praecipue capitali supplicio puniendi egregie nostrorum opera adiuti sunt: quorum alter vndecim hominum caedis damnatus vsque eo fuit religionis contemptor, vt in ipso ignominiosae, & acerbae mortis limine constitutus, amarulento etiam, impioq. sermone de sua salute iracunde, consumacitereq. iocaretur; nam, vt aliquam de animae salute curam susciperet, admonitus. Quam, malum, inquit, aliam suscipiam, quam vt in praeruptis montis vertice lacerata, vel Deo, vel diabolo abripiendam relinquam? Nimirum animus in omnem audaciam proiectus, desperatione adactus, ijs, quibus assuetus erat furijs, agitabatur magna vis

vit esse, maioris, maior diuinae miserationis bonitas. me hanc quidem tam proteruam contumaciam aspernatur est. hominem in ea desperatione, aestuq. iracundiae constitutum sacerdos è nostri allequitur: suaue admonet salutis, vt paenitentia, & peccatorum expiatione ad mortem excipiendam se comparet, hortatur. surdis auribus auditur: redit saepius: expugnat tandem peruicax ingenium: duodeuiginti annis collecta sanies exsecto animae vlcere detergitur. sanitateq. recepta, tanta illico mentis mutatio facta est, vt Praetorem, Iudicemq. qui se morti addixerint; apparitorem, qui comprehenderit; ipsum carnificem, qui se interimeret, coelesti gloria dignos, vel hoc vno merito iudicaret, quod se hominem tam sceleratum extremo supplicio addixissent. ipsum vero sacerdotem nostrum multo magis, qui sa ad spem veniae, perennisq. vitae consequendae excitasset. Alter ingenio praefereti, manu promptus rixis, ac caedibus gliscens, comprehensus, damnatusq. vegnita supplicij de se sumendi sententia, maiore, quàm prior vesania, & furore percitus omnia de salute monita reijciebat, vsque eo, vt per summam impietatem identidem illud diuinam vltionem minitantibus opprobraret: posse nihil apud se esse, Deus peccata sibi ignosceret, nec ne. adesse & huic iam contumaci, & praefracto diuina miseratio. nostri accersitur sacerdos: saepius exulceratum animum pertentat: maiore vi indignationeq. repellitur; non tamen ideirco diuina causa deseritur. conuertunt ad precem se nostri: Deum orant obduratum animum emolliat, obstinatum flectat ad pietatem, auditae in coelo preces: fracta praeferocis hominis contumacia, pertinaciq. illi spiritus expugnati, ipse ad mansuetu-

dinem condocefactus, maturo consilio, nostro ad se venienti sacerdoti admissas vitae maculas confessione expurgauit. Solet idem sacerdos praeterea frequens adire carcerem, quo sontium, & flagitiosorum ingens multitudo, tanquam in totius prouinciae sentinam congeritur. hinc inter profligatas perditorum ingenia abiectissimae condicionis, despectissimaeq. sortis homines tot quotidie flagitia, turbae, rixae cooriuntur, quot non facile in tota reliqua ciuitate. datu est opera per nostrum; vt quo ad eius fieri potest, obuiam id genus incommodis eatur. illudq. in primis, vt scorta vitro sese perditorum hominum libidini impudenter obtrudentia, accessu prohibeantur. Congregatio nobilium pauperibus nexui addictis iuuandis instituta, maiora capit in dies incrementa, & multitudine, & pietate. & hoc ipso anno plus bis mille homines, omni humana ope destitutos, nexu liberarunt. Caecis circunfusam in compitis multitudinem, stipis mendicandae caussa, cantu oblectare suetis persuasum, vt pro inanibus, ac lasciuis pias cantiones modulentur. Ex triremibus quoque collecti fructus. Mancipia quatuor è Mauris remigio capta à Mahomete ad Christum conuersi, nobisq. in fide instruendi traditi, magna celebritate baptizati sunt. Vemio ad domestica. Peristylio domus interiori, superioribus annis incohato, vltima manus accessit, cubiculis additis nostrorum habitationi, domesticisq. vsibus percommodis. Sacrum q. instrumentum auctum. Paucis morbo tentatis, coadiutores duo decessere: Alphonsus de Montauro Astigitanus, & Antonius de Galuez hic viridi quidem adhuc iuuenta, sed virtute, silentij, & regularum obseruantia cum senibus compa-

comparandus; ille aetatis, probitatisq. maturae: & qui annos triginta Collegio Gaditano à primis ipsius initijs inseruierat. vir magna animi tranquillitate, & rei domesticae frugi administer.

COLLEGIVM Hispalense.

IN Collegio Hispalensi cum multi tertiana laborauerint, vnus tantum frater immatura morte praereptus, ob egregias animi dotes omnium perculit animos; vt semoti in suo quisque recessu, attentiore studio aliquandiu se diuinis meditationibus exercuerint. Fuit, & illud studio nostris fratribus diebus festis, vt vrbis vicos, & plateas obirent, circunforaneos, desidesq. ac tenuem plebeculum, quae passim otiosa in angulis, & compitis feriatur, ad templum rei diuinae causa compellerent. acciditq. aliquando, vt à contumace, & ingrato hominum vnus ex ijs verbis male acciperetur; qui statim in genua prouolutus obiurgantis pedes osculatus, veniam petijt siquid temere fecisset, cum asperi hominis pudore, & probatione aliorum. Scholae discipulos circiter mille numerant, è quibus Partheniani pietate, & doctrina praestant ceteris: ita vt non Hispalensi solum; sed Hispanicae iuuentuti vniuersae, & exemplo, & ornamento esse possint. Diuina mysteria Dominicis festisq. diebus, in sacello virgini Annunciatae dicato percipiunt: diebusq. Virgini sacris, vesperinas etiam preces symphoniace decantant, cohonestante sua praesentia nonnunquam eorum cetum Illustrissimo Roderico Cardinali de Castro Archiepiscopo

piscopo Hispalensi: accedente etiam ab aliquo de nostris habita concione. Est illud etiam institutum, vt quo tempore sodalium Praefectus, veteran. officia deligenda sunt, oblato ante philosophicae, aut Theologiae Theses quotidie disputandae proponantur. Catechismi sodalitas maiores in dies habet accessiones: incedunt per vrbem honesti viri nudato capite, demissis oculis, magna cum aliorum probatione, & admiratione simul doctrinae Christianae rudimenta decantantes: & senes sanctè venerandi, immisti pueris, ephebisq. lectioni sacrae, catechismi explicationibus, comitionibusq. quae teneraе aetati instituendae habentur, interfunt. Bacchanales verò dies, cetera multitudine in lusus, lasciuiamq. soluta, ipsi in templo, prolato Sacro sancto Christi corpore in precibus insumunt. Ciuitas vniuersa de nobis bene mereri non cessat; nam praeter auctam sacram supellectilem, bibliothecam, & villam priuatorum liberalitate, mutua sex aureorum millia in quatuor annos ciuitas ad absoluendum gymnasii aedificium gratuita dedit.

COLLEGIVM Anglicanum Hispalense.

DE Anglicano Collegio, non ita pridem instituto quaecunque scribenda occurrunt, ea qualia qualia sunt, necesse est rei nouitate magna esse videantur: alumni numerantur sexaginta; quatuor profecti sunt in Angliam, Romam duo; aliqui Vallisoletum, duo item cum Hispanica classe missi sunt. Horum locum optimae spei adolescentes

lescentes decem nuper ex Anglia delati supplenerunt. ex ijs unus decimumquintum agens annum, nobili genere, indole nobiliore, quo tutius ex infesta haereſi patria diſcederet, in famulatum ſe negotiatoris dedit; multiſq. laboribus in mari profunctus, naui cham elapſus, huc tandem appulſus, in tutum ſe recepit. Audomaropoli clara Belgarum ciuitate, Angli tres adoleſcentes genere, ingenio, & litteris praeſtantes, Anglicani Seminarij nomine, quod eſt in ea Ciuitate, legationem obiere ad Regem primum, qui tunc Mantuae Carpentanorum degebat: inde Hiſpalim ad Illuſtriſſimum Cardinalem Archiepiſcopum, alioſq. Primores regni gratias de ſuſcepto ſuae gentis patrocinio agentes, excepti vbique magno gratia, & gratulatione: orationibus Graece, & Latine, adſtricta, & ſoluto ſermone ad omnes habuere: multaq. eum Societatis laude, quae eam fouendam iuuenturem ſuſcepit, ad collegium dimiſſi. Ex alumnis ſex, abſolutis philoſophiae ſtudijs, ad ſacrum Presbiteratus ordinem promoti ſunt ab Antiſtite, Cordubenſi, Antonio Capata; qui, vt fuam, & erga Societatem, & erga Anglos adoleſcentes propenſam voluntatem teſtaretur; eos domi noſtrae magno cum benevolentiae initiauit: eoſq. ille ipſo die prandio excepit: atq. ipſi Collegio aureos centum donauit. Epiſcopus quoque Cuſquienſis Antonius Raya eidem Collegio trecentos aureos annuos aſſignauit: nec deſunt eleemoſinae copioſae, quas ſpectata probitas, & virtus alumnorum ſubinde elicit. quae res eſt eo magis admiratione digna, cum hoc tempore Hiſpani omnes, praecipue vero Hiſpalenſes Anglis infeſtiſſimis hoſtibus vtantur. mira tamen eſt omnium ordinum in tam le-

ctam

ctam iuuentutem beneuolentia; incredibiliq. studio omnes homines eos, eorumq. res omnes prosequuntur. Christi natalem diem multis diuersorum generum carminibus celebrarunt, excitato Bethleemitici praesepis simulacro: ad illud inuisendum multi confluxere; sed ex prima nobilitate, ipse Illustrissimus Cardinalis, Illustrissimus Dux Alcalae, & Tariphae Marchio cum germano fratre, Pliegi comes idem Praetor Hispalensis, Cusquiensis Episcopus, Regij Senatus Hispalensis Regens, & Granatensis Electus: qui omnes cum diuersis temporibus venissent, concentu musico, orationibus, versibusq. septem, octoue linguis conscriptis, ab alumnis excepti sunt. magnam tantu alumnorum peritia, & industria laudem apud omnes consequuta est; vt Illustrissimus Cardinalis earum scriptionum omnium exemplum sibi postularit. Iidem clari viri non eo spectaculo solum contenti, intra intimos aedium recessus penetrarunt; lustratisq. rebus omnibus, mire delectati sunt, tam numerosa, tantoq. opere doctrinae studijs dedita iuuentute; tenuem etiam Collegij supellectilem, sed apte composita omnia demirati. Fauit tam bonae iuuentuti etiam diuina prouidentia; nam cum morbi molesti grauesq. vrbem infestarent, multiq. ijs mortales absumerentur; pauci admodum ex ijs, ijq. leuiter tentati breui conualuere: domicilij laxitudine, secundum Deum, in primis adiuuante. Et licèt omnes pietate, & doctrina ad Anglicanam expeditionem se comparent; qui tamen sunt sacerdotes, tantisper dum praelij tempus; exspectatur, arma fidei non patiuntur hebescere sed in velitationibus, & quasi spiritalis belli preludijs exacuunt; adeunt enim triremes, carcerem, uin-

moc

mos hospitales, in quibus Angli, aut attinentur, aut diuersantur: cum ijs agunt de rebus ad fidem pertinentibus, lapsos erigunt, confirmant imbecilles, stantes corroborant: & iam ad quinquaginta à fide aberrantes ad Catholicam Ecclesiam aggregarunt, multi praeterea, eorum opera, totius vitae labes confessione expurgarunt: catechismo etiam instructi, ad refellenda, si quando in eis inciderint, haereticorum argumenta. addita ijs etiam instructio, qua ratione tuto possint inter haereticos versari: tradita iisdem quoque confitendi methodus: omniaq. haec telorum genera ab optimis alumnis suae genti comparata. Speramus diuina ope ex tam bono, taniq. bene culto solo, tam nobilibus plantis consito, ingentem bonarum frugum vim in horreum Domini conditum iri,

COLLEGIVM Cordubense:

CORDVBAE auctus arae ornatus duplici peripetasmate, Phrygij operis, aestimatione scutatorum mille, & ducentorum. Exemptus quidam dira daemonis tyrannide. ingenti hic calamitate premebatur, qua, vt se liberaret, vnum, quem vellet ipse, è digitis cum daemone pacisceitur. ita nescit saeuissimus hostis adumbrata haec, quae videntur bona, sine malitiae suae veneno cum hominibus communicare. paenituit statim miserum facinoris admissi, fedusq. nefarium reuocauit: ad pristinam eius egestatem, famemq. ac maerorem accessere etiam horrendae species, terroresque. semel & iterum misero tartareae manus fauces constringuni,

gunt, angunt: iamq. cum suffocassent, ni miser invocato Iesu infestum spectrum abegisset. extemplo sacerdos è nostris adhibitus excepta peccatorum confessione, salutaribus monitis aduersus tartareos impetus instructum hominem in tutam animi restituit tranquillitatem. Quingentorum aureorum summam alius nostrorum consilio restituit. Mulierculae quatuor, concione de Magdalenae poenitentia à flagitiosa vita ad paenitentis imitationem traductae sunt; & nunc aduersus impuros insidiatores sancta pertinacia armatae, malunt inopiae incommoda, quam peccati subire turpitudinem. Episcopus Cordubensis suam erga nos humanitatem praecipue declarauit, cum festo Circunci-sionis die Collegium sua praesentia honestauit. exceptus est magno primum verfuum numero; deinde etiam conuiuio, & solita gratulatione. Scholae Ionae Prophetae historiam scenae dedere magno apparatu spectantibus eodem Antistite, & ciuitatis primioribus; tanta, & poetae, & actorum commendatione, vt maior optanda non fuerit. Discipulorum nostrorum virtus, & disciplina, (vt est Hispanica iuuentus ad modestiam, & probitatem sua sponte propensa) crescit in dies. eorum sex diuersas religiones susceperc, & in sua quisque cum laude perseuerat. Partheniani vero ea praebent doctrinae, & probitatis documenta; vt multi odore tantarum laudum illecti, ad eorum se cetum aggregare percupiant; & in ijs praecipuo Marchio de Estepa. Femina praeterea primarin idem suis liberis coepit ambire. ad reip. Christianae calamitates sublenandas institutum est, vt singulis mensibus dies vnus totus perpetuae supplicationi dicetur: quem diem sodales omnes per suos

quisque

quisque vices solent obire. Hactenus de vrbanis. Duo è nostris sacerdotibus Marianos montes pedibus peragrarunt, magno cum multorum opidorum bono: cum undique se homines ijs obuiam effunderent, paenitentiae imprimis studio vehementer insensi. fuitq. qui longum iter pedibus confeceriit. tantum, vt nostros homines audiret; ijsq. praeteritae vitae culpas confessione explicaret.

COLLEGIVM Granatense.

GRANATAE quanta sit de Societatis hominibus opinio, illud argumento est, quod crebro ab Archiepiscopo, Regijs Consiliarijs, Triumuiris capitalibus, reliquisq. optimatibus de rebus magnis consuluntur: ac praeter quotidiana, illud praecipuam habuit laudem ad omnem ciuitatem, quod è prima nobilitate ingentis animi vir ab obstinata, pertinacisq. sententia ad animi aequitatem, tranquillitatemq. diuina ope per nostros reuocatus est. quod eo fuit difficilius, quod rei capitalis damnatus, summam sibi fieri iniuriam arbitrabatur, ni absolueretur. erat hic interfectae vxoris reus; crimen tantum indicijs compertum, comprehensus subijcitur quaestioni; & vt erat valido corpore, animo praeferoci, viribus magis, quam conscientia fretus, omnem vim tormentorum validissime superauit; vt nihil eius confessione exprimi potuerit: indicijs tamen vrgentibus, ea multa affectus est, vt in triremibus militaret aere suo: si criminis species atrocitatem, poena admodum leui: finem eius animum, qui se haberi velit innocentem, plus iusto

iusto graui. itaque hac quoque se indignum clamans, dum se laqueis exuere contendit, magis induit. quaestus igitur iniusto se opprimi iudicio; nec damnari debuisse, cum conuictus non esset: datis supplicibus libellis, impetrat; vt denuo causa cognoscatur. cognoscitur; statuiturq. demum, quae indicia ad priorem damnationem, eadem satis magnam vim habere ad multam illi capitis irrogandam. ita homo miser, dum minus vitat, incidit in maximum malorum omnium. Quo animo vir contumax, & vehemens capitalem sententiam exceperit, quo odio in iudices exarserit, non est difficile coniicere; cum eos nullis testibus eam tulisse sententiam asseueraret. Adeunt hominem nostri; monent aequo animo se paret ad mortem excipiendam: desinat incursare Iudices; quos licet vt homines multa saepe fallant; Deum tamen ipsum humana omnia regentem, fallere nil posse; habere ipsum suam sibi testem conscientiam, plus, vtique ponderis, & apud animum suum, & apud Deum, quam publicae iudiciorum tabulae. humanaq. iura omnia habituram. mirum quanta sit hominis, tum facta mutatio; detegit tandem, quod quaestio exprimere non poterat: magna pietate priorem vitam detestatus, omnes tota aetate conceptas maculas vna eluit confessione; totumq. id, quod ei vitae datum est spatium, ad numen suis culpis propitiandum, omni studio, conatuq. contulit. nec sibi quidquam melius potuisse contingere affirmauit, ad veniam suorum delictorum impetrandam. vt miraretur ciuitas vniuersa tantam in tam feroci ingenio pietatem, apparebat siquidem diuinam in ipsius animum gratiam alte penetrasse, eosq. in ipso ciere motus, quibus contumaces illi fracti spiritus,

tus, expeditum ad Deum iter animo relinquerent. eam cum omnium admiratione ad extremum usque spiritum retinuit pietatem. Iam scholarum nostrarum discipuli quantos habeant ad virtutem processus vnum illud exemplo sit. egressum è gymnasio adolescentem ad occasum solis perfrictae frontis mulier adoritur, visitatisq. in eo genere blandiciis illius animum pellicere contendit. cohorruit ad nefariam vocem adolescens: instat scelerata, ac magis vrget; minitantemq. supplicium, atque abire properantem vi retinet; sed ad voces adolescentis, vicini accurrentes impudentem meretricem abegerunt. pergit ille domum ire: ecce tibi paullo post iterum eadem furia, cum altera sceleris eiusdem socia adolescentem abripiunt: os manu illi comprimunt, ne clamet, & vt erant abiecti pudoris; ita etiam ad facinus audaces, validae viribus, reluctantem trahunt, importuneq. diuexant. miser Iesu, & Mariae, quibus quotidie magna pietate supplicabat, ope implorata; superuentu demum praetereuntis hominis eripitur. Missus harpiarum vnguibus nouus Ioseph, ne iterum veniret in discrimen à liberatore suo impetrauit; vt se domum comitaretur, seruatusq. diuina ope è Babylonis incendio, laetus tanta victoria postridie grates caelestibus actum, laetitiam suam cum magistro, patribusq. alijs communicauit. Ad ornatum templi tum alia accessere, tum vmbella supra Eucharistiae sacrarum extenditur. ea ducentorum aureorum pretium excedunt. Ad templi fores absoluta sunt antepagmenta; quae & artificio, & dignitate non mediocriter probentur. Est in hoc tractu ciuitas Guadixidium Granata dissita millibus passuum ad quindecim, cuius ciues

alieniore animo antea à nobis erant. Hac ab Episcopo duo vocati sacerdotes, confessionibus audiendis, habendiq. concionibus omnium summorum infimorumq. animos sibi adiunxerunt. Dominicis diebus antemeridiano tempore euangelia, pomeridiano decalogi praecepta explicarunt; tanta frequentia, vt neminem alium, nisi nostros, differentem ad populum audire vellent. Simultates diuturnas sustulerunt multas: quod eo fuit difficilius, quod praeter ceteros harum regionum populos, Guadixienses se iactant bellicosissimos; summq. acceptae iniuriae, & concepti animo odij tenacissimi; stultaq. mortalium gloria, patriam suam Martis vrbem nominant; ac tantum non se Marte progenitos gloriantur. Mala apud eos inueterauerat consuetudo in matrimonijs iungendis: vt statim post primam in Ecclesia Sponsalium denunciationem, coniuges sine vlla religione matrimonij iure neglecto, contubernio eodem vterentur: tam impudentem praeuaricationem graui oratione pro concione nostri reprehenderunt: totumq. matrimonij ius copiose explicarunt. ita factum est, vt qui ea contumacia matrimonia inierant; solenni, Ecclesiastico q. ritu iungerentur. cautumq. est in posterum, neque eiusmodi fraus aduersus sacras leges committeretur. Est in eadem dioeceſi Baza vrbs nobilis, & collegiali Ecclesia insignis. hanc quoque horum fructuum compotem esse voluit Episcopus. Eo missi duo idem sacerdotes, cum primum concionem habere coepissent, tanto ad eos audiendos, matutino tempore, ac pomeridiano, concursu fiebant, vt peramplum templum multitudinem non caperet: valuisq. ac fenestris audiendi caussa insisterent: cum tamen eo vrbe aliae concionis es-

sent

sent eodem tempore. Bacchanalia hic magno luxu celebrabantur; in eam licentiam nostri inuecti sunt in concione: ex eo tempore nemo bacchari, aut per vrbem lasciuire ausus est. magna dicentis vis: magna item populi facilitas, & ingenia docilia ad pietatem: sed in primis diuina bonitas laudanda; cuius diuina vis hominum animis infusa, & eos effecit motus animorum, & tantos Christianae pietatis ardores excitauit. Nam fuit, qui audita concione una, compotoribus suis persuasit, vt quas opiparas dapes ad genialem competationem praeparauerant; ad inopes, & carcere inclusos abstemij transmitterent; illo etiam monito, quasi elogio adiecto; ita conuiuijs esse temperandum, vt caelesti conuiuio non excludamur. Erectum est etiam cultus eminentis, & calamistratae comae: vt propudium iam sit cirros, ac cinciunes alere comendo capiti. Sublata etiam leui quaque de vaussa irreligiosa iurandi consuetudo. Duo in ea vrbe se viri primarij male verbis acceperant. eorum alter irae impatiens, paulo post arrepto fuste, statuerat quacunque inimicum suum conueniret, in ipsum ignominiose odium suum effundere. cognouit illum in templo interesse concioni: & erat dies coenae Domini dicatus. templum vesano furore agitatus ingreditur: sed cum ob interfusam populi multitudinem ad inimicum peruadere non posset; cogitur interim, dum occasioni praestolatur, ingratus nostrum audire disputantem. cuius oratione ita sensim coepit emolescere, vt conceptum animo facinus detestatus, ad pacem inclinarit. ita, dimissa concione, honorifice compellat inimicum; dextram porrigit; amboq. reconciliatis animis, & ipse inter se condonatis offensis, & pecca-

torum confessione facta, cum Deo, in gratiam rediere. Alius, qui nulla conditione, neque precibus, neque pretio adduci poterat, vt inimico suo fratris necem octo ante annis illatam condonaret, audita paraſceues die de Christi doloribus, & nece iniquiſſima à noſtro concione, vltro iniuriam remiſit, ea dumtaxat condicione contentus, vt ſalutares hoſtias illius expiandis manibus curaret efferendas. Porro audiendarum confeſſionum tam continens, tamq. contenta fuit opera; vt cum ad multam noctem aſſiderent, diluculo rurſus ad opus idem euigilandum eſſet. quippe non vrbani ſolum, ſed ex circuniectis locis ad quindecim, & viginti paſſuum millia Baza diſtantibus confeſſionis cauſſa ad eos confluebant. In his perpetuis, grauibuſq. laboribus, quatuor menſes totos poſuerunt; quibus, alijſq. rebus, quae omittuntur, effectum eſt, vt ciuitas de Collegio, aut ſede aliqua Societati extruenda ſerio cogitare coeperit; & cauſſa eſſe videtur impetrandi.

COLLEGIVM Montellanum.

MONTELLAE migrauit è vita Gaſpar de Cauallare ſpectatae probitatis frater triginta plus annos pueros prima elementa magna patientia docuerat; quod ei temporis à labore, & pio operi ſupererat, fere in roſarijs conficiendis ponere ſolebat, quae poſtea pauperibus, ac peregrinis diſtribueret. opera, quo ad vixit, multis; vita functus ſuarum virtutum memoria nobis in primis profuit. Quod ad rem ſpiritualem attinet,

quotidiani

Digitized by Google

quotidiani conuentus ventitantium ad nos piorum colloquiorum causſa pomeridiano tempore non ceſſant. Nec pia defuit multorum liberalitas erga nos. quidam ducentos aureos dono dedit: alter peristroma ſericum B. Virginis altari exornando; alij alia, pro ſua quiſque facultate. Adoleſcentium, qui noſtras ſcholas frequentant, probitatem, ac virtutem piae teſtantur aſſiduaeq. exercitationes. quotidie una cum magiſtris in templo B. Virgini Angelicae ſalutationis offerunt coronam; ſtatis praeterea diebus feſtis ad Chriſtianae fidei rudimenta publice decantanda conueniunt: octauo quoque die multi confeſſione expiati ſacram menſam ineunt. Quadrageſima item multi ter, reliquo anni tempore bis quaque hebdomada religioſe ſtagris in ſe animaduertunt. ex ijs quatuor in Societatem admiſſi ſunt; ad alias ſe religiones ſeptem contulere: neque deſunt, qui hoc idem habeant in votis. Obiere alia opida varijs temporibus noſtri ſacerdotes; & quidem è magiſtris elementarijs vnus cum ſacerdote catechiſmi causſa ſtatis diebus vicina Montillae loca adiere, teneram aetatem Chriſtianae doctrinae rudimentis informando: quo factum eſt, vt multi filiolos ad nos itinere non longo Montillam mittant inſtruendos. Ad alia opida alij profecti, Montaluanum, & Pontem. In ijs Aduentum totum, & Quadrageſimam magno cum rei Chriſtianae emolumento ſacerdotes duo poſuerunt. Oaënae item opido alio omnium confeſſiones, & quidem multorum annorum plurimas, excepere. tantaq. circa Chriſti natalia, indicto Iubileo, poenitentium confluxit multitudo, vt in vna è ſex opidi parecijs ad mille homines ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſceperint. vnuſq. ſacerdos confeſſio-

nibus de tota vita ad septuaginta aureos dederit, ex quo, quid reliquis contigerit, conijci facile potest. Ibidem vestrorum suasu ab Duciss. meritorum diuersorium ex angiportu sublatum, in quo impudicae mulierculae prostabant.

BAEZANVM, ET MARCHENENSE Collegia.

BAEZAE è vetere in nouam domum commigratione facta, magna facta est accessio confluentium ad vos sacramentorum caussa tradita, etiam nobis magna ex parte publicae Academiae cura, quae prope nostras aedes sita est, magno bono iuuentutis. Duaequas sodalicia hic sunt instituta: vnum fabolae frequentantium, alterum epicurum: ex vtroque horum generum optimi quique delecti. Ciuitas propensae suae in nos voluntatis argumentum, perennis aquae vnciam in vsus domesticos collegio dedit. Orbata est prouincia humanissimo moderatore suo P. Christophoro Mendasio, qui in Baezano Collegio decessit. vir animi virtutum genere, tum maxime concinnandi vsumore insignis: non fucata, aut humano cumpto artificio, sed & sincera, & Euangelici plena spiritus oratione praeditus. Ad eius funus celebrandum clarus Religiosorum, familiae, atq. adeo ciuitas pene vniuersa conuenit.

MARCHENAE, comptae arcae, aliquot hortis primo quoque tempore contingentur. Corrogata est à vicinorum area, eleemosinae nomine, p frumenti, oleiq. magna vis: ex qua vis aliquot (mille nummos aureos id superabat) dissolutum est.

est. Iciunij maximi tempore illud in templo nostro seruatum, bis vt quaque hebdomada aliquid sub noctem è sacra veteri historia explicaretur; quae res tantopere hominum animos permouit; vt multi, ne fori angustijs excluderentur, horum illum anteuerterent; ac statim à prandio in templum se conferrent, sedem occupatum. Puerorum schola, quod ruinam minaretur, solo aequata, populi liberalitate restituta est.

COLLEGIVM Malacense.

OBIIT Malacae P. Ioannes de Cannar, vir, praeter ceteras virtutes, insigni etiam dono alios regendi praeditus, ob egregiam morum lenitatem, & rerum gerendarum vsum. quadraginta vixit annos in Societate: è quibus magnam partem in regendo versatus est. opinio, quae de viri sanctimonia habebatur, audita eius morte, vniuersam vrbem ad eius inuisendam cadauer concurrit. Clerus, Religiosaeq. familiae vbere ad eius funus celebrandum conuenere: vrbs nobilis Alphonso Turriano Malacensi Decano solemni ritu sacrum faciente, accidit q. circa eius obitum mirum res, neque his litteris indigna. Hic enim Malacensis Decanus, vir summae pietatis, officij caussa aegrotum P. Ioannem inuisit aliquando. rogat morti proximum, vt cum his vinculis emissus beatae Deum intuebitur, hanc sibi veniam à supremo numine impetret, vt vitae praesentis erepsulo emitteretur. suspicatus pater, ipsum non ibi serio, sed vsitata quorundam consuetudine, ad speciem iam

tum postulare, quaesuit, an serio id postularet; illiq. affirmanti, serio, se fore memorem promisit; dataq. fide animam emisit. Paucis diebus in febriculam Decanus incidit; inopinataq. celeriq. ac tantum non repentina morte praeripitur. Dissipata per urbem fama, Decanum P. Ioannis precibus mortem à Deo impetrasse; maiorem de utriusque viri sanctimonia opinionem apud omnes concitauit; vt multi frusta ex P. Ioannis veste, quae pro sanctis reliquijs haberent, dari sibi postularent. Sed illius innocentiam, studiumq; pietatis illud maxime declarauit, quod post illius mortem inter ipsius chirographa libellus inuentus est, in quem peculiare conscientiae suae examen retulerat, lineis, punctisq. de more dierum singulorum à trigima annis ad vsque purissimue vitae finem adnotatum. Ceteri, qui in hoc Collegio fuere, visitatis instituti nostri muneribus, egregiam rei Christianae operam nauarunt. Sed quotidianis, visitatisq. omissis, vnus peculiari Dei auxilio ab vtraque morte ereptus. Hic acceptae iniuriae dolore eo vsque insaniae processerat, vt laqueo sibi vitae cursum abrumpere statuerit. Verum qui dolore ita praeceps agebatur, non tamen omnem prorsus ex animo exuit religionem: sensit se intus diuinitus moneri; vt non ante in mortem se proijceret, quam animum peccatorum confessione expiaret. Adit vnum è nostris sacerdotibus; omnes conscientiae maculas putefacit; eoq. diuino remedio, quasi salutari pharmaco, veneno ejecto, & peccatorum labe, & insano illo furore liberatur. Auctus discipulorum numerus, aucta sacra supellex, & quae ad aram ornatum accessere, ea quingentis numis aureis aestimantur.

COL-

COLLEGIVM Gaditanum.

IN Gaditano Collegio scribendum fere nihil supetit, praeter miserandam Insulae totius, & ciuitatis direptionem, ruinarum iacturam, & grauissimos nostrorum labores, quos in ea calamitate adierunt. Cognitum erat aliquanto ante eam clodem Anglorum duces, qui classi praeerant, cogitare periculi magnitudo, rei magnitudinem cogitantibus, & suas magis, quam hostium vires aestimantibus contemnenda esse videbatur. itaque insulam omnem portum tutum magis, quam munitam, vrbemq. frequentem, & continentis circa loca militibus vacua, & à propugnatoribus destituta reliquerunt. nunquam tam vesanos hostes fatuos praedicantes, vt eo audaciae procederent, vem, vt tam arduam, tamq. ipsis periculosam attentarent: solum loci nomen, & gentis eos perculsurum: nihil horum hostibus erat ignotum, & quo magis se contemni sentiebant; eo maiore spe animos ad nos imparatos opprimendos erigebant. Res ijs cecidit ad votum. Mense Quinctili cum valida multarum nauium classe, securis nobis, & eorum conatus irridentibus superueniunt. Fit non Gaditibus solum, sed in omnes circa fines magna trepidatio. quidquid militum, armorumq. fuit vicinis in locis, repente in Insulam traijcitur. Xerensium in primis nobilitas, alijq. deinceps accurrunt. qui cum insulae toti defendendae impares essent, ad tuendum opidum consilium omne contulerunt. sed cum in vrbem ab omni commeatu imparatam venissent tanta

tanta erat annonae caritas, & rerum omnium inopia, cum longae obsidionis metu, quae quisque sibi priuatim comparasset, domestica custodia, clausa teneret; vt viri nobiles permulti ad nos venirent, panem dumtaxat, & frigidam postulatum. qui per nostros in tanto rerum discrimine constituti, pro nostra tenuitate cibis aduenti sunt, & spiritalibus monitis, sacramentisq. munitis. Interim hostium classe iam appropinquante, Dominus Gaditanus ad nos venit: orat, vt ex aedibus egressi propugnatores, qui presentibus, & subitae discessi erant ad dimicandum hortaremur; vsq. patriae, religionis, humanarum, sacrarumq. rerum omnium, vitae denique propriae defensionem abijceremus: non defuturum aduersus impiae religionis hostes è coelo auxilium; quod sibi nuper, à nostris factum est. Sed eum iam manus, & ferro opus esset; nec tuba inter arma inermis lingua versaretur; domum, ad diuinam implorandam opem rediere, prolatoq. à sacrario augustissimo Christi corpore, flagellationibus, supplicationibusq. Dei in primis auxilium, tum B. Virginis, sanctorumq. coelitum deprecationem expostulamus. Horis multis id genus supplicijs insumptis rursus egredimur, vrbem circumeuntes, hominesq. ad pietatem, diuinarumq. clementiam propitiandam cohortamur; aures contentibus praebemus ad vesperam. Cum in angusto res esset, & iam deplorata esset omnium defensio. Praeteris edicto omnes in arcem se recipere iubentur. tum Cassiuensis Episcopo comite, nostri arcem conscendunt. deserunt domi fratribus custodiae, consilio, cruento, hostium crudelitati relictis. Hostes vrbe potiti, rapinis, caedibus, incendijs omnia fadant. qui inuadunt in

nostram

strum domum, fratres, furiosi circumsistunt; ad-
motis sclopis mortem minantur, ni propere abdi-
tum indicent thesaurum. illi, quae domi essent,
omnia prompta ipsis esse; nihil omnino domi abdi-
tum, clausumq. teneri. tum hastis ira percitis,
alterum eorum reste suspendunt; ita tamen, ut
non cum praefocarent; sive, ut minus iracundo,
sive, ut in eius vitam crudelius saeuirent: vt, ut
est, diuino ille beneficio seruatur ineolumis. alte-
rum pugnis, calcibusq. primum male accipiunt.
Deorum Pontificis imaginem conspuendam discer-
pendamq. tradunt. constanter negat id illo se fa-
cturum. mox pulcherrimam Christi è cruce pen-
dentis effigiem malleo adhibito, iubent impij prae-
dones comminuere. detestatur ille magne animo,
tam horrendum facinus; illi ad motis iugulo mu-
ronibus, mortem, ni pareat minantur. Sit ani-
mo, inquit ille, vtroui patius, quam me tam scele-
rato piaculo obstringere. enim vero non vsque eo
fuere inhumani, vt miseri hominis nece furorem
suum explerent: vel certa diuina prouidentia
tum maluit adimere seruo martyrij aureola dona-
re, quam pugnis, ac fustibus tantum contudere.
ad vltimum vulneribus quinque in caput adactis,
quorum duo lethalia Chirurgi esse dicebant, dimi-
serunt. is postea in Xauerij Collegio post ingentes
cruciatus tolerantes, magna cum ipsorum admira-
tione, diuine tandem beneficio conualuit. Hostes
paulo modo domestica omnia euerrunt; sacram
complectuntur supellectilem, ornamenta domestica supel-
lectilem compilant: cubilia in primis omnes con-
scindunt, aurum, argentumue perscrutantes ve-
stes dissipant, vasa commiscent; quaeque sibi vsui
non esse videant, incendio, aut marinis fluctibus

bus corrumpunt; cum interim nostri sacerdotes in arce, audiendis confessionibus, fletibusq. dolentium sedandis, multitudine miserorum, solatio egentium obruerentur. immineba interea hostis, & aut fame, aut ferro illata mors in oculis versabatur: obsidionem acriter hostes perurgebant, qui ad cetera hostilia etiam illud adiecerunt: nullam esse aliam deditionis condicionem, nisi Iesuitis deditis: idq. iterum, & tertio praeconis voce pronunciari iusserunt; vt vel hinc appareat, quam inuisum sit omnibus Religionis hostibus Societatis nomen: quippe à nullo alio hominum genere, aut magis laeduntur, aut eorum conatus retardantur. Sed placuit diuinae bonitati miseram omnem illam multitudinem, tam foeda calamitate prohibere. Soluta enim obsidione hostes onusti praeda, discessere. Nos maesti, pauidiq. in vrbem opibus omnibus spoliatam, caedibus, cadaueribusq. inquinatam descendimus; collegiumq. qua flammis consumptum, qua fumo deturpatum repetimus. mobilia omnia, aut inde asportata, aut comminuta: nihil omnino integrum relictum. domus, è quarum pensionibus magna pars nostrorum vectigalium sustentabatur, aut solo aequatae, aut labefactatae ruinam minabantur. ita in quo Collegio antea octo sacerdotes, totidem fratres adiutores alebantur, aegre nunc dimidiatus eorum numerus versari potest: reliqui, in quibus aegroti aliqui, ad Xerense Collegium se recepere. Haec summa fere in communi clade nostrarum calamitatum. Anglorum classis postmodum, tempestate, disiecta, classiarios non nullos in haec littora eiecit, è quibus vnus graui pressus morbo, magno studio vltro sacerdotis sibi fieri copiam flagitauit, cui

culpas

culpæ confessione explicaret, hanc ei operam præstitit vnus è nostris adhibito interprete, & facta fidei professione, ac reconciliatus cum Ecclesia, magna significatione pietatis, cælesti pane refectus: ac posmodum extremo Chrismate inunctus, in eodem mentis ardore ad extremum vsque spiritum perseuerauit. Ita hunc è media babylone æterna sibi prouidentia delegerat, quem ex perditorum colluuione prope infinita transferret in æternas beatorum sedes. fuit illi vtique aduersa, cœli tempestas salutaris; & naufragium, quod nunquam esset ausus optare, maxime propicium. eius funus licet hostis, vt hominis tamen religioni coniuncti, in hostili, quam modo vastauerat, terra, cohonestatum est. Porro, quod ad nostra munia attinet, & ante eam calamitatem impense admodum, & multo postea impensius in hominum salutem inuigilatum est: sed hæc, quia solennia, & nota omittuntur.

COLLEGIVM Xerense;

FVNESTA Gaditana calamitas ingentem laborum segetem, & magnam de hominibus benemerendi occasionem Xerensibus attulit socijs. Distat Gadibus Xera millibus passuum duodecim, inde reiecti Gaditani post deditionem cum singulis vestimentis, sine commeatu, sine cibo, fame, & fatigatione enecti, partim pedibus, partim nauigijs iter illud emensi, huc se primum recepere, quos, vt inedia, & viae labore fractos leuaremus, obuiam ijs processimus; & quibus in tanto rerum

verum discrimine potuimus rebus opem tulimus. Socios primum hospitio excepimus, quorum tres graviter aegrotantes diligenti medicorum cura, pristinam demum recepere valetudinem. reliquus deinde, quantum rei nostrae patiebantur angustiae, & nostris, & piorum eleemosinis adiuvimus. Sacrae Virgines è duobus coenobijs emissae P. Rectoris consilio, & diligentia, in Xerensia monasteria distributae: usq. ulendis quotidie, singula in singula capita argentei exaerario assignati. Interim dum Angli circa Gaditanae arcis haerent obsidionem, omnes, qui ex omnibus Beticis urbibus, opidisq. arma ferre possent, Xeram euocantur, in quibus diuinis mysterijs imbuendis sociorum est viriliter impensa opera: quin etiam multorum inopiae morboq. pecunia corrogata consultum est. Ceterum praeter hanc calamitatem, mulieres aliquot è freto libidinum ad tutum pudicitiae portum appulere: una etiam religiosum viuendi institutum est complexa. Grauis oborta erat difficultas de capite quodam Pontificiae bullae, quae legitur in Coena Domini, in ea nostri à reliquis dissidebant. erat id ceteris molestum, & inuisum: tantum nobis esse animorum; vt contra torrentem sententiarum omnium vni nos adniteremur. consulti, qui eius declarandi sanctis potestatem habent, magna cum Societatis gloria in nostrorum sententiam de re tota desciuerunt. Ad sacram supellectilem argentea candelabra duo, argenteum item vas praegrande piorum amicorum dono, accessere: addimus & pegma imaginum ad Christi corpus asseruandum; ac peristroma altaris omnium, opere Phrygio, vestisq. velando suggestui accommodata.

COL-

COLLEGIVM Triguerense.

TRIGVERENSIS Collegij templum ad culmen est perductum. Excursiones in vicina oppida, pagosq. multorum animis profuerunt; nobis vero egregios duos sacrorum munerum administros ademerunt P. Hieronymum de Narueez, & P. Ioannem Delphinensem, qui, dum intenti studio iuuandi proximos, nulli labori parcunt, perfuncti in obeundis oppidis mensium munere, sacra vterque febri correptus, alter prid. non. Nouembris, alter xvj. Cal. Decemb. extincti sunt.

COLLEGIVM Vbedanum.

VBEDAE veteres, recentesq. simultates inter multas magna auctoritate viros sublatae: è quibus periculo gravissima timebantur, composita pax inter deos, quae inter graues ignominiosaeq. offensae enenescebant: magnum vitiq. parti periculum immicebat. Elementa fidei per vias publicè decantantur, esq. res exempli honestissimi, cum puerorum agmini praeeuntes crucem praeferant vir primarius, opibus, & dignitate in primis ornatus. cuius rei vtilitatem tum nostri, tum alij sacerdotes, qui à confessionibus in vrbe sunt, & sentiunt, & praedicant.

COL-

COLLEGIVM
Astigitanum.

ASTIGI auctum est annuum vectigal trecentenis aureis non leui sane incremento: & sacrum instrumentum lychno pensili ex solido argento, ac tribus sacerdotalibus vestibus, cum tribus paribus aræ peripetasmatis magni pretij: quæ omnia egregiam piorum amicorum testantur liberalitatem. Quanta vero apud nobiles, & Senatores de Societate sit existimatio, vel hinc facile colligas; quod nullus paullo difficilior tum ciuitati vniuersæ, tum singulis ciuilibus priuatim nodus obijcitur, ad quem dissoluendum nostrorum consilium, aut opera non adhibeatur. Gymnasium floret tanta discipulorum frequentia; vt eos scholae veteres non capiant. Quare de nouis excitandis ciuitas consilium iniuit, & iam ad prima iacienda fundamenta mille aureos Senatus frequens decreuit: Senatusq. de ea re consultum cum per honorifica Societatis laude perscriptum est. Ex discipulis vndeuiginti philosophiae laurea donati sunt: octo varijs religiosorum familijs nomen dederunt: vnus in Societate nostra factus voti compos; quem Pater, vir illustri nobilitate magna, significatione pietatis ad pedes P. Prouincialis aduolutus, non aequo solum, sed libenti etiam animo Deo dicauit.

COL-

COLLEGIVM Casorlanum.

CASORLAE excessit ex humanis Dominicus de Onnate, domo Cantaber, coadiutor, mirae probitatis frater; & sui despicientia, atque orandi studio insignis. Catechismo, & doctrinae Christianae explicatione factum; vt pro impuris, & lasciuis piae cantiones suffectae sint, quibus vulgo diu, noctuq. viae, plateaeq. personant. Christo laus. Scholae discipulos habent ad quingentos, ex ijs allecti in Societatem nostram duo magnae spei adolescentes. ad alias religiones se contulere tredecim. Illustrissima Marchionissa de Camarasa huius Collegij fundatrix, pro sua perpetua erga nos benignitate tres casulas cum tribus item ad arae frontem velandam peripetasmatis, adiecta quinquaginta aureorum eleemosina, collegio misit.

PROVINCIA TOLETANA.



VERE in Toletana Prouincia, vt è singulis familijs colligo, nisi me suspiciosae fallunt notae numerorũ, sodalium capita quadringenta nonaginta tria: sacerdotes centum nonaginta duo: scholastici centum duo decim, coadiutores centum octoginta nouem; nouiciorum numerus distincte notatus nullus est: sed vel cum scholasticarum, vel cum coadiutorum numero confusus. Hi omnes domicilijs septendecim distributi: Domo professa Toletana; Domo Probationis Villaregiensi; Collegijs tredecim, Matridiana, Complutensi, Murciensi, Placentino, Oropesana, Talabricensi, Toletano, Occanensi, Conchensi, Optensi, Belmontensi, Caravacensi, Securitano, & residentijs duabus, Iesuana de monte, & Nabalcarnensi, quae videntur ad Complutense Collegium pertinere. E vita excessisse numerus indicat tredecim: admissi in Societatem, aut septendecim, aut viginti septem salua fide ambiguae figurae numerorum.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA Toletana.

QVADRAGINTA quatuor omnino in Toletana professa domo; sacerdotes viginti duo, totidem coadiutores laborarunt; qui concionibus habendis, confessionibus audiendis, ceteris q. nostrae Societatis muneribus exercendis, quantum Christianae rei profuerint, & si magnum est, quia tamen usitatum, non gratam habet commemorationem. & fere ita fit: vt, vbi viget religio, omnia in tranquillitate sita sint; nec magnam suppeditent materiam scribenti. fructus tamen eo maiores, laetioresq. colliguntur, quo solenniam, & quasi certo prouentu maiore copia funduntur: non igitur ex his litteris: sed ex amplissimae, eiusdemq. religiosissimae gentis pietate, & summa multorum doctrina, pietateq. insignium virorum, & zelo diuinae gloriae succensorum industria huius Toletanae domus, ceterorumq. Collegiorum fructus aestimandi sunt. Nec tamen hic defuere, quae narrentur. Serenissimus Cardinalis Archiepiscopus Toletanus, cum accepisset populos in Carpentanis montibus, ad suam diaecesim pertinentes, diuini verbi pabulo egere, aliquot è nostris impetrauit, qui illuc profecti, gentem illam per se satis auidam doctrinae caelestis hauriendae, concionibus, catechesibus, cohortationibus, sacramentorumq. administratione mirum quantum ad pietatem permouerunt: & quoniam regio montosa, & aspera non admodum ferax rerum est ad vitam commode alendam, incolae habet tenues, & ino-

pes. Prouidit igitur sapientissimus Praesul rei futuram difficultatem: ac ne pauperes victus parandi caussa à diuinis audiendis institutionibus abducerentur; vt est idem generosus splendideq. liberalis, pecunias de suo iussit egentibus distribui; qua factum est, vt vno, eodemq. consilio, eorum corporibus consultum sit, & animis. Huc igitur fulti subsidio egentes, diuiteſq. tanto studio ad diuina audienda, sacraq. mysteria percipienda confluxerunt; vt angusta nostris admodum necessariae quieti tempora relinquerentur. Ii porro tam nauiter rem totam susteperunt; vt continentium laborum multitudine in grauem morbum inciderent. Recreabat eos, viriumq. sustentabat imbecillitatem egregia montanorum pietas, atq. aduersus suae salutis magistros reuerentia; vt cum ex vna in aliud opidum excurrerent, ingens incolarum multitudo abeuntes longo itinere prosequerentur: ita non poterant ab eorum iucundissima consuetudine, pūsq. sermonibus auelli. Haec foris: ceterum Domi res fuit angustior: nam ob temporum difficultatem, priuatorum imminuta vectigalia, aliquid de superiorum temporum benignitate minuerunt. licèt in magna penuria multi largius, quam ante, alij copiosius, quam eorum ferrent facultates, plerique certe maiore voluntate, quam pro opibus, studium nobis suum declararunt. Praecipue vero pia femina honesto loco nata, nostrae Societatis studio apprime dedita, moriens testamento nobis quadringentos aureos legauit.

COL-

COLLEGIVM Matridianum.

MATRIDII *socij fuere septuaginta tres, sacerdoter triginta quinque, fratres octo, & triginta: ex ijs quinque iuuentutem humanitatis studijs instituunt. è vita excesserе duo, admissi in Societatem nostram octo. A felici, & fausto initio, cerimonia aliquanto augustiore huius anni primordia nobis ducta sunt; primo eius ineuntis die, sacris operante in templo nostro Regio confessario, monacho Hieronymitano, praesente Summi Pontificis Nuncio, & concionem habente, Regij filij, & Hispaniarum Principis confessario, ex Dominicana familia; qui omnes diem totum humaniter, comiterq. nobiscum traduxerunt; non mediocriter recreati spectaculo dramatis non illepidi de Natali Christi Domini. Rerum spiritualium cursus, cum animorum fructu solita superiorum annorum felicitate procedit; neque quidquam de visitata praeteriti temporis industria, laborumq. contentione remittitur: vt magis conuectis frugibus laetari, quam nouam rei nouae narratione voluptatem afferre debeamus. Scholae veteres, quod angustae essent, & incommodae, dirutae sunt, & nouae laxiores, elegantioresq. aedificari coeptae; ciuium magna laetitia; qui rei promouendae caussa, ad veterem liberalitatem, de qua scriptum est alias, nouum hoc anno Eleemosynarum cumulum addiderunt. iuuere praeter ceteros rem totam vtrunque Regiorum iudicum, & sacri patrimonij consilium. Speramus ad florentissimam hanc, optimeq. moratam*

iuuentutem, Deo bene iuuante, vtilitatem permagnam profecturam. Frequentiam habemus bene magnam; vt scholis quinque, sexcenti discipuli instituantur: ea probitate, ac disciplina, quam volumus: cuius rei illud argumento sit: plus triginta ix tutum se religionis portum receperunt: sed praeter ceteros probatiores, qui in coetum B. Virgini dicatum adscripti sunt, ex ijs vres in Societatem sunt allecti. Laeta sane hactenus & felix progressio rerum esset, nisi fluxas hominum laetitias tristes interdum casus permiscerent. Fuit vtique diuino consilio tam laetus rerum cursus moerore aliquo interturbandus, nam felix ineuntis anni initium, quintodecimo die repentina prope P. Aegidij Gonzalis mors tristi moerore affecit. Vir fuit, qui nostra aetate inter prima nostrae religionis decora merito numeretur: & qui omnium posset Hispanicarum Prouinciarum pater appellari. Haud facile reperias, in quem praeter ipsius doctrinam, & virtutem tot ornamenta diuina bonitas congesserit; ea fuit vitae sanctimonia, vt vniuersam paene Societatem, maximam certè illius partem, illustrarit: omnibus honoribus, etiam proximo ad vnum illum primum, & summum, in hac Societatis corpore summa cum prudentiae, & religionis laude, diutissime perfunctus. Sexagesimum quartum aetatis agebat annum, quadragesimum quintum in Societate: e quibus triginta duos, totis variis regendi muneribus, saepius prouincialis, saepius diuersarum Prouinciarum Visitator exegerat: inuenusta, aerumnasq. multas fungendi sui muneris subierat. Cum Prouincialis ad tertiam Congregationem Generalem cum duobus de more professis sacerdotibus Romam per Galliam, tam haereticis, ac

sedi-

seditionibus perturbatam iter faceret, ab Vgonotis infensissimis catholicae religionis hostibus, interceptus, conuicijs, plagis, vulneribusq. affectus, in carcerem, proposito mortis metu, tectus, alsero etiam è duobus sacerdotibus comitibus in carcere extincto; eas scilicet pertulit asperitates, quas immanis haereticorum rabies in hominem sibi maxime inuisum potuit effundere. P. Euerardo Praeposito Generali postmodum à consilijs assistens fuit, cuius in eo obeundo munere prudentia, & caritas, ad vniuersae Societatis fructum promanauit. affecta iam aetate, varijsq. morbis fatigatus, impigertamen, ac strenuus in hoc Matridianum Collegium concessit. hic triennio toto magno virtutum omnium, humilitatis praesertim, ac sui ipsius despicientiae exemplo, ceteris praeluxit. ad labores vero, & confessionum audiendarum assiduitatem patientia tanta; vt iuuenum, & bene validorum operam aequaret. Admonitus à Superiore saepius, vt aliquid aetati, atque affectae valetudini concederet; modicaq. alsqua remissione animi, laborum contentionem temperaret: respondit: nolle se sibi victum gratis exhiberi. Cum in morbum incidit, quo consumptus est, decumbens adhuc ex ipso lecto confessiones excipiebat; vt iam morti proximus, atq. à mente destitutus, confessiones sibi audire videretur; atque intermortuis vocibus absolutionis formam identidem pronunciaret. Obijt xviij. Cal. Februarias magno non nostro solum, sed multorum etiam clarorum virorum luctu. neque enim Matridij solum, sed in Hispania tota nomen viri integerrimi magna veneratione fuit. Non pigebit testimonium à graui nostrae aetatis scriptore, in cituria virorum illustrium ei datum, ipsis eius-

met verbis referre: Fuit, inquit, Aegidius Gundisaluus doctissimus omni litterarum genere, praesertim in lectione sanctorum, & conciliorum; vt apparet ex opusculis, quae fecit aliqua in defensionem sui instituti, ac religionis, quae ego vidi manuscripta. Super omnia autem in eo enituit doctrina religiosae, ac monasticae vitae; nihil enim scriptum erat ab institutoribus aliarum religionum, quod ipse non vidisset, volutasset, excerpsisset etiam, quod optimum inde sibi adiumentum compararet ad spiritualem animorum tractationem. Siquidem paene tenuerat, & intime nouerat religiosas omnes virtutes, praesertim instituti sui ordinis ita imbiberat, vt nemo melius. Haec ille... Illius funus publica totius fere nobilitatis moestitia honestatum est; nobisq. obsistentibus viri primarij quam amplissimum curari voluerunt, vt non tam nostra modestia, quàm ipsorum magnificentia dignum indicaretur. Interfuere aliorum ordinum viri religiosi permulti: feretrum nobiscum vna in templum intulerunt, & exequias celebrarunt: postero die magno procerum, aliorumq. nobilium conuentu, solenni cerimoniae exequiae repetitae, multis diuersorum ordinum expiandae illius animae rem diuinam facientibus. Vir primarius è Benedictina familia, egregius Praedicator, & sui Ordinis Definitor, viris principibus à P. Visitatore contendentibus, magnae omnium probatione eum publice laudauit. Speramus tot bonorum virorum de optimo Patre nostro iudicium à diuino iudicio non dissidere: suffragiaq. sanctae illius animae expiandae à tam multis collata ex ipsius abundantia ad aliarum animarum purgatorio carcere detentarum fructum redundare.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Complutense.

HABVIT *Complutum socios sexaginta septem: sacerdotes viginti tres, scholasticos triginta quinque, coadiutores nouem: Theologiae magistros è sacerdotum numero quatuor. Diem suum obiere tres, quinque in Societatem admissi. In residentia Iesu de Monte sacerdotes duo, adiutores duodecim, (& hoc quoque notis scriptum est) rem rusticam procurant. In Residentia Nauacarnensi duo item sacerdotes, quatuor adiunctis fratribus: omnium summa capitum est octoginta septem. In ijs, qui vita functi sunt, sacerdos annus cum* Regia *classe missus in Angliam, in mare perijt, vi tempestatis naui areuae illisa, confractaq. eumq. ei esset copia euadendi; multis eum in scapham inuitantibus: ne tamen suam operam extremo vitae periculo poscentibus subtraheret; diuelli ab ijs noluit: vnaq. cum illis fluctibus maris absorptus; vt dignum fuit Christi sacerdote, Societatis alumno, praeclaro fine vitam religiose actam concluſit. Alter fuit* P. *Iacobus Salassarius, vir humilitatis, & obedientiae laude, atque in B. Virginem pietate conspicuus. vndequadraginta vixit annos in Societate, Sodalicio B. Virginis regendo, excolendoq. apprime deditus. mirum quantopere illius industria sit auctum. ducenti quinquaginta sodales numerantur; & sunt inter eos multi, & magistri, & doctores, egregium sodalicij totius ornamentum: eos, vt statis diebus ad colloquia de pietate non grauate conuenirent, induxerat*

tanta

tantæ enim illi hominem obseruantiæ, reuerentiæq. colebant; vt non graue ijs esset quidquid ab ipso præciperetur. & nunc præter visitatas, statasq. litterarias exercitationes, bis quaque hebdomada conueniunt ad conscientiae caussas excutiendas; quibus è Collegio præsidet sacerdos vnus. Excursum in vicina oppida; grauesq. inde dissensiones sublatae. Sexaginta circiter spiritualibus exercitationibus exculti: ex ijs non pauci religiosorum se familijs addixerunt. In ijs Theologiae professus Franciscanorum, qui excalceati vocantur religionem suscepit.

COLLEGIVM Murciense.

MVRCIENSE Seminarium vnum alunt & sexaginta; sacerdotes viginti, (è quibus quatuor Theologiae magistri, litterarum vero scholasticos viginti duos, coadiutores vndeviginti, è discipulis quatuor Philosophiae, octodecim Theologiae studijs occupantur. Hi ante studiorum repetitionem omnes se per pias commentationum exercitationes ad repetendum studiorum cursum compararunt. Certis anni temporibus, Dominicis diebus ijdem partiti inter se vicos bini ad excolendos Christiana doctrina populos ex vrbe prodiere. Ad scholarum aedificationem, quod veteres angustiae sant, & ruinosae, collata est viritim à ciuibus pecunia ad bis mille ducatorum summam: mille praeterea Senatus decreuit; quae liberalitas, quam cara sit, & ciuitati vniuersae, & singulis ciuibus priuatim Societas, declarat non obscure.

Rus

Ras habamus quarto ab vrbe milliario, Heremitam nominant. hic priuatus ciuis partem villae suis sumptibus suscepit extruendam, nostrorum remissione, & leuamine feriatis à studio temporibus, speramus breui totum absolutum iri aedificium omnis illa impensa ad tria aureorum millia existimatur peruentura. Sacerdotes aliqui in vicina dioecesis huius opida profecti paenitentium numerum tantùm excepere, vt à pomeridiano diei vnius tempore ad alterius vsque diei, nullo interim sumpto cibo, nulla corpori quiete data, in opere persisterent: multas ex opidis alijs turbas, seditionesq. è quibus totorum opidorum ruinae timebantur, feliciter Dei beneficio represserunt.

DOMVS PROBATIONIS Villaregiensis.

VILLAREGIENSIS Probationis domus familiam alit capitum quinquaginta septem, è quibus sunt septem sacerdotes, nouicij ad studia destinati viginti quinque, totidem coadiutores partim veterani, partim tirones. Aedificij pars est absoluta, in qua & triclinium capax, & cella ad custodiam sacrorum, & sacellum est in vsum nouiciorum. Tirones, praeter commune rudimentorum ponendorum, & proprium suae cuiusque religionis studium, in quam exercitationem strenue incumbunt; in aliorum etiam salute procuranda, quantum est eorum captus, inuigilarunt. itaque, & ad proximum bene magnum, & frequens opidum huius familiae vtilitas manauit, & Villaregiensibus etiam profuit, tum ad animi

tum

tum etiam ad rerum externarum fructum. Sunt enim fere huius opidi homines tenues, inopesq. ac proinde scholis nullis indigent: duo tantum è sacerdotum numero elementarios instituunt. Non tamen vsque eo sterilis fuit in hac gente messis, vt non vnum hoc anno dederit Societati.

COLLEGIVM Placentinum.

VNDEVIGINTI in Placentino Collegio, sacerdotes octo, scholastici duo, nouem coadiutores, magna cum Societatis existimatione versati sunt; vt maxima ciuitatis pars, nobiles praecipue, confessionis, & consiliorum caussa in grauissimis suis quisque rebus fere alios non adeant. eorum numerus decessu trium est imminutus; tres item ex ijs grammaticis pueros instituunt; vnus praeterea quaestiones explicat de conscientia.

COLLEGIVM Oropesanum.

TRIGINTA NOVEM Oropesae degũt, sacerdotes tredecim, scholastici vndeuiginti, septem adiutores. è sacerdotum numero tres sunt grammaticae magistri, dialecticae totidem, conscientiae iura vnus explicat. hic variis morbis opidanis grauis, nostris materiam suppeditauit exercendae in pauperes, & aegrotos caritatis. cum praeter spiritualia praesidia in miserorum domibus, omni destitutorum auxilio, ad vilissima quaeque

Digitized by Google

quaeque munia illorum iuuandorum causſa magna comitate ſe demitterent. Inter haec mulierem matrimonio copulatam, ſed quae ſolutiore licentia viuendi opido vniuerſo magnae eſſet offenſioni, ad modeſtam decentemq. viuendi rationem reuocarunt. In opido alio duarum factionum principes, magno multorum periculo ſuppreſſo, ad concordiam reuocati: quam rem, cum multi fruſtra pertentaſſent antea, diuina tandem ope per noſtros eo res deducta, vt haeſus non ſolum iniuriam condonaret, ſed domum etiam adiret aduerſarij, & Chriſti Domini praecepto, animo plane Chriſtiana virtute roborato, ſupplex veniam peteret.

TALABRICENSE Collegium.

QVATVORDECIM Talabricenſe Collegium tenuerunt; ſacerdotes octo, diſcipulus vnus, coadiutores quinque; tres à ſacerdotibus grammaticorum munere funguntur: exigua familia, ſtrenue tamen ſe exercuit, praeter vſitata noſtrae Societatis munia rudibus per plateas Chriſtiana doctrina informandis, & vicinis etiam opidis eiuſdem rei cauſſa adeundis. E ſcholarum noſtrarum diſciplina adoleſcentes aliqui in varias religiones ſunt admiſſi. Collegij ſitus parum oportunus impedimento eſt, quo minus à magna nobilium frequentia collegium celebretur. eſt enim communis omnium opinio nobilitatem omnem ad nos conuenturam, ſi oportuniore loco haberemus: ſaltem in ea vrbis parte, in qua domus conuictorum ſita eſt. Maxima cum clariſſimae Domi-

canae

tanae familiae Religiosis contracta familiaritas est, & quasi quodam foedere sancita: quae res non parum oportuna fuit tali tempore, praesertim si latius manaret. eorum unus praeclarum suae voluntatis testimonium dedit erga nos. nam Cal. Ian. nostro in templo perhonorificam de P. N. Ignatij laudibus concionem habuit, magna cum totius civitatis voluptate simul, & probatione.

COLLEGIVM Toletanum.

NON multo maior in Toletano Collegio, quam in Talabricensi, familia fuit: quindecim omnino fuere, sacerdotes septem, tres scholastici, quinque coadiutores: neque minus strenue hic, quam illic versati sunt. Siquidem in excolendam maxime iuuentutem eorum omnis opera incubuit. Quatuor habent humanitatis scholas: discipulorum numerum tantum, qui toti Toletanae Academiae, quasi seminarium quotannis bene magnum adolescentium numerum submittat, studiorum maiorum scholas frequentantium: & hi fere sunt ex prima vrbis huius nobilitate. Est praeterea sodalicium B. Virginis percelebre sodalium, & numero, & dignitate; cui doctores & magistri multi nomen dederunt; illudq. subinde actionibus Theologicis, Philosophicisq. ac disputationibus nobilitant, magno doctorum virorum, tum saecularium, tum religiosorum conuentu. Saepe etiam spectaculo fuere, & specimen aliquod diligentiae dedere studia, tum Rhetoricae, tum linguae Graecae. Celebrarunt hoc anno sodales B. Virginis natalia

talia apparatu maiore, quam vnquam antea, vt etiam impluuium nostrarum aedium ornarint, magno numero versuum affixo: decantatae vesperae, tum Missae sacrum Pontificali cerimonia ab Episcopo peractum, Episcopo eodem habente concionem. Satis apertè intelligitur à paucis hisce cultoribus in vinea admodum frugifera operam poni. Nec tamen praeter scholas non multis opera praestita. Est à coeno peccatorum, turpiq consuetudine abstractus adolescens, praestanti alioqui indole, optimis antea studijs; hunc cum nullae potuissent hortationes ad sanitatem reuocare, ita visco turpis corruptelae adhaeserat; promisit è nostris sacerdos Sanctissimae Virgini se pro illius sanitate sub ipsius patrocinio nouies salutarem hostiam aeterno patri sacrificaturum. eo piaculo diuina miseratione sanatus adolescens ad pristinam modestiam, honestaq. studia se retulit.

OCANIENSE Collegium.

VIGINTI QVATVOR Ocaniam incoluerunt, sacerdotes quindecim, scholasticus vnus, octo domesticorum laborum adiutores. Tres habent grammaticae scholas sane frequentes, tum opidanorum, tum conuenarum numero non poenitendo. Conuictorum numerus, auctus hoc anno, vt proxime centenarium acceßerit, aucta etiam Collegij existimatio acceßione nobilium, & dil gentia in studijs adolescentium: disciplina quoque melius constituta, resectis quibusdam occasionibus turbarum. nam ne praeseruida aetas, & disciplinae

nae impatiens, contuberniȳ totius tranquillitati officiat, constitutum est, ne vltra certum aetatis terminum in eum conuictum quisquam admittatur. Saecularium sodalicium, qui carcere detentos iuuant, bona capit incrementa. Discipulorum quoque congregatio suum cursum tenet. Excursiones interim, vsitataeq. exercitationes non omissae; & respondit operi fructus. Christo laus.

CONCHENSE Collegium.

OMNIVM paucissimos habet familia Conchensis, tredecim omnino sunt, sex sacerdotes, cum adiutoribus septem, quorum tres iuuandis elementarȳs occupantur. rei familiaris angustia facit, vt non plures alantur. ea non parum hoc anno canonicorum liberalitate subleuata est, magno frumenti numero attributo, quod solita nostrorum assiduitate, & opera compensatum est.

COLLEGIVM Optense:

SEPTENDECIM Optense Collegium incoluerunt, sacerdotes septem, scholastici duo, operarȳ octo, grammaticae magistri è priorum numero tres, admissus in Societatem ex hac vrbe vnus. Conciliata pax inter duos, auctoritate, & opibus potentes. Sacerdotes aliqui spiritalibus exercitationibus exculti. E sodalicio B. Virginis grauiter vnus vulneratus, facile inductus, vt ex animo

Digitized by Google

animo iniuriam omnem condonaret. E scholis nostris, quarum frequentia crescit in dies, adolescentes aliqui in varias Religiones sunt admissi.

COLLEGIVM Belmontense.

IN Belmontensi Collegio Viginti morati sunt; septem sacerdotes, discipuli duo, vndecim coadiutores, latinarum litterarum scholas habent quatuor. Ex hac quoque vrbe in Societatem admissus est vnus. Magnum diffidium in Belmontensi senatu ortum erat duobus praecipuis ob antiquam simultatem valde dissentientibus: qui totam paene ciuitatem in duas diuisam factiones in eandem discordiam trahebant. Vtrique parti à nostris persuasum, vt ira tantisper supersederetur, dum sententia Marchionis Villenae, in cuius ditione ciuitas est, ea de re expectatur. tantaq. fuit in eo omnium hominum reuerentia erga nostros, vt eorum consilio, dilato senatu, clausaq. curia, claues ad nos seruandae deferrentur. Interim, dum à Marchione responsum expectatur, ciuitas flagranti periculo liberata, & Marchionis nomine interposito grauissima turba sedata. Vir nobilis cognatos suos ita auersabatur, vt illorum aspectum ferre non posset. is in morbo à sacerdote nostro inuisitur, & officij sui admonitus, cum illis in gratiam redijt; eosq. in suum amplexum flagitauit: opportuno vtique animi sui bono. nam eo morbo, haud ita multo post, interijt. Excursum opportunis temporibus in vicina loca, nec sine ingenti vtilitate animorum.

Digitized by Google

COLLEGIVM Caruacense.


CARAVACENSE Collegium sodales numerauit sexdecim, sacerdotes septem, adiutores reliquos: ex ijs unus est Grammaticae magister, elementariorum puerorum duo. Angustiae domus impedimento erant, quominus quantum vellet nostra consuetudine ciuitas uteretur. nunc parte quadam domus aedificata, quae templi nobis vicem praebet, frequentes conueniunt. iuuerunt etiam eleemosynis non parum aedificationem. Reuocati, praeter cetera, ad concordiam coniuges, qui multis annis, & toro, & contubernio toto disiuncti vixerant. Matrona pia nobilis coronam auream ad caput Iesu pueri ornandum pretio centum quinquaginta aureorum nostro templo dicauit. Alia ad aram principem argenteam crucem quadraginta pondo.

COLLEGIVM Securitanum.

IN Collegio Securitano sacerdotes septem, totidem adiuti fratribus, solita vigilantia, & caritate, consueta nostrae Societatis munia cum fructu obiere animorum. ex eorum numero magister unus pueros elementarios instituit.

PRO-

PROVINCIA CASTELLA.



HABVIT Castella Prouincia socios omnino quingentos quinquaginta septem, sacerdotes ducentos, quinquaginta quatuor, reliquorum distinctus numerus non est. domicilia habet vnum, & viginti: Vallisoletanam demum professam cum socijs quadraginta: Vallisoletanumq. Collegium continens triginta quatuor, octoq. alios in Anglicana Collegio eiusdem Vrbis: Palentinum triginta quatuor, Metinense quadraginta quatuor: Abulense viginti quatuor, Burgense viginti quinque, Segobiense viginti duos, Lucronense viginti quinque, Montis regij viginti tres, Pompeiopolitanum vndecim, Arevallense item vndecim, Onnatense sex, Compostellanum triginta, Bellimarense quatuor, Legionense viginti duos, Montis fortis sexdecim, Villagarstense cum probationis domo coniunctum quadraginta duos. his domicilijs quadringenti viginti vnus continentur. centum triginta sex, qui summam explent, quæ supra descripta est, omnium eos in tribus degere collegijs, Obetensi, Numantino, & Salmanticensi necesse est, è quibus collegijs

quot in quoque versentur, nihil notatum est. Ex his, quatuor & viginti ex humanis excessere: in Societatem nostram venere sexdecim.

DOMVS PROFESSA Vallisoletana.

IN Vallisoletana professa domo vitam religiosè actam digno fine concluſere tres, P. Franciſcus Lara voterum quatuor professus, ad confessiones audiendas laboris indefessi; Ioannes Guilus ad domestica munia adiutor; & Sanctius Ausa nouicius, bonae spei adoleſcens. P. Garſias Alarconius Prouinciae Viſitator ab hac domo felici primordio sui obeundi muneris fecit initium. Expectantur ex eius prudentia, & diligentia qui ex his muneribus fructus quaeri ſolent. Venio ad opera. Annus Vallisoletanis parum ſaluber magnam noſtris ſacerdotibus de aliorum ſalute benemerendi materiam ſuppeditauit. Siquidem diu, noctuq. vocati ad aegrotos, non animis ſolum remediis caeleſtibus, ſed corporibus quoque, inopis praeſertim, ac deſtitutae multitudinis, comparatis adiumentis, aſſiduam opem tulere. Opportunam praeterea praeſtitere operam quinque, ſexue ſontibus, infamis latrocinij damnatis. nam cum plerique eſſent ex deſperatis reliquijs Maurorum, qui plerunque in fide inſtabiles, & varij eſſe ſolent: veriti Regij Quaeſitores, ne ab inſita genti leuitate, & fallacia vna cum corporis, animi etiam facerent iacturam; eorum ſalutem noſtrorum curae commendarunt. & Dei benignitate factum eſt, vt in fide confirmati, deteſtati vitae ſcelera, ſacramentis com-

Digitized by Google

communiti, publiceq. fidei professione facta, vero Christianae pietatis sensu vitam finirent. Congregatio in honorem Deiparae Virginis est instituta; in quam permulti nobiles, alijq. inferiorum ordinum adscripti sunt; qui eam viuendi rationem iniuere, ad eamq. se modestiam, morumq. probitatem temperarunt, vt omnium oculos, animosq. in se conuerterint. factum narrabo à malo principio profectum, laudabili admodum exitu conclusum. Duo ex iis magna dignitate, in iudicio de controuersia inter se paullo feruidius altercabantur. & vt incalescente ira saepe fit, eorum alter adhuc recens in suscepto congregationis instituto, proiectus ira, modestiae oblitus, in iurgio mentiri alterum conuiciatus est; multisq. praesentibus, ei colaphum impegit. tum alter cordatior, religionis memor, ira suppressa: Meis sceleribus inquit, debentur grauiora: & haec pro Dei amore, aequo feram animo: assenditq. animo pacatissimo. hac animi constantia, exemploq. pietatis fractus ille alterius furor, subito concidit vniuersus; subijtq. animum facti poenitudo; iraq. in verecundiam versa, ijsdem praesentibus testibus, veniamq. petijt, cumulateq. laeso satisfecit. nam, & se ipse reuocauit; insania, atq. amentia prolapsum testatus; nullamq. earum notam, quas in laesum soniecisset, illius vitae adhaerere. Virgini matri illud certe tribuendum, prioris, vt pietate, & constantia fieret, vt repentina posterioris contumacia tam subito desederit; iraticq. animus ad mentis tranquillitatem, securitatemq. redierit. Eadem sodalitas etsi dispendio non nullo, pie tamen inuento abiectae, perditaeq. multitudini viam aperuit ad animi salutem. Hebdomada sancta vni-

uersam plagam, meadiorum, ac circumfrentium multitudinem vrbis in tractum tegerunt, aduexerunt magno numero sacerdotum reconditam illam, vilemq. turbam, distributa exiguis pecuniola, ad cingendam tumulum. hac arte, & hac pecuniae dulcedine illecti multi remedia salutis quaesiuere, qui alioqui neglexerunt. Illustris praeterea fuit quorundam liberalitas. Vir primarius, & multa beneficentia apud alios de nobis benemeritus, veterem multorum auorum liberalitatem, hac nouo liberalitatis cumulo exaggerauit. dedit ornando celebrioribus diebus templo serica peristromata purpurea auro intertexta, neque in eis vllum suae familiae insigne, aut ne vllum quidem suae benignitatis apparere vestigium passus est. magnum argumentum haec à sincera, placandi Deo voluntate profecisti; animiq. ab omni humana gloria, fastuq. alieno: quin se eius munerit donatorem egregie dissimulat; grauesq. sibi esse praefert, siquando nostrorum sermone aliquid foras promanat. nihil esse, quod fecit, crebro dictitans, tum Deum respicit, cui tam multis nominibus omnia debeat; vt cum hominem Deo tam illustria facta commendent, multo eum reddat tam egregia grataq. voluntas commendatiorem. Iure consultus quodam tempore à nobis alienus, postea reconciliatus, omne praeteritum tempus nouae gratiae magnitudine compensauit; is moriens quantum per ciuiles, nostrasq. leges ei licuit, nobis pecuniam reliquit. Et quamuis à nostro sacerdote, qui ei fuit à confessionibus, moneretur parciore vt beneficentia aduersus nos vteretur: tamen testamento legauit; vt haec domus aere grauata alieno leuaretur. Conflixit & vulnerum cruciatu & totius

& totius ciuitatis vniuersae liberalitas erga nos. Ara nostri templi maxima columnis & signis ornatur opere magnifico, egregia descriptione, & clarorum praesertim artificum operibus. res est magni sumptus, & molitionis longioris, ciuitas moræ impatiens, cum opus absolutum primo quoque tempore videre festinet, non desinit opus, pecunias suppeditandis promouere: multiq. priuatim propria benignitate vltro ad nos eleemosinas detulerunt non rogati. Diuina bonitas tantam liberalissimæ ciuitatis benignitatem pro dignitate compensabit.

COLLEGIVM Vallisoletanum.

VALLISOLETANI Collegij hoc anno demum Dei beneficio fundator declaratus est Episcopus Trascalensis, domo Vallisoletanus; sed qui sedem habet in noua Hispania annuum collegij vectigal mille, & quingentorum est aureorum; septem millia praeterea assignati, quorum annuo prouentu templum aedificetur. nec tamen videtur nostri beneuolentissimus Antistes fundationem adhuc posuisse huius noui Collegij, & augendi, & ornandi: cuius ingens erga nos beneuolentia, & ardens studium Collegij constituendi, vel ex eo potest intelligi; quod cum superioribus annis ad hanc fundationem argenti pondus pretij quadraginta millium aureorum ex transmarinis oris ad nos misisset, idq. in mare peruisset; non tanta fractus iactura, tantum denuo misit, quantum ad nouam fundationem satis esset. Ad haec aurei ducenti leuando Collegio pij viri testamento legati

accessere. Ad Theologiae scholas, Anglorum alumnorum caussa adiecta est schola Dialecticae.

COLLEGIVM Anglicanum.

VALLISOLETANVM Anglorum Seminarium ocio de nostris regunt: quinquaginta circiter continet alumnos, ex iis duo sacerdotio consecrati in Societatem sunt admissi. Vnus septendecim annos natus egregia probitate, & alta indole adolescens, & qui multis naturae dotibus longe multis anteiret (Robertus is dicebatur) immatura morte crescentes in se virtutis tantum signa dedit, maturitatem aetatis non expleuit. per multas difficultates, & aerumnas ad in hanc disciplinam venerat, in Hispaniam appulerat. In Collegio, quandiu fuit, ita vixit, vt insita modestia, & pudore tacitum quoddam esset alios imitamentum ad virtutem: nec minore fuit in toleranda, morbi grauitate, patientia. Alumnorum aliorum ea probitas est, vt nostra in iis moderandis, optime locetur opera. Eorum vndecim sacerdotes studijs absolutis in Angliam remissi, ante profectionem Regem Catholicum adiere, qui eos ad fidei propagationem forti animo suscipiendam adhortatus, singulosq. humanissime amplexus, ita dimisit, vt ab ipso Regis sinu missi viderentur in certamen; & iam familiarium litteris cognitum est, eorum multos incolumes patriam tenuisse. Vnus illis additus, nec sacerdos, nec satis litteris instructus, qui infirma valetudine affectus, reparandarum virium caussa patrium solum repetierat. sed agnitus

à suis

à suis in vincula conijcitur. interrogatus de Collegijs Hispalensi, & Vallisoletano; nihil omnino exprompsit: iterumq. & tertio subiectus quaestioni, acerbaq. cruciatus, cum nihil exprimeretur, in custodia relinquitur. Eum inde Anglus Societatis sacerdos, Italicae linguae peritus, mutato habitu, cum se mercatorem Neapolitanum esse diceret, dato pretio exemit. Re postea comperta, Regij satellites insidias patri tetenderunt. Sed ille his certaminibus assuetus, sua solertia illorum facile consilia eluit. Proximis litteris scripsimus adolescentes aliquot eiusdem gentis ab haereticis exceptos, diuina ope elapsos, per varios casus ad nos tandem appulisse. Ex eorum numero tres adolescentuli ad Philippum Regem Matritium hinc missi, praeclarum ingenij sui specimen dederunt. nam versu, solutaq. oratione Latine, & Graece Regem ipsum, Regiumq. filium, & Isabellam Infantem eleganter, magnaq. ingenij promptitudine, consalutarunt. Res fuit admiratione digna; pueros, qui non dum quintumdecimum annum excessissent, tantos in vtraque lingua processus habere. Regio imprimis iuueni, Hispaniarum Principi pergratum accidit, ab ijs sibi de suscepto Audomarensium patrocinio, gratias agi, eiusq. rei caussa legatos se ab ipso Collegio professi sunt. Iam Regi ipsi quam cordi sit Collegium hoc, cum alia multa, tum illud praeclare testatur; quod S. Albani martyris reliquias auro, argentoq. inclusas, gemmisq. ornatas, regio munere collegio dono dedit. accidit q. peroportune: quippe S. Albanum gentis olim suae Collegium sibi patronum adoptauerat. eae die festo Sancto Thomae Cantuariensi digno apparatu, populo venerandae propositae sunt. rem totam,

tam, & Regiam benignitatem multum carmen illustrauit.

COLLEGIVM Abulense.

IN *Abulensi Collegio ad veterem studiosorum Congregationem noua nobilium virorum, tum Ecclesiasticorum, tum laicorum accessit recens institutio sodalitas. in eam triginta sunt adscripti, probitate, & doctrina vrbe tota conspicui. horum spectata pietas in oculis est vniuersae ciuitatis; & sane digna est quae per omnes orbis claris simo praeconio celebretur. singulis mensibus sacram synaxim una percipiunt; habeturq. ad eos, ab vno de nostris eo die concio. Eorum est institutum, aegrotis, & egentibus opitulari; omnemq. ciuitatem partiti inter se, suam cuique partem; quam tueantur, adscripsere. aegrotos si cubi stratos inuenium in via, ad nosocomium ferunt. si vnus inuenit, non dubitat in humeros sublatum per medias gestare vrbis vias. sin duo gestatoriam adhibent sellam in eum vsum paratam. sin plures, certare videas inter se, ne quis eorum a pia vectatione excludatur. in pauperum funeribus gestandi feretri idem inter eos certamen: vt beati se putent, qui primi locum occuparunt; ita se mutuo, quodam modo alteri alteros propellunt. funeri omnes intersunt, exequias celebrant, cadauer pia misericordia terrae mandant. Intentum est omnium religionis, ac sanctae contemplationis studium: quidam etiam longius procedunt. quincta quaque feria, ad sacrosanctae Eucharistiae institutionem pia memoria veneran-*

dam,

dam, noctem in vigiliis traducunt. quod & piae fœminae faciunt, quae apud nostros peccata confitentur. Alij sextae feriae à prima hora post meridiem ad quartam usque pijs meditationibus, precibusq. ad Deum; tres illas horas venerantur, quibus viuens in cruce acerbissimos omnium cruciatus Dei filius nostrae salutis caussa sustinuit. ex ijs horam aliqui dispassis in crucem bracchijs, eadem religione, nec sine caelesti diuinae dulcedinis rore traducunt. Sunt etiam qui pridie eius diei sub noctem mendicum domo excipiant; situs, sordesq. corporis eluant; vestes reserciant; pedesq. exosculati eleemosina iuuent; atque ad maiorem de se ipsis victoriam, eodem cubare secum lecto iubeant. Eorum quidam mulierculas duas, quae, pudicitia proiecta, corporis quaestu male viuebant, ad honestatem traduxit. Alia confessionis, & insolens, & ignara, ab alio eorum, quem admodum, & rite confiteri, & pietatis posset affectum imbibere, edocta, facta culparum confessione, abunde suae animae saluti satisfecit. cuius rei causssa, licet ille paterfamilias esset, tamen posthabitis occupationibus, quibus de temporis aliquid, ipsa audiente, lectioni librorum ea de re scriptorum per aliquot dies tribuere non dubitauit, vt illam ad confessionem, piaeq. vitae institutionem, quam aptissime instrueret. Ex hoc sodalium numero lectissimi, non pauci subinde spiritualibus exercitationibus dant operam. Denique in hanc sodalitatem sunt omnium oculi, animiq. coniecti, ciuesq. vniuersi, tanquam rem admirationis plenissimam, suspiciunt: cetusq. hominum triginta tanta est in aestimatione, vt licet difficillima ingruant, in eorum tamen pietate, ac sanctimonia, commune

totius

totius situm esse ciuitatis perfugium existimetur. Haec in vrbe. Extra vrbem homini misero, & iam in confinio mortis versanti, ne sine sacramentis abiret, auxilium allatum. aegrotabat hic domi suae in vico, quo sacerdos è nostris aliarum rerum caussa vocatus venerat. Et quoniam anathemate percussus ab Ecclesiae communione seiunctus erat, nec parocho tanta videbatur esse morbi grauitas, vt anathemate liberandum esse iudicaret, nullius adhuc sacramenti compos factus erat. sensit ex morbi grauitate noster, mortem imminere, illius excipit confessionem, & potestate extremo tempore, ab ipso iure facta, hominem anathematis, & culparum vinculis absoluit. monet testamentum faciat; impetratq. vt quae duo supererant sacramenta, homini iam in extremis constituto afferantur. vix ijs satisfactum erat, cum è vita expirauit, vniuerso populo illi nostri sacerdotis aduentum gratulante: futurum alioqui, vt omnium sacramentorum expers, in anathemate moreretur. Auctum est annuum Collegij vectigal non modico incremento. Matrona nobilis, nostri dum vixit studiosa, moriens quingentos argenteos annuos Collegio reliquit; non quidem in praesens, sed post obitum fratris ipsius percipiendos. Eiusdem matronae obitu ius praesens Collegio acquisitum est septuaginta in annos singulos modiorum tritici, quos eius amita, nostrae Societatis olim amantissima, ipsi ea lege legauerat, vt, post ipsius mortem, huic Collegio rediret.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Palentinum.

QVATVOR in Collegio Palentino ex hac vita emigrarunt, vnus Philosophiae studiosus, coadiutor alter: sacerdotes duo, ambo quatuor vota professi, P. Franciscus à Castello, imbecilla quidem valetudine, sed concionandi vigore satis acri; & qui loquendi efficacia, prudentiaq. multum primarios viros teneret: & P. Antonius Turrianus, duos & sexaginta natus annos, quadraginta eorum egerat in Societate: quo tempore omnia paene nostrae Societatis munera ei contigit obire. latinae linguae magister fuit, magister nouiciorum, Rector, & praedicator, sincero animi candore, & flagranti studio, curaq. de hominum salute primis illis nostris patribus simillimus. quarum virtutum, & in transmarinis occidentalibus oris, & in Hispania vestigia multa reliquit impressa. ad excolendos pijs exercitationibus homines mira virtute, multosq. praesertim Ecclesiasticos ijs exercuerat. Missionum egregius amator fuit, quarum ei à P. nostro Psaepositio Generali libera facultas erat: in ijsq. strenue nauabat operam. Congressionum generalium mirus suasor. ita tamen illarum vsum probabat, si non tumultuaria opera, & subito, sed spatio sumpto ad cogitandum fierent. Ad conciones solenne illi fuit acri prius corporis verberatione se comparare: deinde cilicio indutum in suggestum ascendere, ipsas porro conciones piarum meditationum magis quam multae lectionis studio adornabat: à recepta iam, & exquisita cur

cura corporis, lectisq, dapibus concionum tempore vehementer abhorrebat: nostrosq. praedicatores euangelicos esse oportere asserebat: itaque senex pedes iter faciebat. Et cum egressus vrbe binas eodem die conciones habuisset, terna passuum millia, eundo, redeundoq. conficiebat, ardore animi robustum in senili corpore vigorem sustentante. Saepe, in itinere nouos ad eos, quibus se comitem adiunxisset, conciones sermocinando effundebat. Incidit aliquando cum ab eiusmodi obeundo munere rediret, in mendicum aegrotantem, tanta affectum imbecillitate; vt ad vrbem, quo tendebat, venire non posset; eius miseria permotus pater (& erat eo tempore Collegij Rector) miserum illum in humeros sublatum in vrbem comportabat. Sed illa ipsa hora viri nobiles aliquot, vrbe laxando animo egressi, re conspecta, patre leuato aegrotum ipsi in nosocomium deportandum curauerunt. Est in vrbe Misericordiae sodalitas erecta quae curam suscipit aegrotorum, quos premit egestas, & ratio dignitatis a publica deterret hospitali domo: inuisuntur à nobilibus duobus quotidie, victusq. vs, medicamentaq. reliqua suppeditantur; nec deest medicus gratuitus. hoc tam laudabile institutum P. Antonio totum tribuitur. itaque hominis obitus luctu non caruit plurimorum. Quod ad aliorum, qui hic degunt, attinet operam, praeter consueta nostrae Societatis officia, intra nostras aedes cohortationes aliquae sunt habitae ad eos seorsim, qui se Ecclesiae cultui dicarunt, ad eas Canonici Cathedralis Ecclesiae conuenerunt. Praeterea ad veterem philosophiae scholam, addita altera de Dialectica, vtraque auditores habet Seminarij Palentinae Ecclesiae alumnos, alios q. praeterea non pau-

cos.

cos. Ipsa ciuitas, & quae circa sunt oppida, vicig. tanta liberalitate sunt erga nos, vt decem sacerdotes cum discipulis quindecim, nouem domestico labore fratribus adiutos commode eleemosinis sustentemus, maligne à vectigali annuo parati. Nam qui templi aedificationi tectum arcendae dumtaxat pluuiae impositum. & huc quoque ciuitatis accessit liberalitas; in primis vero Episcopi electi Cordubensis, qui, cum multa superioribus annis beneficentissime contulerit, hoc anno ad fabricam ducentorum aureorum summam vnus contulit. Sacra supellex multis rebus aucta. Senatus quadringentos aureos horologio faciendo attribuit. Vir pius, quanta vtilitas è spiritalibus exercitationibus recte habitis percipiatur, sua doctus experientia, duo in eum vsum cubicula intra nostrorum parietum ambitum peroportuna suo sumptu extruenda curauit. Horum beneficentiae digna merces à Deo exposcenda. Palentiam venit inops adolescens ex vico non ita longe dissito, qui se à venerando quodam homine ad nostros adire iussum esse diceret, ab eodemq. etiam ad Collegium vsque ductum, narrabat hic se miris artibus, cum caecae matris medicinam quaereret, à nefario impostore, qui se chirurgum iactarat praestantissimum, esse delusum: ab eaq. spe sanandae matris ad immanes, & horrendas prorsus impietates esse deductum: similibus plane ambagibus, versutisq. quibus is, quem Turiasonem in Aragonia venisse narrauimus: vt valde suspicandum sit, vtranque rerum seriem esse commenticiam; & ab eodem impostore vtrobique, aliquid exprimendi caussa, credulis hominibus obtrusam. Ea narrabat, quae, si eius dictis fides sit, dubitandi locum non relinquant, quin

tantorum

tantorum scelerum molitor diabolus ad miserum illum decipiendum fallaci assumpta specie, ex imo Erebo adrepserit; qui cum post multas fallacias, praestigiasq. adolescenti persuadere non posset, vt inserto in laqueum collo ex altissima ilice se praecipitaret; idq. illi omnino sua arte, potentiaq. impune futurum affirmaret; ad extremum per vim abreptum in summam arborem pertraxit, multis felicitatis maximae promissis oneratum, vt resti ligatum inde in suspendium, vt ipse asseuerabat, innoxium deïceret: cum viri illius aspectu verendi oportuno interuentu infame mostrum euanuit, solo adolescente cum laqueo in arbore relicto. Huic ita deluso à sacerdote nostro persuasum, vt vitae totius confessionem institueret; & vt P. Turriani consilium seruaretur, multis oportunis praeceptis instructus domum remittitur, spatium, vt sumeret ad vitam ante actam memoria repetendam. Interim conuicijs, terroribusq. a consueta tartari larua, à consilio confessionis faciendae, atque à nostrorum consuetudine dicebat se esse deterritum. Demum cum satis paratus esse visus est, euolutis omni sua memoria sceleribus, e tartari faucibus extractus est.

METINENSE Collegium.

FVERAT in Metinensi collegio eloquentiae seminarium; sed dimissis adolescentibus partim ad Dialecticae studia, partim ad scholas regendas litterarum, succesere nouicij, non primi quidem tirocinij, sed ij qui studiorum spatia emensi

confir-

Digitized by Google

confirmandi animum causſa eaſdem repetunt inſtitutiones. his ſtudium eſt, primarias ſpiritus, quas primu ſuae vocationis initijs imbiberunt, in ſe, ſiquid longa tractatione ſtudiorum conſopitum eſſet, denuo excitare. Quod ad reliquum Collegij pertinet ſtatum, Villa nobis erat in Olmetenſium finibus, opidi nobilis, & perantiqui. ad immunitates quaſdam, & ciuilia conſequenda beneficia magni noſtra intererat, municipali opidi iure, poſſe frui: id opidani benigne nobiſcum communicarunt. Hoc beneficium noſtri compenſarunt grauiſſimo reſtincto incendio, quod ex diſſidio primariorum ciuium imminebat, eorum animis ad concordiam redactis. Additus noſtro templo nitor, & gratia, parietibus à ſitu expurgatis; copioſiorq. admiſſa lux feneſtris è parietibus effoſis. Ara maxima ſignarum elegantia operis, columnarumq. molem ſuſtinentium dignitate exornatur. argumentum eſt Chriſti naſcentis, eiuſdemq. circumciſi hiſtoria affabre exculpta. etſi nondum artifex plane abſoluit omnia. Argentei numi mille, & octingenti trium defunctorum legata nobis acceſſerunt. noua ad Chriſti corpus aſſeruandum, argentea pyxis comparata.

COLLEGIVM Burgenſe,

PRAETER viginti quinque, qui Burgenſe incolunt Collegium, Sacerdos vnus cum duobus fratribus in Iterenſi praedio moratur, rem ruſticam procurantes. Ceterum in Burgenſibus rebus praeter communia, de amicorum liberalitate, &

studio erga nos scribendum est. Vtergue senatus de nostro Collegio bene mereri non desistit. ea fuit vniuersae ciuitatis liberalitas erga nos; vt, praeter sacram auctam supellectilem, octingentis aureis illa aestimentur, quae toto anni decursu, eleemosinae nomine, varij nobis contulere. Canonicorum Collegium communiter frumento, eorumq. non pauci priuatim, & frumento, & pecunia inopiam nostram sublenarunt. Illustrissimi erga nos Archiepiscopi egregia voluntas est; saepe in nostro templo sacra facit; suaeq. familiae homines à nostris per confessionem expiatos, eodem in templo sacro Christi corpore ipse sua manu impertit. nos in primis amat, caroſq. habet. nostris sacerdotibus, qui concionandi munere funguntur, eundem optat spiritum, quem in primis nostris patribus animadverterat. quorum dicendi genus, diuini studio honoris incensum, auditorum pectora perfodiebat; vt mirum non sit, illos tantam, tam breui tempore, in omnes oras pietatem inuexisse. haec ille palam dictitat. ac si quem talem è recentibus deprehendit, eum amat, amplectitur, miris effert laudibus. Metropolitanae Ecclesiae Decanus, ex N.P. Ignatij praescripto ad pias se exercuit commentationes. is ea benevolentia Societatem complectitur; vt vel absens nostrae inopiae opituletur: pluraq. suppeditaturum polliceatur in dies. Sanctimonialium quoque Antistita Regij coenobij, aliaeq. eius sacrae sorores eiusdem Sociae studij nobis benigne fecerunt. Qui in Iterensi vico ruri praesidet sacerdos, vicinos circa populos peragrauit; eosq. concionibus, pijsq. sermonibus ad pietatem excitauit. Porro cum ipsis Iterensibus controuersia nobis erat de iure nostro: ea demum sedata est hoc anno ex sententia,

tentia, & eorum animi reconciliati. Domum nostris aedibus adiunctam iam antea emeramus: in ea triclinium, culinam, cellam vinariam, officinasq. duas alias rei familiari magni vsus extruximus; adiecta etiam cella custodiae sacrorum, cum atriolo. Villa de qua iam ante scripsimus semileucae dissita spatio, amenissimum habet recessum animorum lassitudini; neque est infrugifera.

SEGOBIENSE Collegium.

SEGOBIENSIVM Ciuium liberalitas erga nos egregia constitit hoc anno. Kal. Maij Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi, quos habet Ecclesia nostra patronos, diem festum praeter consuetam frequentiam, pensilibus lychnis argenteis duobus fecimus laetiorem: munus fuit nostri fundatoris: nongentis aureis stetere. Scholae aedificari coeptae. ad eam rem pecunia ab ijs, qui reipub. praesunt, adiuti sumus. à multis praeterea ciuibus priuatim ter mille argenteorum summa collecta. ad aram ornandam ab alijs aurei fere centum collati. Missi ex hoc Collegio quadraginta dierum ieiunio Villacastrense, opidum nobile, & nostri amans ordinis sacerdotes duo, veliter operam suam collocarunt. Gregorius Valuerdius, domesticarum operarum caussa duobus ab hinc annis in Societatem admissus, expleto biennio, emissis Societatis votis, magno cum animi sui fructu, e tirocinio simul, & vita in veram illam perpetuoq. duraturam Iesu Societatem excessit, sorte vtique multis inuidenda.

BIBLIOTECA Digitized by Google

COLLEGIVM Obetense.

IN Obetense Collegium Seminarium eorum, qui eloquentiae ſtudent, hoc anno tranſlatum eſt: decem ſunt adoleſcentes cum exercitato magiſtro: aliorum patrum, fratrumq. numerus nullus notatur. Inſtituitur praeterea nouiciorum pars, quos probationis domus, abundante multitudine, alere non poteſt. omnium exacta diſciplina, & ſuae cuiuſque ad virtutem acceßionis cura non leuis. vnius praeter ceteros, vt quotannis in aliquo ſolet contingere, eſt in vehementi oppugnatione, non ſine peculiari diuini numinis ope, perſpecta conſtantia. Erat hic clariſsimi iuriſcoſſ. filius, & qui Regij Auditoris munere fungeretur. Is, cum primum filij factum cognouit, longo valde itinere huc aduolat ſuaq. potentia fretus, & Regio armatus edicto, ſperabat ſe filium à religionis complexu abſtracturum. Supremi igitur Caſtellae Regij conſilij auctoritate adoleſcens à noſtrorum coetu tantiſper ſeparatur, dum eius voluntatis, atque in ſuſcepto conſilio conſtantiae fieret periculum. Pater adeptus filij poteſtatem, modis omnibus illius animum labefactare aggreditur. Erat in homine ſermonis efficacitas, erat auctoritas aetatis, erat honoris poteſtas: erant, vt ipſe ſibi perſuaſerat humana iura. His machinis adoleſcentis erat impetenda conſtantia: ad quarum impetus excipiendos erant in adoleſcente conſilium certum, amor, fiducia q. in Deum, aliaq. caeleſtia dona, ipſius animo data diuinitus: erat denique ſuperans omnia diuina gratia.

gratia. Pater diuina omnia humanaq. iura testabatur, itinerum labores enumerabat; suam, & aetatem, & quodammodo orbitatem commemorabat; fratrum ipsius numerum, & aetatem tenaram: tum, siquid sibi iam seni humanitus contingeret, solitudinem referebat. Ad haec filius, nihil tam longa circuitione opus esse: sibi verum esse non ante à sua religione recedere, quam testimonio virorum sapientium, eorum chyrographo signato, sibi fides fiat, non posse ipsum citra mortalis noxae culpam in Societate permanere: laetas ea conditione pater, chirographa corrogat multorum: sed hominum haud dubia, qui Praetorum edicta, & Iustiniani sanctiones tenerent, diuinarum rerum, diuinorumq. consiliorum iura ignorarent: internarumq. motionum, quibus diuinitus immissis, hominum animi feruntur in Deum, prorsus essent expertes. Sed non fuit humanis artibus diuina prouidentia inferior. alias, & adolescens sapientiora consuluit, quorum non modo sententia in suscepto consilio manere iussus est: sed nullo negotio est, qui contra senserant, de sententia decedere coacti. Visus primo certamine pater, quoniam illi dies ad peregrinandum definitus iam abibat, ad suum redire necesse habuit iurisdictionem: & nunc longe positus filio molestus esse non desiit. quitamen adhuc fiebat oppugnatione ipsa, telloq. constantior. Morbidus fuit hic annus contagiosa quadam febri, regionem totam infestante, quae late graffata ingentem hominum numerum lecto affixit, feda res erat, ac prorsus miseranda. lucidae in corporibus maculae apparebant. tantaq. morbidorum erat multitudo; vt nullus esset è nostris sacerdotibus, qui non saepius exire quotidie cogeretur. neque

nem descendunt ad nos: vicinisq. opidis catechismus exponitur. Aurienss Episcopus Aduentu, & Quadragesima duos è nostris accersit concionum, & catechismi caussa. Conciones celebratae nobilium, & plebeiorum frequentia. catechismus bis quaque hebdomada explicatur: agmina puerorum concentientium per vrbem circunducta, magno fuere Episcopo de fenestra spectanti oblectamento; vt ea spectaculo satiari non posse videretur. Per idem tempus in Xenodochio, temploq. alia statis diebus pij conuentus celebrati, magno omnium ordinum concursu: exemplisq. sanctorum virorum referendis, de ratione pie, sancteq. viuendi disputatum. confessiones, tum ciuium, tum paganorum, qui ea tantum de caussa ad vrbem conuerunt, auditae quamplurimae; multaeq. à pueritia inueteratae pax inter multos reconciliata. gentium dissidia, magnis orta de caussis inter duo capitum paria magnae auctoritatis sublata.

COLLEGIVM Pompeiopolitanum.

POMPEIOPOLI minuendi numeri necessitatem fecit Collegij demolitio: cuius pars vna cum templo, quod ruinam minaretur, solo aequata est, nouumq. excitari coeptum domicilium. ciuitas in partem sumptuum venit. spem facit ad hunc, se plura suppeditaturam. Extruitur, & villa Collegio vicina, speratur secretis meditationibus, & nostrorum remissioni opportuna. Obijt P. Paulus Stephanus, vir indefessi laboris, non ciuium modo, sed Vascanum quoque, aliorumq.

circa

circa populorum, quorum ille linguam nouerat, magno dolore. Admissus hic scholasticus vnus, ad Societatis munia, vt sperabatur, idoneus, in tirocinio breui decessit. Praeter ea, quae quotidiana & his, & alijs circa locis acta sunt; duae insignes fuere Missiones, ad duo Nauarrae castella, nobilissima; quibus in locis vix relictus est vnus, qui nostros non de sui officij ratione, vitaq. & moribus corrigendis consuluerit, vtrobique magna facta morum mutatio. Christo laus.

COLLEGIVM Arcualense.

PVSILLVS grex Arcualensium muneri suo non defuit. Sed quae hic gesta sunt, inter magna illa sunt habenda, quae, vt vsitata reticentur. Confessionum, quae multae, & multorum annorum fuere, aliorum munerum strenue, administratorum fructum testatur piorum liberalitas. Sacrae enim casulae colorum variorum sacrorum vsui dicatae sunt. Magistratus ciuitatis habemus nostris amantes: faueniq. non modo nostris rebus, sed etiam ijs, quibus patrocinamur, aut quorum causas commendamus, ijs quantum per leges licet, nostra causa libenter indulgent.

COLLEGIVM Numantinum.

NVMANTIAE multis insontibus diuinum in primis bonitas, tum nostri sacerdotis opera

opera maximum vitae infami aeque periculum auertit. Astutus quidam veterator, ita simulatione sanctimoniae suae vitia obtexerat, vt omnium aciem praestringeret, & vir innocentissimus, & pietatis plenus haberetur. Hic infandi criminis conuictus, sui doloris interitus extimulatus, & Stygia rabie adactus, ne solus periret, solatium sibi quaesiuit ex alieno malo. malos tum ciues, tum externos homines ab ea labe prorsus integros, ementito indicio in eandem calamitatem secum traxerat; vt illorum supplicio suae morti parentaret. ita insontibus hominibus carter miserandum in modum complebatur, res iudicio bonorum plus habebat miserationis, quam infamiae. quippe licet scelus illud in his oris esset inauditum: nemo tamen non intelligebat, haec à vecordi homine diabolica malitia esse conficta ad suam infamiam multorum contagione obscurandam. eoq. magis, quod constabat ipsum dixisse: facturum se, vti nomen suum Hispania tota commemoraretur. Ipse porro sceleris machinator in sua erat nequitia pernicissimus: vt non facile deuocandae ab innocentium hominum infamia interpellatores audires, omnium minime nostri ordinis homines, quorum congressum, colloquiumq. incredibili odio vitabat. Maturabat magistratus ex lege supplicium. Senatus innocentibus consultum volens, diem trahere nitebatur. cum differri longius non posset, virum primarium afflictae ciuitatis nomine legauit ad nostros, vti sacerdotem eum, qui esset à concionibus, ad reum mitterent: sperare se prudentia, & efficaci hominis sermone inflammatum damnati hominis animum demitigari; & aliquid ad salutem innocentium ab illo exprimi. Et commodum diui-

na

nu clementia factum est; vt per idem tempus suorum scelerum conscientia reus agitatus, nostri eiusdem sacerdotis congressum postularet. inuisitur à nostro: denium facta totius actae vitae confessione, omnes, quos falso indicio prodiderat, publica testificatione, eius contagionis infamia liberauit. falsa esse omnia, & nocendi animo, atque intestina rabie à se conficta. ita diuino tandem beneficio, insontes vinculis exempti, ciuitas moerore, luctuq. leuata, & gens vniuersa, finitimiq. turpissimi sceleris infamia liberati.

COLLEGIVM Onnatense.

QVATVOR, qui in Onnatensi Collegio degunt sacerdotes, cum fratribus duobus, Societatis nostrae ministerijs opidanis, & alijs circa populis magno fuere adiumento. Frequens est hominum ad nostrum templum concursus, cum pomeridiano tempore statis diebus de corrigendis moribus piae disputationes habentur; vt multi angustijs exclusi, extra limen auditores assistant. conciones etiam studiose, nec sine fructu in templo alio audiuntur. Opportune etiam excursione quadam aegroto cuidam opem tulere, viuendi licentia infami. qui ne in graui quidem morbo, ac discrimine mortis constitutus, vllos de animi salute sermones admittebat, hic nostri sacerdotis oratione permotus, & pie testamentum fecit, & se ad mortem, vt pie sacramentis obitis comparauit; vt passim opidani opportunum ei nostrorum aduentum mirarentur; ac de pia hominis antea profli-

gati

gati morte Deo grates agerent. Dissidia aliqua, composuerunt. in ijs vicos primarios duos ad pacem, concordiamq. reduxerunt. qui non modo grauissime sibi erant infensi; sed manu etiam pugnauerant inter se. vterque autem suis succinctus clientelis in periculi societatem, regionem omnem pertrahebat. ita ambo in mutuos amplexus venerunt: peccataq confessi, diuinam Eucharistiam ex eadem manu perceperunt.

COLLEGIVM Vergarense, & Sanctanderense.

VERGARAE prauae adhuc, & perniciosa, quae priorum temporum vitio in moribus insederant, post aduentum nostrorum profligata, & extincta, ipsi fatentur quidam: seq. nouaquadam luce sentiunt ad diuinarum rerum cognitionem illustratos; ac Dei singulari beneficio collegium hoc sibi datum profitentur. De Sanctanderensi collegio plenius scribetur alias. nam in praesens, grassante pestilentia, litterae iamdiu nullae inde perferuntur. Tantum illud cognitum; nostros, qui ibi versantur, homines nullo loco tabidis, atque affectis pestilentia deesse. neque inuandorum miserorum laborem vllum, periculumue subterfugere; vt Illustrissimam feminam Magdalenam Villoam non poeniteat huius quoque tertij collegij fuisse fundatricem, cuius vectigal hoc anno quadringentorum aureorum annuo auxit prouentu.

COL-

COLLEGIVM Salmanticense.

OBIIT *Salmanticae frater vnus Theologiae studiosus. admissi alij non nulli. exercitationibus spiritualibus non pauci exculti. ex ijs adolescens nobilis sub ipsis nuptijs studiose, accurateq. diuina meditatus, rei fructum persensit, vt ipse testabatur; cum, paucis à nuptijs mensibus, ad exitum vitae peruenisset. Alter è prima Academiae nobilitate, cum Dei ad sanctiora se vocantis internam admonitionem percepisset, concione permotus, quam de Christi nece à nostro sacerdote audiebat, flexus in genua voto se religionis obligauit; illoq. ipso die recta ex nostris aedibus ad eius, quam voto conceperat, familiae coenobium se contulit. Erat nostris aedibus area publica coniuncta, quam etiam via publica interse abat. ea si nostri iuris esset, valde nostris vsibus esset opportuna: sed difficile videbatur, illius vsu, & viae commeatu priuare ciuitatem. Benigna tamen ciuitas, & nostri studiosa, non graue duxit eam nostris precibus concedere. Excursum ad opida vicinitatis huius maxima: confessiones innumerabiles auditae: dissidentes multi reconciliati: & lucra iniusta restituta.*

COLLEGIVM Compostellanum.

HABEMVS, *& in Compostellano Collegio Seminarium alterum eorum, qui se ad eloquen-*

eloquentiam exercent. Eius hic alumnos discipli-
nae habemus octo, exercentur accurate: ingenij,
studijq. sui declamationibus, interpretationibus,
aliisq. id genus exercitationibus specimen praebent.
prima vero illorum cura est, fructus pietatis: in cu-
ius ita studium incumbunt; vt tirocinij discipli-
nam continuare videantur. Attexam huic loco
scholarum reliqua, tenuem quidem, ac leuem ap-
pendicem, sed quae magnorum contineat semina,
bonorum. Rogatu Archiepiscopi elementarios su-
scepimus erudiendos, eiusq. rei caussa eiusdem li-
beralitate Antistitis, duas exedras extruximus,
quibus pueri excipiantur, legere docentur, & scri-
bere, & rudimenta Arithmetices: quibus rebus
maxime tenuiorum indiget multitudo. Confluunt
ad scholas non vrbani solum, sed pagani etiam a
decem, duodecimq. leucis. Non defuere initio, vt
fieri solet, aduersarij: sed probata ciuitati vtili-
tate, irrito conatu destitere. nam sincerae animu-
lae Christianae fidei rudimentis imbuuntur: quae
cum in schola didicere, domi ipsi docent alios: ita
sensim diuini cultus initia per tenerae aetatis pue-
ros in familias inseruntur, ac propagantur. Stu-
dium audiendi sacra, rosaria percurrendi, aliq.
sacri ritus, aliasq. pias consuetudines à pueris im-
bibunt adulti. & iam, postea quam nostri puerilem
hanc institutionem suscepere, cantilenae turpiores
per vicos, & plateas obticuere. haec siquidem ci-
uitati vniuersae multo maioris momenti visa sunt,
quam quae ab aduersarijs obtendebantur. quin ip-
si aduersarij rei vtilitatem admirantur. Maiores
etiam, quam pro facultate, ipsi pueri suscepere spi-
ritus; maioraq. ausi sunt, quam per aetatem posse
videbantur: nam pumiliones instar gigantum sal-

tare

tare didicere: Comoediam de sacrosancta Eucharistia, quibus feriis ea solemnia celebrantur, in scena egerunt, spectante Archiepiscopo, vniuersaq. ciuitate: & plausum tulere, & admirationem. praeclarum sane specimen in tam molli aetate ingeniorum; nec minus institutorum industria laudanda. & habet haec quoque popularitas ad maledicorum ora obstruenda magnam vim. Ad ordinarias superiorum annorum concliones postulauere Quaestores fidei, vt aliam sibi quadragenario tempore, quaque saltem hebdomada semel adderemus. Per idem tempus quarta, & sexta feria ad eos, qui Academiam frequentant, alioſq. confluentes, de pietate disputatum, argumento petito ex sanctorum virorum historia: secundum eam disputationem psalmus quinquagesimus lugubri harmonia canebatur: cantui comitabatur verberatio. Excursum in remotiores terras, à cultu, & commercio seiunctas: rudesq. populi magnam nostris hominibus de se bene merendi occasionem praebuere. Anni sterilitas attulit insalubritatem; multiq. tum ciues, tum externi graui morbo laborarunt; vt non animis solum, sed etiam corporibus à nobis aegri remedia exigerent: neque nostri opem suam indigentibus, etiam supra collegij facultates denegarunt. Sed ne illi quidem contagionis expertes fuere, omnes enim ad vnum decubuere. quatuor praecipue periculose aegrotarunt; qui tandem Dei beneficio conualuere. & fuit sane post tot pericula, haec incolumitas opportuna, ad opem nostris ferendam, qui huc è regia classe, afflicta, valetudine, se receperunt; nam haud ita multo post classis in portum Ferrulensem, non procul ab hac vrbe, se recepit hiematum, è qua nostros aegrotos huc transportan-

portandos curauimus, tres tamen in ipso porta, ante quam ijs possemus opem ferre, praecurrente vi morbi celeritati nunciorum diem suum obiere: P. Laurentius Figueroa, P. Didacus Abulensis & Ioannes Anglus frater adiunctus illis comes. Sacerdotem alium è Toletana Prouincia fedo naufragio tempestas absorpsit, qui tamen potuisset in aliud nauigium transcendere, quo inuitabatur, & periculum vitare; ne tamen vectores suae nauis extremam opem in ipso mortis turbine postulantes desereret, generosa animi magnitudine, & inuicta caritate se ipsum dedit in discrimen. Qui huc se receperunt afflictam recrearunt illi quidem valetudinem: sed morbi adhuc reliquijs haerentibus nondum plane conualuere. Vnus ex Betica Prouincia sacerdos magno nostro, classiariorumq. dolore extinctus est: erat enim ob egregiam virtutem classis Praefecto Martino Padillae, nostrae Societatis amantissimo percarus. Domi exaedificata sunt cubicula aliqua, & triclinium absolutum. nunc in summa aedium parte menianum cum pergula extruebatur, ad coeli, agriq. prospectum, & ad amenitatem, hilaritatemq. fatigatorum; praesertim siquando diebus feriatis nostri pluuijs, quae frequentes esse solent in hac terra, domo exire prohibentur. Leuatum est etiam Collegium pensione, quam ex parte nostri census diuendita quotannis persoluebat, pretio emptori restituto. Laudanda profecto diuina bonitas, quod tot incommodis afflictis, impensa etiam aedificationis grauatis, facultas quoque aeris alieni dissoluendi suppeditauerit.

BELLIMARENSE Collegium.

SACERDOTES duo, qui Bellimarensis Collegij sedem incolunt, non in urbe solum, sed in opidis, pagisq. vicinitatis eius, operam in re christiana promouenda collocarunt. quo factum est, vt tenuis collegij abunde sublleuetur inopia: panis enim, & vini comparandi nulla cura, paganis vltro magna copia suppeditantibus. Et hic quoque aedificatur: & iam bona collegij pars resarta erat: quod vetus trabium vitio collaberetur. Aeris alieni etiam soluta pars: redempta tertia pensionum parte, quae ex vendítione praedsorum retentu fructibus pendebatur. gratis agendae diuinae bonitati.

COLLEGIVM Legionense.

E Legionensi Collegio sacerdotes ad opida duo missi magno cum animorum lucro rediere. siquidem paene omnes vltro totius vitae peccata confessione euoluerunt. Domi spiritalibus exercitationibus viri primarij aliquot, & parochi non nulli sunt instituti.

COLLEGIVM Montis fortis.

QVONIAM Collegium Montis fortis non ita pridem habitari coeptum est à nostris; & hoc biennio Latinitatis scholae sunt apertae; quo melius rerum initia, progressioq. intelligantur, quaedam videntur altius esse repetenda, superioribus litteris partim omissa, partim non ita plane explicata. Est non ita procul à Monte Forte ciuitas Lemensis. huius Regulorum familia peruetusta iam inde à primis temporibus domicilium habuit in Monte Forte: ex hac familia Illustrissimus Rodericus à Castro S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Archiepiscopus Hispalensis, cum patriae consultum vellet, huius fundandi Collegij cogitationem suscepit. bis millenorum aureorum in singulos annos vectigal fundauit. sedem Collegio delegit extra vrbem ad ripam praeterfluentis Lauei, vt vulgo nominant. solum peramplo aedificio, gymnasio, hortis, pomario attribuit; adiecit gemina noualia, quae statim proscindi, ac conseri coepta sunt. à ciuitatis etiam senatu area peramplа impetrata, contra Gymnasium, in qua porticus est instituta pedum octo, & septuaginta supra trecentos. spatium praeterea in eadem area relictum (tanta est amplitudo) extruendis aedibus hospitio studiosorum aduenarum. Atque, vt à primis litterarum incunabulis nostrorum opera pueritia instituatur, cum primum nostri hanc sedem incolere coeperunt, voluit Illustrissimus Antistes Abecedariorum ludum aperiri. res statim initio

suscepta

susceptæ perbelle præcessit, ita cum duobus ab hinc annis ipse rei inspiciundæ caussa Montem Fortem venisset, quoniam non dum Latinitatis scholæ erant institutæ, exceptus est à multitudine elementariorum incredibili, saltationibus, choreis, alijsq. gratulationis argumentis, quando maiora, quæ præstare possent, non erant. non tamen usquo eo infantes fuere, vt non æmularentur laudem adulterorum. ipsi quoque suas lepidulas comœdias dedere, magna cum sapientissimi Præsulis probatione. Tam felix lætumq. initium ita exhilarauit Cardinalem, vt aliquot numeorum millia ad perurgendum opus ædificij elicuerit, ita septem scholæ iam propemodum absolutæ cernuntur, magnificentia plane tanti Principis dignissima. cum templi, domiciliq. ædificatio ita procedat; vt si, quod optandum est, vita suppetat, breui totius prouinciæ pulcherrimum, magnificentissimumq. Collegium visuri simus. & quoniam huc ab vrbe Lema iter est, & longum, & multis anfractibus sinuosum, & perplexum; suo ære viam recte tramite aperiendam, complanandamq. suscepit. eiusq. rei caussa agros non nullos, qui, qua ducenda erat via, intercurrebant, coemit. & erat iam opus totum prope absolutum. magno vtique vrbis huius ornamento; vt prope nihil, atque hoc ædificium, & via, in huius vrbis finibus æque spectabile cernatur. Viæ nomen est inditum, Regio Cardinalis. Superiore anno primum Latinæ scholæ aperuimus. eas numerant hoc anno discipulos sexcentos, elementariorum vero trecentos quinquaginta. addita & de conscientiæ caussis schola, auditores habet iam triginta. Ex ijs, qui hic degunt; frater est operis ferrarij artifex longe peritissimus, huc

egentes, alter ex ijs fratribus, qui ludo praesunt, eleemosinas ijs quaerit ad ea, quae opus sunt, tum ad vitam sustentandam, tum ad illa paranda, quae scholae usus postulat. ita Dei benignitate, omnibus pro facultate consulitur. Rem felicibus initijs institutam diuina miseratio secundabit.

COLLEGIVM Villagarsiense, cum coniuncta Probationis Domo.

EST cum Villagarsiensi Collegio coniuncta Probationis domus: in qua tirones ita ad Societatis normam instituuntur, vt tamen reliqui in proximis iuuandis strenue incumbant. E tironum numero Petrus Inusus ea significatione pietatis diem suum obijt; vt, qui viuerent, illi mortem inuiderent. Scholae tres quadringentos habent adolescentes, ita obsequentes, & modestos: vt multum è vicina tironum institutione hausisse videantur. Ex ijs vnus admitti se in nostrum cetum postulabat. pater humana sagacitate rem odoratus, quantam perniciem afferat mundi prudentia contra pietatem, magno suo cum malo expertus est, filium enim dum ne ammittat, contendit; funditus perdidit, à religione abduxit, neque sibi retinere potuit; eum longe amandauit. is à consuetudine nostrorum seiunctus, non ita multo post, facta mutatione morum, caedis per insidias patratae scelere se obstrinxit. pater ingenti fortunarum facta iactura, filio priuatur, amens adolescens, domo profugus, extorris, sedem, vbi tuto consistat, vix reperit; vterque spretae pietatis documentum miserabile,

ſerabile, vtrunque Deus ſua velit miſeratione reſpexere. Illuſtriſſima fundatrix noſtra Magdalena Vlloa argenteas lampades duas pretio octingentorum aureorum templi ornatui dedit. Eadem ſepulchri molem, quae erat in medio templo, ſibi, & Ludouico Quiſadae coniugi, Dynaſte maximo in ſubterraneum ſpecum tranſtulit, & ſacellum cum ara adiecit, pietate perfundens ſubeuntes.

Caella ſacrorum cuſtodiae affecta iam eſt, nondum plane confecta, & propter eam cubicula trigintа opere non minus ſpecioſo, quam firmo.

Additum horologium ictus horarum diffundens magno ſonitu; quadringentis aureis aeſtimatur.

PROVINCIA MEXICANA.



D Mexicanam Prouinciam, quasi quae dam appendix accedunt Philippinae Insulae; quae tamen proprio regun tur Proprouinciali. Tota igitur Prouincia, Philippinianis adiunctis, capita septem, & septuaginta numerat supra ducenta. quindecim supra centum sacerdotes, fratres litterarum studijs addictos quinquaginta quinque; reliqui, aut domestica procurant, aut tirones nostrae militiae rudimentis exercentur. Porro è sacerdotibus octo, & quadraginta, quatuor votorum professi: trium tantum, tres: coadiutores ascripti spirituales septem Ex ijs, qui in studijs versantur tredecim Theologiae, Logicae totidem, quindecim philosophiae, humanitatis litteris quatuor student: decem eas alijs docendis occupantur. Constat haec prouincia omiss. Philippipis, Professorum domo una, collegijs septem, quorum vni adiuncta est Probationis domus, Residentijs tribus, & missione una, tribus ab hinc annis suscepta. Accedunt Hispanorum adolescentium nostro conuictu disciplinaq. utentium Collegia duo. Proprius eorum numerus,

numerus, qui in continenti Mexicano versantur, eam quarundam familiarum sit incertus, notari non potuit. referetur autem in singulis familijs, prout in prouincialibus litteris inuenimus.

DOMVS PROFESSA Mexicana.

QVATVOR in partes nobis Mexicana tota diuisa res est, in Professorum domum Mexicanum Collegium, aedem S. Gregorij, & Seminarium S. Ildefonsi. & primum quod ad professorum domum attinet, hoc anno demum superatis difficultatibus, quietam illius possessionem adepti sumus; cum antea omnium ordinum homines fere illim, tum aedificationi, tum possessioni acriter aduersarentur. ita demum factum est, Dei beneficio; vt, quod ante legitima, nunc etiam pacifico iure, & summa ciuium voluntate teneamus. omnes enim aduersantium conatus eo reciderunt, vt magis illustrata Societas, notior sit iam Mexicanis; & nostra officia auidius à ciuitate vniuersa expectentur. Cuius benignitate duo, & viginti socij aluntur in hac domo. Coempta etiam sunt aedes ad nobilissimam vsque viam nobis pertinentes, ponderum (nouum monetae genus id est) millibus viginti quinque, ad templum extruendum, cuius prima fundamenta propediem iactum iri speramus. Interim, quod annis superioribus raptim extruximus, resconcinnatum, vsum, quam ante nobis praebet laxiorem. domestica est etiam laxata sedes, & aucta supellex ad vsum familiae, etsi non amplae, satis commodum. Ex hac fami-

familia ad caelestem emigrauit P. Ioannes Longus Toletanus, votorum quatuor professus. Hic natus annos quinque, & viginti Societatem ingressus, totidem in ea magna cum laude transegit. Duobus prouincialibus adiunctus comes: post Angelopolitani Collegij moderator, postremo totius Prouinciae consultor, omnibus apprime carus, multarum egregiarum virtutum documenta praebuit; vt non domesticorum solum, quibus pater esset: sed externorum quoque animos comitate, & sermonis lenitate sibi mire deuinxerit. quod mero re funeris indicatum est: multi enim viri clarissimi, illius exequias cohonestarunt. vir fuit dum viueret, tum virtutibus ea, quae religiosum virum decent, tum insigni ornatus amore pauperatis; vt codices etiam, libellosq. pios, quibus facta potestate uteretur, sibi vt subtraherentur, saepius contenderit. Conciones in nostro templo habentur, & in maximo vrbis foro: & quidem in templo à P. Petro Sancto pomeridianis horis de sacra historia. magna audientium cum fructu: vt quidam illarum vtilitate testetur se in his terris detineri, cum in Hispaniam ad magna emolumenta inuitetur. In foro vero incredibili concursu non infimae tantum plebeculae, cuiusmodi tales esse solent; sed honestorum etiam virorum. sequutus est non solum populi plausus, sed, quod caput est, magna etiam in multis male actae vitae detestatio: confessiones, & pueritiae multae repetitae: & nouelus mamenti restitutiones multae. Clero, vt fe signa dant, vtimur admodum benevola: qui: vt aliquod suae voluntatis argumentum daret ergà nos, solannes supplicationes duas ad templum nostrum instituit, semel Rogationibus, verum Ecclesiae vastitudini

iterum

iterum die Angelorum Principi Michaeli sacro, ad periculum auertendum, quod nostris portubus, & classi Hispaniam repetenti ab Anglo imminebat, siquidem amissione Calitiensis portus in rabiem versus, ac furorem, rostratis celsioribus octoginta mare infestum habere coepit; ac post expugnationem, direptionemq; Gadium, classi ex Hispania Hesperias hasce oras petenti eam trepidationem, ac terrorem iniecit; vt vectores, mercatoresq. ne suis opibus hostem ditarent, onerarias incenderint. Tanta tantarum opum iactura, & amissa spes nouarum mercium ex Hispania submissarum, non magis ipsos mercatores, classiariosq. damno, quam Mexicanos, reliquosq. horum tractuum incolas moerore, & terrore affecit. Ita frequentes omnes, suppliceſq. ad templa iere; diuinamq. misericordiam, sanctorumq. coelituum opem exquisiere. Hi omnes eo praecipue die quo supplicatio ad nos deducta est, accurata; piaq. nostri sacerdotis concione subleuati sunt. docuit enim id genus calamitatis saepe puniendae humanae contumaciae, diuinaeq. legis contemptioni; diuinitus immitti. Quippe homines diuitijs inhiantes, neglecta animi salute, dummodo vndecunque colligant pecuniam, nil pensi habent, quid aequum sit; quid iniquum. merito igitur has à diuina prouidentia permitti animaduersiones. desistant ipsi ab iniuria, ab iniqua lucrandi ratione; luxum, fastum, impotentesq. cupiditates abijciant: non defuturum diuinum auxilium. Hac oratione recreati animi, conceptaq diuini placandi numinis religione, melioris vitae studium susceperè. Ita aduenientе die, quo solenni cerimonia caelituum omnium memoria repetitur, maiore animi affectu eam religionem

exceperunt. Sanctorum reliquiae argenteis thecis incluſae, populo magna frequentia confluenti propoſitae, magnam venerationem habuere. nomina etiam ipſorum caelituum ſortito diſtributa ſunt, aſtante Prorege: qui & ipſe ſtexis genibus patronum ſuum ſortitus, ſuae pietatis exemplo, non mediocriter popularium animos ad eam religionem, ſanctorumq. qui in coelo degunt, venerationem excitauit. Poſtero die eadem frequentia, & pietate anniuerſaria defunctorum obita commemoratio, vtroque autem die ab eodem Sancio habita concio, omnem per id tempus excitatam pietatem cumulauit. Noſocomia toto anni decurſu, & carcer de more obita. aere alieno preſſi aliqui noſtrorum opera è carcere emiſſi, debito, vel ſoluto, vel laxato, vel etiam remiſſo. Impetratum item à Iudicibus mitius vt in ſontes animaduerteretur. Et cum rei non nulli, ſcelerum conuicti, in culpae ſocietatem multos, & claros viros trahere conarentur; data eſt opera, vt quae, vel odio, vel metu dixerant, reuocarent: & ante compreſſum malum, quam erumperet. Doctrina Chriſtiana, mancipia vtriuſque ſexus, indigenaeq. Hiſpanicae linguae periti imbuuntur; & eorum confeſſiones audiuntur. Omnino ingens eſt eorum numerus, quos paenitentiae ſacramento noſtri plurimum adiuuerunt. In his mulier, quae ſuſpendio ter conata eſt ſibi vitam eripere, diuinae matris praeſenti auxilio, memoriaq. eorum, quae audierat à noſtris, & mortis periculo, & mentis inſania liberata eſt.

COL-

COLLEGIVM Mexicanum.

IN *Mexicano* Collegio, quot alantur, expressum non est. Quinque sunt latinae linguae scholae: duae, quibus duo philosophicae doctrinae cursus explicantur: totidem Theologiae, quibus accedit tertia, qua diebus alternis sacrorum monumentorum libri & quaestiones de conscientiae iure explicantur. Ex hoc Collegio duo praeclarae religionis, ac virtutum lumina ad meliorem vitam excessere. Ildefonsius Lopesius, fornatus coadiutor temporalis, Inoiosis in Conchensi dioecesi natus, qui multos annos magna cum laude in seculari vita medicinam exercuerat; suaeq. artis peritia ad magnas opes peruenerat; magnumq. sibi nomen comparauerat, non artis modo praestantia, sed nobilium etiam operum magnitudine. nam, & illustre sacrarum virginum Coenobium sua impensa, & amplam hospitalem domum pauperibus harum regionum exstruxerat. quanquam hanc piorum virorum eleemosinis adiutus absoluit; vt admirationi esset omnibus: virum tam egregium, tanta olim existimatione, tanta animi submissione in abiectissimis quibusque rei domesticae ministeriis tot annos in Societate esse versatum. nimirum diuinus illum regebat amor: quaeque suapte natura difficilia, illi plana faciebat; &, quod maiorem habuit admirationem, homo tanta laude, tantis opibus assuetus, grandaeuus iam, religionis consilium suscepit: quinquagenarius enim ad primam nostrae Societatis probationem admissus est. in ea cum diutius, quam

putarat

putarat, detineretur; suspicatus suam, vel aetatem, vel conditionem patribus minus probari; ac propterea de se dimittendo consilia agitari; vt sibi manendi necessitatem faceret, ac patrum consilio impedimentum aliquod obiiceret, barbam, quam promissam, & diffusam, ad eam diem aluerat magna cura, ex altera mala totam sibi desecuit, parte altera incolumi, intactaq. relicta: ita sine mora, è vanea emissus, ad aliorum nouiciorum cetum adiunctus est. In Societate tanta semper cum animi tranquillitate, & spiritali quadam iucunditate vixit: vt diuere soleret, secundum P. Ignatium, neminem se laetiorem in Societate vitam egisse. nunquam homo id aetatis à ceterorum conuictu consuetudineq. recessit: nihil vnquam commune recusauit; nihil sibi praecipuum optauit, nisi siquibi corpus esset opprimendum: id enim vnum habuit praecipuum; vt ad somnum nunquam, nisi in morbo, culcitram adhiberet; sed nudis asseribus perpetuo cubaret. obedientiae vero vsque adeo fuit studiosus, vt vitae potius, quam obedientiae iacturam facere voluerit. nam graui lateris dolore oppressus, cum videret medicum ab ea curandi ratione recedere, quam ipse longo vsu in alijs experta esset salutarem; ita non est illius curationi aduersatus, vt magna animi quiete se totum ad medici praescriptum, quod ita esset in regali Societatis, curandum, tractandumq. permiserit. itaque multa sanguinis missione exhaustus, quatuor diebus ea, qua vixerat, animi tranquillitate, migrauit è corpore xviij. Cal. Februarias insequenti anno CIↃ IↃ XCVII, anno aetatis suae sexagesimo secundo, duodecimo, quam venerat ad Societatem missi emissa conditoris vota, sexto. Alter fuit Franciscus

ciscus Simon, Rodrigopoli natus in Hispania, item coadiutor, homo triginta septem natus annos, & qui in Societate sexdecim tantum ageret, ita tamen, vt breui tempore longos habuerit processus ad virtutem. Hi praecipue virtutibus ornatus, ea morum grauitate, ea vultus, ac totius corporis compositione ad modestiam, vt domestici in illum, tanquam in exemplar sanctimoniae intuerentur, saepe in omni sermone virum sanctum appellarent. Indefessus asperitatum corporis, & assiduorum laborum perpessor. Nam ad opsonatoris munus, vix vacuum tempus vilium transigeret ab opere, accedebat assiduus, ac propè continens labor artis carpentariae. Super hos labores cilicina tunica, crebra verbera, & subilis duritia, vt corporis instrumenta retundebant, ita in animo internas ad Deum motiones excitabant: ex quo tanta totius hominis interior, exteriorq. tam moderata compositio facilius cum ceterarum virtutum concentibus harmonia, tanto diuinae gloriae, alienaeq. salutis amore tenebatur, nullam vt praetermitteret occasionem, aut bonis monitis iuuandi ceteros, aut hominum animos ad caeleste desiderium inflammandi; ac si quando se minus porrigeret occasio, vltrò ipse eam pijs sermonibus inijciendis accersebat. De rebus alijs mirum silentium. Pudicitiam, quam insitam in animo haberet, tum doctorum, tum ipsius vultus modestia, tum illud maxime indicabat, quod apparebat, nihil illi grauius accidere, quam cum inter legendum, vel in ipsis sanctissime scriptis libris, aliquid occurreret, quod rem oleret aliquam minus pudicam: vt mallet eo se priuare lectione, quam earum rerum animo speciem obijcere. Quare anxius verba illa praeserti-

bat,

bat, quae indignum iudicabat ore illo proferri, quo Sanctissima IESV, MARIAE que nomina pronunciantur. Paupertatem adeo coluit, vt in cubiculo non modo instrumentum nullum, sed ne, quod minimum est, habentq. omnes, sellam, mensamq. habere voluerit. quin etiam cum ex Hispania huc nauigantibus eleemosina Philippi Regis omnibus noua dentur indumenta, nunquam adduci potuit, vt ea indueret. Optandum vtique multos eiusmodi Societati dari. His instructus virtutibus, viridi adhuc aetate, caelo maturus, grauissimis stomachi victus doloribus, cum biduo acerbissimos cruciatus magna patientia tulisset, iv. Cal. Augusti consumptus est, magnum vterque, cum collegio huic, tum ciuitati vniuersae sui desiderium reliquit. Sed iam ad viuentium facta, veniamus: quorum prima, & maxima proximorum adiumenta hic sunt scholae, scholasticaeq. exercitationes. Qui nostrum gymnasium frequentant, quadringenti fere sunt auditores: in Europa numerus non magnus: in tam remoto orbe, genteq. à nostro cultu aliena, non exiguus: atque hi non minus pietatis, & virtutum, quam litterarum, & doctrinae studiosi: siquidem multi ad varias se se religiosorum familias contulere; ad Augustinam praesertim: in quam, cum quadraginta ad eam aspirarent, duodeuiginti tantum sunt admissi. litterariae actiones saepius in clarissimorum virorum editae consessu, in repetitione studiorum, & primo ad nos clarissimi Proregis aduentu, datum est Drama, quo ingenioso commento, latino carmine, optima educandae iuuentutis ratio exponebatur, ipso Prorege, cum Regijs Senatoribus, ac totius nobilitatis fere omnium, religiosorum ordi-

num

vum numeroso ceiu spectantibus. in cuius extremo actu oblata sunt emblemata Proregi; quae ex eius familiae insignibus deprompta discipuli composuerant. quorum summum illud fuit argumentum: Proregis nobilitatem, vt indicarent: & quantopere conducat reip. si viri principes litterarum studia promoueant. quibus rebus mirum in modum generosus princeps delectatus est. itaque, & eo die, plausus actoribus est datus, & postridie ab ipso Prorege in Regiam acciti adolescentes, cum suis quisque tabulis emblematum, magistris ducentibus, venerunt. Prorex singula cognoscendo, de cuiusq. studijs, doq. eorum parentibus studiose sciscitando, diem traxit in vesperum. ita mensa exceptos humanissimis verbis, & magna animi significatione, praeserim in Societatem, sub noctem dimisit. Secundum scholarum operas non neglectum piarum exercitationum studium. nam, & nosocomia, & carcer frequenter à nostris obita. aegrotos discipuli sedula opera, magistri auribus dandis poenitentibus iuuerunt. Vinctis cibos saepe domi praeparatos per mediam vrbem detulerunt. ac cum in carcere aquae penuria laboraretur, multiq. eorum miseri sitim non ferrent, nostri post illatos cibos, aquam etiam è vicino fonte hausta intulerunt magna copia, magno miserorum leuamento. quae res praefectos carceris excitauit, vt tanto incommodo remedia adhiberent. ad eos vero iuuandos, qui extremo supplicio sunt addicti, noua inita, & perutilis ratio est: vt nocte, quae supplicium antecedit, nostri cum sontibus vigilent: vt, & illorum excitent animos attentius; & si quid intus residet piandum, quieto illo tempore excutiant commodius. Neque nostri ordinis solum homines haec of-

scia praestitere : sed ex nostra quoque disciplina, scholastici permulti : Parthenij in primis : qui, & hisce rebus, & multarum virtutum exemplo, admirationi sunt ciuitati : cum & ipsi, & in nosocomijs, & in carcere eadem obeant munia, magna pietate. nec mirum est, ipsorum coetus seminaria religionum esse : cum ex ijs maxime illi prodeant, qui, spretis humanis rebus, religionem amplectantur. Horum fama permotus Guatimalae clerus (regio est Mexico leucas quinquaginta supra ducentas dissita) litteras dedit ad eorum Praefectum, quibus peterent, vt ad se exemplum legum, constitutionumq. mitteretur, quibus forma constituendae sodalitatis continetur. cupere se in sua ciuitate alteram Mexicanae similem excitare. Rescriptum est ad illos humanissime, & illo honore verborum, qui rei dignitati conuenit : missa etiam munera piacularium granorum & simul facta spes diplomatis à Rom. Pontifice impetrandi, annuente R. P. N. Praeposito Generali.

AEDES S. GREGORII.

MEXICANO Collegio adiuncta aedes est S. Gregorij ; in ea sacerdotes duo cum fratre vno in procuranda indigenarum salute occupantur. Pueri ex suburbijs, locisq. Mexico adiacentibus ad templum Christianae doctrinae, litterarum, & musicae discendae caussa à parentibus deducantur. Diebus vero festis ingens eius gentis numerus sacramentorum caussa conueniunt. sed nullo ijs tempore studia nostra gratiora, quam cum vel morbo, vel egestate aliqua premuntur, si quidem,

quidem, vt fere tenues homines sunt, & inopes; non consilio solum, precibus, ac rebus sacris: sed cibo etiam, veste, & pecunia illorum tenuitatem sustentamus. quo fit, vt intelligant, nos nihil aliud, nisi ipsorum quaerere salutem. Obeunt interdum nostri, hos miseros leuandi caussa, etiam opida, vicosq. circumiectos. Et cum saeua lues in ijs locis grassaretur, eo maxime tempore nostri illorum opportunitatibus consulebant. Erat in opido quodam mendicus indigena, tanta morbi pressus grauitate, vt die quadam sensibus omnibus destitutus pro mortuo haberetur. iacuit exanimi similis horas multas. ad eum vocatus noster sacerdos, qui loca illa peragrabat aegrotos leuandi caussa, cum explorato venarum pulsu, nullum in eo vitae residuum sensisset, ratus illum esse mortuum, quando nihil aliud supererat, funebrem illi ex forma Ecclesiae psalmodiam, cerimoniamq. persoluit: vt, cum maturum esset, terrae mandaretur. interim alios eiusdem opidi aegrotos adit. cum ecce tibi post duas horas, exanimis ille aegrotus, quasi somno expertectus, sacerdotem, cui peccata confitetur, accersi postulat. aduenit pater admirationis plenus, aegroti excipit confessionem: qua peracta, rogat sacerdotem aegrotus, vt quae in eo mentis excessu viderit, audire ne grauetur. Narrauit, se in latam quandam viam, & spatiosam esse deductum, per quam innumerabiles homines iter facerent: hanc autem quo longius tenderet, eo magis in arctum coarctari; donec in vastum quendam hiatum, immensamq. voraginem desineret. quo cum descendisset, in eas angustias deuenisse; vnde se non posset expedire, omni tum progrediendi, tum regrediendi adempta potestate. coniectis inde

oculis in obiecta praecipitia, vastam quasi calcariam fornacem vidisse, ingenti igne succensam. inde has voces accepisse se: (*ad verbum refero.*). Nunc scelerati ebrietatis, turpitudinis, & rapinarum poenas luetis: nunc illatas pauperibus iniurias vlciscemur. *Harum vocum terrore perculsum sese, à viro admiranda specie manu apprehensum, ex angustijs illis, impeditisq. ac confragosis salebris ereptum in summum montis iugum; indeq. aspera, & lapidosa semita in latissimam, amenissimamq. planiciem, perpetua viriditate, gratissimaq. florum specie vernantem esse deductum; inde in locum clariore lumine lucente deuenisse. ibi portam maiore adhuc splendore fulgentem intrare conatum, à duce suo retentum esse, moxitumq. iterum rediret in vitam; animiq. sordes confessione perpurgaret; tunc ipsi intra eam portam ingressum expeditum fore. Admone igitur, subiecit ille, veneficam illam populatem tuam horum suppliciorum, quae vidisti: mortem propere illi imminere, aeternaq. supplicia fornacis, quam spectasti, nisi animum male actae vitae poenitudo subeat.* Caciquium quoque (*hoc titulo indigenae Dynastae opidorum domini afficiuntur: & hic Christiana sacra iam susceperat*) *in venerem adiecit, & crapulam effusum, qui, quo procacius in omnium turpitudinum coeno voluteur, vestes induit muliebres; mone vt mature sibi consulat; & per confessionem peccatorum vim irati numinis à se auertat. quae cum narrasset omnium sacramentorum praesidio munitus, triginta tantum vixit horis. Hac mortis denunciatione venefica illa ita conterrita est, vt ex terrore morbum contraxerit, quo crescente in dies, metuq. denunciatae geennae perurgen-*

Digitized by Google

perurgente, necessitatem vertit in virtutem. Patrem accersit: multisq. cum lacrymis, facta confessione peccatorum, moribundi mendici praedictionem veram fecit. Porro eius opidi Caciquius cui poenitentiam denunciarat, sui periculi admonitus & veneficae mulieris doctus exemplo, culpis confessione expiatis, vitam in melius mutauit. Eodem in opido, dum adhuc noster ibi versaretur, res accidit omnino tristior, diuinaeq. animaduersionis documentum horribilius. Femina erat nobilis, & opulenta, seruandae, augendaeq. rei attentissima; eadem pauperibus, egenisq. insensissima: vt non modo non ijs ad ianuam petentibus benigne faceret, sed probris etiam, & conuicijs incesseret; diris execrationibus exigeret, ac non nunquam male pugnis, ac verberibus multarbt. Haec cum integra, & valens aliquando cum feminis alijs per otium sermocinationes traheret, repente collapsa, inter ancillarum manus eam subleuantium efflauit animam. Erat huic virgo sororis filia magna pietate adolescentula. haec, vt materterae animam pijs suffragijs iuuaret, precibus instabat, ac sacrosancta identidem offerri sacrificia curabat. per noctem quintodecimo die, quam sacris illius causa coepit insistere, postquam cubitum concesserat, tristes gemitus, voceſq. singultibus interruptas exaudit. cum pauida, horroreq. perculsa tremeret, nec vocem mittere auderet; propius ei strepitus visus est accedere, querelaeq. materterae expressius audiri; iam vocem agnoscit; verba percipit, graui dolore puellam increpantis; quod afflictae materterae respondere grauaretur; iubentisq. illam à precibus, parentationeq. desistere, quae sibi cruciatus augerent: sempi-

ternis se poenis addictam inferorum, nullo piaculo iuuari posse. & cum plura dicere velle videretur, sensit quasi aliorum interuentu interruptam, inde abripi magna violentia, cum fletu miserabili, & horribili fragore cathenarum. Strepitum, horrendasq. voces non ipsa solum virgo, sed aliae decem feminae, quae in interiore cubiculo iacebant, audierunt. quae tantum nocturno illo terrore pauorem concepere, vt omnes totius vitae peccata, generali confessione expiarent.

SEMINARIVM S. Illefonsi.

IN Seminario S. Illefonsi Mexicani adolescentes Hispanorum filij doctrinis, & pietate excoluntur. Praesunt è nostris sacerdotes tres, scholasticis fratres quinque, coadiutores duo. adolescentes instituuntur ad octoginta: numero quidem, quam antea minore, sed maiore laude studiorum. quippe quorum fructus iam adolescere incipiunt, exercitationesq. litterariae iam è domesticorum umbra parietum, in lucem educuntur. habita publica est Theologica disputatio; cui praeter sacrorum ordinum magistros, & Regiae Academiae professores, interfuere etiam sacri Quaestores. res tota peracta non mediocri laude respondentis, & Seminarij ipsius commendatione. Quatuor post consueta experimenta, honorifico iudicum aestimatio baccalaureatus insignibus donati, die ascendenti in coelum Virgini matri sacro. insignis celebritas fuit magna Mexicanae nobilitatis frequentia: recitati Latini versus, & Hispanici: dataq.

datæq. præmia ijs qui optime omnium scripsere. Idem factum S. Illefonsi festo die. Sarpiusq. eaedem exercitationes magna cum civitatis voluptate repetitæ. Qui ex alumnis in sodalitatem B. Virginis ascripti sunt, pietatem colunt omni studio et ac., præter eos, qui vitam nostram adamarunt, quatuor se ad varias religiosorum familias adjunxerunt.

COLLEGIVM Angepolitanum.

ANGEPOLITANI Collegij onera sunt probationis domum sustentare: Seminarium nostrorum fratrum, qui studia humanitatis colunt; & civibus scholarum usu & ministratione, sacrorum inservire. Tres hic sunt latinitatis scholae, quarta, qua clericis conscientiae casus explicantur. In urbe nostrae Societatis ministeria tam indigenis, quam Hispanis exhibentur. conciones cum fructu, & in templo diebus festis, & singulis mundinis in foro de more habentur. removisti dissuadentes: à vetustis consilijs multi audita concione avocasti. Sedulo nostrorum opera, & bene merendi de re christiana studium infamiae semina nobis quamvis immeritis protulere. sed Deo innocentiam defendente, infamia omnis evanescens maiorem in laudem venit. nam dum à quodam pellicem abstrahunt, laesus dolore intercepta voluptatis, rumores sparsit; idcirco nostrum fascendorem mulierem à se abstrahendam curasse, ut per speciem illius ad honestatem revocandus ipse ea potiretur. Alius, quo dolore actus nescio, eorum ho-

minem è Societate conflicto proditae confessionis crimine insimulauerat. utriusq. criminatio constantia nostrorum, & magnitudine animi initio contempta: mox etiam ipsorum obtrectatorum confessione discussa. uterque enim stimulante conscientia, quae dictis euulgauerat, libellis editis reuocauit. Excursum in vicina opida, ac prope innumerabilium hominum confessiones exceptae. Aegrotus indigena, & nobilis, morbi grauitate venerat iam ad extrema, amiseratq. loquendi potestatem. ingrediente in opidum uno de nostris sacerdotibus, vox homini una cum usu linguae redit. Sacerdotem accersit: confitetur: facta confessione, vox iterum una cum vita hominem deficit. ut si hulus maior vtilitas existeret, operae tamen pretium fecisse, qui illam fuscepit peregrinationem, iudicandus sit.

COLLEGIVM Guaxacense.

ALVIT Guaxacense Collegium socios septendecim, è quibus fratres duo Grammaticam, tertius Hispanorum filios legere docet, & scribere. Valetudine tanta usi omnes, vt cum saeui quidam morbi regnum vniuersum infestarint, nostrorum tamen neminem attigerint. quin frater vnus, qui quartana laborabat, ea liberatus est; & (vt putatur, meritis P. N. Francisci Borgiae. nam cum die, qui vacuus animi remissioni datur, patres, fratresq. festa alacritate in loco, vbi feriari solent, mensae assiderent: frater ille quartanarius cibo abstinebat: quem subtristem a sacerdotibus vnus

conspica-

conspicatus, rogat cur seorsim à cetu aliorum maerens sedeat. respondit sentire se febrem adventare, & eius praecursores, rigores corporis iam adesse. Iube illam facessere, subijcit Pater. Tuum istuc magis est, respondet aeger. Sane, inquit sacerdos, si tanta virtute pollerem, quanta olim Pater noster Borgia. Atqui, inquit frater, eiusdem patris imperio posses illam abigere. Vtique Patris Francisci Borgiae nomine, subijcit ille, tibi praecipio febris, ne ad huius aegri corpus amplius accedas. Vota sequutum est euentum. ex eo tempore nullam postea febris molestiam persensit. Neque solum in valetudine tuenda, sed etiam in re familiari (id quod secundum valetudinem curandum est) diuinam prouidentiam sensere Guaxacenses. siquidem aere alieno dissoluto, & collegij redditibus constitutis, sollicitudine liberati sunt quotidiani victus quaeritandi: quo solutiore cura in re diuina promouenda sese occupent. Concionum, confessionum, aliorumq. ministeriorum fructus ijdem fuere, qui in locis alijs. illud accessit hoc anno praecipuum. Episcopus sacrarum Virginum coenobium exstruxit suis sumptibus: ad eius constituendam disciplinam nostrorum opera multum est usus. E scholis non percipi fructus possunt, qui alijs in locis solent: quod modica Latinae linguae cognitione contenta, alio studia sua transfert haec iuuentus. ita non magnus est discipulorum numerus: ex ijs tamen, quos habemus, sex ad diuersas se religiones contulerunt. Est opidum Xalathacum à Guaxaco disiunctum, nostrae curae, fideiq. commissum: huc patres consuetudinem nacti iam sermonis Mexicani, saepe commeant: opidanosq. indigenas concionibus, catechesibus, familiaribusq. sermonibus

ad

ad Christiani hominis officium hortantur; sacramentis communiunt. ipsi porro cupidani nostrorum consuetudine delectantur: eamq. sibi iustæ salutarem, atq. honorificam esse arbitrantur; parentiq. facile nostris legibus, suamq. barbaram licentiam exemplo nostræ frugalitatis multum corrigunt. capiuntur in primis fide, ac sincera nostrorum benevolentia erga se. quippe intelligunt vere à nobis, & ex animo se diligi; suaq. tantum commoda tanto studio, diligentiaq. procurari. Ita neminem esse existimant, qui quamuis solutissime vixerit, si modo extremo vitæ tempore è nostris aliquem adhibeat, non tamen certumq. sumo cursum ineat salutis: quod nefas esse putent, quemquam, gentis more, subdole agere cum iis gentibus hominibus, quibus constat nihil esse carius, quam suorum popularium salutem.

COLLEGIVM Pascuacense:

PASCVACI decem è Societate versantur, æque Hispanorum, atq. indigenarum saluti procuranda occupati. Morbi, qui superiore anno alios huius terræ tractus multis funeribus desolarunt, hoc anno etiam in Tarascos (quos in gente est Pascuacum) penetrarunt, qui vicinorum malo docti, & nostris concionibus excitati, mature se ad animi salutem omni ratione quærendam comparârunt. neque nostri illorum voluntati defuerunt; quippe non animis solum, sed etiam corporibus opem tulerunt, totis sæpe familijs morbo prostratis; vt quæ ad victum necessaria ministraret,

ret, non haberent. neque quotidiana ijs tantum ministeria praestabant; sed medicorum vices etiam supplebant. curationes praescribebant, victus rationem edocebant, sanguinis emissionem ipsi procurabant. accidit q. persaepe, vt dum in eadem domo, atque in eadem familia sacerdos aegroti vnius confessioni daret operam, ipsius comes alterius aegroti venam aperiret: (nam in terris ab omni medicorum consuetudine remotis, nostri homines non nullum habent, & saepe necessarium eiusmodi curationum vsum) non nunquam etiam tam grauis vrgeret necessitas, vt ipse cogeretur sacerdos id munus obire. quanta occupatio paucos homines in tanta aegrotorum multitudine tenuerit, quiuis coniicere facile potest. Hac tamen diligentia, sedulaq. nostrorum opera, secundum Deum, factum est, vt morbus plurimos quidem vexare, non tamen multos absumere potuerit. Sed profuit in primis insita huic genti B. Virginis religio: cuius effigiem in nostro templo summa animi propensione venerantur, ad eamq; in rebus grauibus opis implorandae causa magna pietate concurrunt. aegroti igitur multi per id tempus eo se deferri, seq. sibi coram ipsa Virginis imagine iubebant; petebantq. supra caput sacra euangelij sibi verba recitari: ea fiducia B. Virginis opem implorabant: & ausim dicere, eorum plurimos diuina illius ope, magno rei miraculo esse sanatos. Est enim vsitatum, & solenne in noua hac diuinae sementis segete antiquorum miraculorum exempla renouari. Incredibili homines sacras tabulas, paruas iconas, piacularis globulos, aerea numismata sacris expressa imaginibus, pietate prosequuntur. Pascuacensis ciuis est homo simplex, & pius; qui harum

rerum

rerum virtutem expertus, quo studio alij gemmas, pretiosoſq. lapillos, eodem orbiculos, icunculas, numiſmata, aliaq. id genus piacula conſectatur. Harum rerum cum ille magno labore, contentioneq. multis deuoratis repulſis, modicam quandam copiam ſibi comparaſſet; cognouit feminam ciuem ſuam in noſocomio grauiter aegrotare: eam inuiſit: comperit paene exanimem, tribus iam hebdomadis mentis expertem iacuiſſe; & iam morti proximam nullum, neque eſculentum, neque poculentum per fauces admittere, amiſſo oculorum, auriumq. ſenſu: ita prorſus, vt neque aſſidentes ſibi familiares agnoſceret, nec quamuis intentas voces exaudiret. ſuper haec rigentibus neruis, neque manus, neque pedes explicare poſſe: vt cadaueris potius, quam aegrotantis ſpeciem referret. magna fiducia vir pius piacularem orbiculum moribundae, & iam animam agenti in os inſerit (animaduerte, noua catapotia, & piam ſuſpice ſimplicitatem) aegrota ſtatim, percepta ſacra pilula, vt qui ex defectu animae aſperſione frigidae ad ſenſus reuocantur, ſic reſpirare, ac reuiuiſcere coepit. adduntur animi, vna cum fiducia Paſcuacenſi: *admouet aegrotae capiti ex conſecrato agno cereum fragmentum: ſubito bracchia, pedeſq. explicantur, redit mens, aperit oculos, adſtantes agnoſcit. praebet ille oſculandam ſacram ceram; quam dum oſculatur, ſenſit ſe mulier noua luce circunfundi, & in cerae fragmenta cernit Chriſtum* Dominum *toto quidem corpore ſaucium, ſed auguſtiſſima luce circunfuſum. tunc ſoluta lingua, redditaq. voce, lacrymantibus oculis de recepta ſanitate* Deo *grates agit. totum diem illum, eamq. quae ſequuta nox eſt, in* Chriſti *contemplanda ſpecie,* B. Virginis,

ginis, & Angeli; qui se illi visendos obiecerant, traduxit. postero die integris viribus surgit è lecto, ac sine mora in nosocomij sacellum agendis gratijs, & vitae praeceptis, quae in illa luce hauserat, memoria repetendis contendit. & haec ipsa mulier duobus socijs narrauit. idemq. ipse, qui ea admouerat medicamenta, cum vniuersa nosocomij familia testabantur. & sane mulier recepta valetudine, id vitae genus instituit: vt apparcat ea deliramenta anilia non fuisse, sed vere, & reipsa caelitus ei contigisse. Mulier alia eiusdem gentis piaculare granum ab vno è nostris patribus acceptum è collo filij suspendit, quem lenta febris sensim exedebat: vt non ita longe distaret ab interitu, eo quasi amuleto statim coepit melius habere. cuius rei fama dissipata tantam in hac gente pietatem excitauit, atque aduersus ea piacula reuerentiam; vt cum domo nostri exeunt, puerorum gregibus, globulos pios flagitantium, se expedire non possint. Eiusdem generis ostenta, etiam locis alijs persaepe contingunt. ita non est abbreuiata manus dominij vt ad fidem remotis hisce in locis roborandam, rudesq. hosce populos noua pietate perfundendos, persaepe diuinae suae omnipotentiae documenta praebeat non obscura. Excurrere in vicina loca nostri saepius; interioriq. terrae tractus penetrarunt, docendis nouis hisce Christianorum gregibus. Mulierem ijs in locis inuenerunt, quae narrauit in omni flagitiorum genere ante se esse versatam; omni prorsus diuinae legis abiecta cogitatione: in morbum tandem incidisse, quo ingraescente in dies, venisse ad extrema: extinctam tamen prorsus non esse: sed haerente adhuc anima, ita sensus omnes esse consopitos, vt pro mortua haberetur; & iam

Digitized by Google

iam insutam linteo sepulturae tradidissent, nisi alta nox impedimento esset. interim visam se in tartarum deferri; damnatorum supplicia spectasse: grauiq. male actae vitae castigatione increpitam meliorem ordiri vitam iussam esse; ni breui eas velit vltrices flammas experiri. digitos tantum igni admouere adactam esse; tantumq. ex eo attactu sensisse cruciatum; vt animus, viresq. deficere viderentur: ipsos vero digitos, qua flammas tetigerunt, cum acri doloris morsu multos sibi dies aruisse. atque haec commenta, aut somnia muliebria non fuisse, tum alia multa declarant, tum nihil magis, quam mulieris vita, moresq. ad omnem probitatem reformati. Narrabat alius, dum noster sacerdos diceret ad populum, vidisse se Iesum Christum dicenti verba suggerentem. Nempe horum simplicitati populorum datum videtur; vt in ijs Magni Gregorij, aliorumq. singulari sanctimonia virorum, qui ab eo describuntur, miracula instaurentur. Sacerdos alius certum in locum paullo remotiorem missus erat. huic quacunq. iter faceret, ex opidis, ac vicis magna hominum frequentia prodibant obuiam, manus osculabantur, ad tuguria sua inuitabant. ad se si diuerteret, breuiore compendio posse, quo tenderet, peruenire; & sane persaepe prudentem, & volentem, decipiebant, sed fuere operae pretium frequentes eae digressiones. multos enim, qui annos [multos confessione caruerant, audiuit: aegrotos extremo chrismate inunxit, moribundos multos confirmauit. Vbi, quo mittebatur peruenit, operam suam de more in ea gente iuuanda concionibus, confessionibus, pijsq. sermonibus à Cineralibus ad Paschae tempus collocauit. dissidentes multos reconciliauit; moliter,

liter, lasciueq. viuentes correxit: multos à turpi scortorum consuetudine abstraxit, pravaq. multa vitia dicendi contentione sustulit. quibus rebus magna prudentia administratis, tantam sibi eorum populorum beneuolentiam conciliauit, vt quem vnum omnium, & officio venientem excepissent, abeuntem fausta precatione, & lacrymis prosequerentur.

COLLEGIVM Vallisoletanum.

VALLISOLETI assiduis cleri precibus schola Humanitatis hoc anno primum instituta, cum alijs de causis, tum maxime ad Seminarij disciplinam, quae collabebatur, erigendam, in ea quinquaginta discipuli numerantur: frequentia, vel in Europae ciuitatibus non asperanda, ne dum in huius oras solitudine, ac; praeter ipsorum adolescentium vtilitatem, illud etiam accessit commodi; vt schola iamdiu explicandis conscientiae quaestionibus contenta, & plures, & magis idoneos habeat auditores. Sed haec cum Hispanis. Indigenis tamandis vnus praecst. impar omnino tantae agrorum fertilitati, qui iam albi sunt ad messem. frequentant tamen nostras aedes non pauci. quiq. inter eos plus in religione profecere, siquando casus grauiore premuntur, consilij causa nos adeunt: libenter apud nos conscientiae onera deponunt: neque se facile quiescere significant, si cui alteri aliquando, quam nostris conscientiam aperiam. Sedatae praeterea discordiae canonicorum, quae animorum, iudiciorumq. dissidia excitauerant.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Guadalaxarense.

IN Guadalaxarenſi Collegio obiit P. Hieronymus Lopez Hiſpalenſis vir eximiae probitatis, ac de hoc collegio, aeq. ciuitate optime meritus. fuit in hoc Collegio à prima ipſius fundatione multum ſemper de bonarum peruerſarum, quarum linguam probe nouit, ſalute ſollicitus, & indefeſſus adminiſter. Impetrauit à Deo uarijs generis, quod poſtulauit; ut breui ſalutari morbo, ne magnis familiae eſſet oneri, conſumeretur. ſenectus integerrimis, placidiſſimo leto ſuccubuit. Cal. Decembr. anno aetatis ſuae ſexageſimo octauo, duodeniceſimo à Societatis ingreſſu, quarto à trium votorum emiſſa profeſſione. Fructus porro e concionibus, qui coligantur, ciuium pietas, & frequens ad ſacramenta concurſus declarauit. Natali B. Virginis die, ſolenni cerimonia, apparatuq. dicata eſt in templo ipſius ſanctiſſimae matris tabula, magna laetitia totius ciuitatis. Interfuere ei celebritati Praeſes cum toto Regio Senatu, magiſtratu, & capitibus urbis. Conuenere etiam Canonicorum collegium, & ſacrae religioſorum familiae; praeterea omnium ordinum magna multitudo: magnuſq. fuit per id tempus ad ſacramenta, confluentium numerus, ſtudio praeſertim indulgentiae conſequendae, à Romano Pontifice conceſſae. Celebratae ſunt à diſcipulis eiuſdem Reginae laudes, & ſolita oratione ad tempus accomodata, & magno multorum generum verſuum apparatu. tenuit ea gratulatio, religioq. totam ipſius aedis

octidui periodum. Quod ad rem familiarem attinet, ea meliore loco est, quam vnquam antea. Templum refectum amplificatumq. est: annua vectigalia ciuium liberalitate non parum aucta. Vrbis Episcopus nostri studiosissimus, Mexici moriens argenti mille pondera huic collegio legauit. argenteam pyxidem sacrosanctae Eucharistiae asseruandae ciuis nostri amantissimus dono dedit. Alius pensilem Lychnum item ex argento ad perpetuum lumen ad aram Virginis. Matrona pia ornatum tabulae B. matris addidit ex nigro ligno, eleganti opere, argenteis bracteis distinctum. ita sunt omnium ciuium animi ad bene merendum de nobis sua sponte propensi.

COLLEGIVM Tepozotlanum.

TEPOZOTLANVM Collegium iuuando populo indigenae proprie institutum est, quanquam ad Hispanos etiam persaepe nostrorum opera se porrigit. Versantur hic sacerdotes septem, cum tribus socijs, rerum domesticarum administris; Iuntq. sermonis huius gentis peritissimi. Illud in primis laborarunt duo, vt ingentia vitia, quae huic genti insita, & infixa videntur à natura, ex eorum vita, consuetudineq. prostigarent, & abigerent, ebrietatem, & effrenatam in Venerem propensionem. quod diuina ope tanta felicitate perfecerunt; vt omnium sermone hi populi, qui nostrae curae, cultuiq. traditi sunt, prae alijs eiusdem gentis hominibus coenobitae praedicentur. his enim duobus vitijs recisis, quasi noxijs ramis amputatae

tatae arbores facili cultura ad omnem probitatem reuirescunt. hinc incredibilis illorum ad omnem pietatem propensio; tantaq. erga diuina mysteria reuerentia; vt, cum ad sacras epulas sunt accessuri, pridie eius diei Ieiuni persistant ad noctem. multi etiam diem plane totum sine cibo trahant; neque nisi post caelestem cibum sumptum illo biduo degustent quidquam. quidam etiam super haec noctem totam traducant sine somno. Ad confessionem magno accedunt animi sensu, lacrymisq. neque ijs vllus metus maior, aut religio, quam vt ne qua contaminati labe ad caeleste conuiuium accedant. itaque non contenti pridiana confessione, etiam si totum illud tempus in eius rei cogitatione ponant; tamen non audent ad sacram mensam accedere, antequam denuo ad confessarium accedant. magnum sane Christianis veteribus documentum, & iusta negligentiae reprehensio; quorum sunt aliqui ita non molli conscientia, vt nisi peccati paullo grauioris venia indigeant, animum ad diuinam implorandam misericordiam caelestesq. sibi per paenitentiae sacramentum thesauros aperiendos non inflectant. Quam porro interni candoris curam habeant, mundicia, & nitore vestium testantur exterius. siquidem gentili consuetudine vestes sunt illis candidae, varijs coloribus intextae, quas solito mũdiores, nitidioresq. in illud tempus sibi curant: iucundum sane pijs hominibus spectaculum; & quod internum illum candorem animorum mentibus obijciat. Post acceptum Christi corpus, quod superest temporis ad horam vsque cibi capiendi, precibus faciendis, agendisq. Deo gratijs magna reuerentia in templo ponunt. multi etiam post cibum sumptum ad eadem repetenda exercita-

exercitationes in templum redeunt, persistuntq. ad vesperam. Dies, quo primum ad sacras epulas adulti admittuntur, est illis festa laetitia celeber, & quasi genialis. Et est operae pretium, quod contigit exponere. Puellae iam ad sacram Eucharistiam, confessarij iudicio, maturae caelestis, diuinaeq. mensae facta potestas est: id scilicet matri fuit quam laetissimum. ita dum summo mane caelestis conuiuij amore puella quam nitidissimo cultu templum petit, mater interim purgat domum magna cura: iunco redimit, quod regionis more magnae celebritatis signum est: cubiculum, quo secedere sui colligendi causa soleret, pro copia exornat: vaporat odoribus: filiolam ab Angelorum conuiuio redituram pro foribus opperitur. venienti vix sui compos fit obuiam; ruit in amplexus, & oscula; diuinam illi felicitatem gratulatur: plenaq. laetitiae in cubiculum vario suffitu exhalans, multisq. accensis luminibus, rebusq. alijs ornatam deducit: hortatur, instruitq. vt de tam diuino beneficio, benignissimo Deo grates agat. postmodum egressa clauso hostio, filiam solam in secreto, arcanis cum Deo colloquijs perfruendis, relinquit. Ex tam magnis initijs verisimile non est, non magnos sanctimoniae fructus prodituros. & sane bona parens multo nobiliorem, optabiliorem q. in thalamum filiam induxit, quam si eam terreni sponsi nuptijs dedisset. Symbolum profecto non obscurum perennis eius laetitiae, qua animae illae perfruuntur, quae in caelestis sponsi thalamum ducuntur. Non mirum igitur, si internis hisce motionibus, & caelestium sensu roborati, in tanto aestu vitiorum aduersus omnem intemperantiam integri, forteq. persistant; feminae praeser-

Digitized by Google

tim, cuius rei exempla quotidie cernuntur. Sed pauca de multis. Homo sceleratus, & audax, in domum virginis irrepserat earum, quae templum nostrum frequentare solent, eam vt sollicitaret. illa, ne vel breui mora periculum augeret, viriliter incussо fuste nefarijs abnuit postulatis, impudentemq. procum virago ab se abegit. Alia per viam ambulans ab impudente adolescente pone apprehensa, veste retinetur; moneturq. subsistat: vocari enim ab Hispano (Vide quam licentiam libidini permiserint corrupti mores incolarum) id illa pudenter aspernata festinat. illam Hispani consequuntur, miseramq. circunueniunt. sed procul popularem suum conspicata, quem fortasse ne norat quidem, maritum suum esse simulans, ambiguo sermone usa: Virum, inquit, saltem vereamini: (idem enim nomen communi significatione ipsorum lingua, & maritum notat, & virum quemlibet) illi pudore victi, virginem ab iniuria immunem dimiserunt. Nobile Iosephi integerrimi exemplum in femina alia renouatum est. quae comprehensa, & exagitata, cum diu reluctasset, relicta veste, ex iniurioso proci manibus seminuda profugit. Pueri praeterea Christiana doctrina imbuuntur: (magnum vtique firmamentum ad fidem, religionem, temperantiamq. per omnem aetatem constituendam) ex ijs seliguntur qui, & ad litteras, & ad musicam, tum vocalem, tum organicam instituantur. itaque multiplici symphonia sacra in nostro templo peraguntur. Quo loco licet diuinam erga homines nostrae praesertim aetatis clementiam agnoscere. quae gentem tam longe à nostris finibus diss. tam, tantopere à cultu, humanitateq. alienam, non modo ad sui cognitionem adducere; sed etiam

ad

ad exquisitissimum elegantissimumq. suae religionis cultum vocare constituerit. Mittuntur etiam ex hoc Collegio in finitima opida subinde in binos, ternosq. menses operae: quae rudes illos homines, quoad eius fieri potest, rerum caelestium cognitione, quam maxima excolant diligentia.

RESIDENTIA Verae Crucis.

IN sede Verae Crucis quatuor sacerdotes, totidem coadiutores, in classiarijs, maximè nautica turba, institoribus, aliaq. ingenti multitudine iuuanda occupantur. qui dum, vel in Hispaniam idoneam expectant nauigationem, vel portui appulsi ex nausea, & maris iactatione se recreant, hic morantur. & tum vel maxima est nostrorum opera id genus hominibus frugifera, cum in vicino S. Ioannis portu Hispanica classis hibernat: quod fere sex mensium spatium esse solet, quo tempore sacerdotes duo in eo portu versari solent; qui concionibus, catechesi, adhortationibus, priuatisq. colloquijs, in primis audiendis confessionibus, vitia multa, quae in huiusmodi multitudine inolescunt, radicitus euellere, aut excindere, aut saltem comprimere conantur, ita multi ad meliorem vitam reuocati, multi a iurandi consuetudine abducti: fallaciae multae in negotiatione sublatae: malo retenta iure, restituta: dissidia multa, inimicitiaeq. compositae, maxime inter milites. qui ita ad officium Christiani hominis sunt reuocati: vt fateantur multi, nunc demum se christianae legis suauitatem experiri. Nec dee-

fuit interim nostrorum opera populis indigenis : quorum subinde à nostris opida inuisuntur magno parochorum leuamine, & ipsorum vtilitate : & ea saepius adita loca, quae pastorum magis inopia laborant.

SEDES ZACHATECANA.

COMMORANTVR Zachatecis sacerdotes duo, quorum alteri Hispanorum, alteri indigenarum salus curae est : & fratres duo : ex his alter adolescentes Latinis litteris, & pietate informat : nec sane sine fructu. siquidem è paruo discipulorum numero, pars altera variis se applicuit religiosorum familijs, altera ad omnem virtutem, & pietatem magno exemplo ciuitatis adolescit. In Hispanis, quae aguntur, vsitata, & quotidiana sunt ; neque egent scriptione. quae in neophytis indigenis fiunt, aliquid semper habent nouitatis. Duae indigenarum nationes hic versantur, Mexicani, & Tharasci : Christiani vtrique : sed, quemadmodum huius omnes orae gentes, neophyti : & qui proximis saeculis ab Hispanis inductam, à nostra Societate postea auctam, & excultam Christianam religionem susceperc. Hi diebus Dominicis, agmine Christianam doctrinam canentium per vrbem circunducto è compitis, & plateis corrogati, ducuntur ad templum : in templo seorsim Mexicanis, & Tarascis sua habetur concio vtriusq. qui satis dociles obtemperanteq. se praebent diuinae legi. Et vt nihil aliud effectum sit, illud certe magnum est ; ex quo etiam maiora coniicimus, & meliora. Inuaserauerat iam inde ab anti-

antiquis temporibus in ea gente barbara prorsus, & ferina consuetudo: vt populus diebus festis in vicinum montem concederet. ibi duas in partes diuisus, irritatis animis concurrentes, in certamen, & pugnam descenderent: neque ante praelio desisterent, quam ex vtraque parte multis male vulneribus acceptis; aliqui, terni, quaterniue; diebus vero celebrioribus octoni, deniue exanimarentur. sedis hisce, horrendisq. piaculis sacri festi dies stygijs furijs dedicabantur. Tenuit tam dira consuetudo, etiam post illatum in haec loca Euangelium, vsque ad nostrorum hominum aduentum. aduentu nostrorum catechesibus, concionibus, hortationibusq. ad vtramq. gentem habitis, dira prorsus, & execranda pestis abolita, fremente diabolo: cui quam sit inuisa nostrorum in his locis commoratio, quanta praeda, & magno sue cum dolore illi è manibus erepta sit, licèt ex eo quod narrabitur facile colligere. Sacerdotis, quem paenes est huius gentis cura, dum ipsorum lustrat habitacula, tugurium ingressus, hominem in lecto offendit dira macie luridum, ac deformatum, & animo ita consternato, vt qui in extremam rerum desperationem adductus esset. Sacerdotis ingressu misero lacrymae oboriuntur; gemituq. dolorem indicante, sermo intra fauces haerebat. leni oratione sacerdotis confirmatus, desperationis suae causam exponit: se Christianum esse, ac viginti ipsos annos prorsus sacrorum consuetudine abstinuisse. &, quod omnium teterrimum est, Deo posthabito, inferna hosti diuinos honores habuisse. in hanc fraudem olim puerum se à fratre natu maiore inductum esse: illum iam pridem vita functum, ac flammis vltricibus addictum, nunc sibi crebro apparere,

horrifica specie, flammis crepitantibus circundatum; comitem illi esse, quem coluerat diabolum: ab utroque horrendis vocibus terreri, illud identidem ingeminantibus: adesse tempus, adesse tempus abeundi, non esse iam misericordiae locum. his se terroribus exanimatum, inter desperationem, & dolorem suum interitum horrere. Iussus omnia promere, altius re tota repetita, narrauit intempesta nocte initio à fratre, quem dixerat, in montem esse deductum. ibi demonem sibi obiectum, ab ipso magnificis promissis illectum, vt se illi tanquam domino, & regi totum committeret. & tunc quidem execrandis condicionibus non acquieuisse. iterum autem muliebri specie sibi obiectum; tandem perpulisse, vt se totum ei traderet. ex eo tempore nunquam pernicioſum hoſtem à se receſſiſſe, ſed in tetra, & horrenda flagitia poſtmodum impuliſſe, ipſo duce noctu ſicarij more, infeſtas vrbis vias habuiſſe: ipſo adiutore nihil ſibi clauſum fuiſſe; ſed quocunque voluiſſet, penetraſſe: eodem extimulante cum multis manus conſeruiſſe, dormientibus per ſummam perfidiam, & crudelitatem vitam eripuiſſe. ita viginti à ſe patratas caedes enumerabat. Pater miratus rei atrocitatem, & qui tam truculentum hominem vidiſſet nunquam, quaeſiuit ex eo, vbi nam delituiſſet; quod quandiu in locis ijs commoratus eſſet, nunquam eum ſe vidiſſe meminiſſet. Reſpondit aeger ſe ad noſtrorum aduentum diabolum in ſolito monte vidiſſe frementem, ac frendentem rabie, & eiulatibus omnia complentem; quod videret ſe eo iure ſpoliatum iri, quod in eum montem, & omnes circa accolas ad eam diem habuiſſet: proinde ſibi praecepiſſe, omnino, vt ijs finibus faceſſeret. atque

que haec ita narrabat, vt pater non obscure intelligeret hoc inferno illi monstro praecipue dolori esse, eo lucro priuari animarum, quas in eo monte diebus festis furiosis illis praelijs in tartara demitteret. narrabat praeterea hoc se in mandatis à terrimo hoste habuisse, vt ante inde procul abiret, quam Societatis pater illo aduenisset. Cumq. ille negasset, se Hispani sacerdotis congressum timere; satis se sibi fidere: satisq. sibi certum esse, nunquam se ab ea fide, quam inferno dederat recessurum; nihilominus illius aspectum omnino vitare iussum esse: quod homo esset garrulus, argutiarum plenus & facile hominem idiotam acumine disputationis, & rationum subtilitate posse à sagaci, & perito circumueniri. proinde ea nocte prorsus abscederet: neque ante rediret, quam cognosceret Hispanum inde abisse sacerdotem. ex eo tempore vitam aerumnarum plenissimam duxisse. nec longius progressus est: nec qua ratione factum sit, vt contra saeuissimi tyranni iussum redierit, expositum. sed ad suas eiulandas miserias se retulit. Pater ea, quae tempus postulabat, homini proposuit: bono esse iussit animo; nullam esse tantam peccatorum molem, quae par sit diuinae miserationis magnitudini. paeniteat modo vitae male actae, fedus cum daemone rescindat: patere illi aditum ad veniam. quem vbi satis instructum, ac bene animatum sensit, paenitentiae sacramento expiatum cum Ecclesia sancta reconciliauit. ita in praesens diaboli terrioulamenta abacta. Alius isdem illectus promissis, eodem pacto, eademq. deuotione se eiusdem inferni hostis addixit seruituti: qui simulatque id pepigisset, non secus ac si in ipsius diaboli naturam versus esset, contumaci superbia intumuit; & di-

ra fundendi sanguinis libidine exarsit. igitur relicta patria, auia, & solitudines consectari; eiusdem sibi sceleris socios adiungere; maleficio, & rapto viuere; hominum vitas insidiari, vt nullum esset facinus, quod non auderet. at nostro malo eo prolapsa res est, vt multi in Europa ad haec mala perpetranda, haec daemonis inuitamenta non expectent: sed naturae alii prauitate, licentiae dulcedine illecti, vltro se in illius tradant potestatem. Hac furiosus ille instructus amentia, cum in omne flagitiorum genus praeceps rueret, fidum aliquandiu, verumq. adiutorem habuit mendacij, perfidiaeq. patrem, cuius praesenti ope saepe magistratuum consilia, lictorum manus, etiam ipsum carcerem elusit: aut laxatis quibus astringebatur vinculis, aut claustris, quibus coercebatur effractis. id quod alij multi testabantur. sed non ei diuturna fuit haec impunitas, diuina scilicet clementia tantam peruersitatem ad paenitentiam vocante: graui tandem, & periculoso morbo prostratus ad hominum confugit auxilia. Qui illi opitulabantur, gnari, an ignari illius improbitatis, cognita morbi grauitate homini suasere, vt ad vitae finem sacramentis se muniret. ille in sua contumacia, animiq. haerens obstinatione, ad velamen suae impietatis obtendendum, eadem religione, qua vixerat ad eam diem, sacrum paenitentiae susceptit sacramentum, culpis alijs patefactis, alijs nefarie suppressis. atque hac conscientiae duritia, sacrosanctae Eucharistiae sumendae causa ad templum se deferri iussit. Enim vero non fuit conscientia tam ferrea; vt non interdum diuinae animaduersionis metu quateretur; sed in ingenio stygio imbuto veneno, & diuturna consuetudine ad impietatem

pietatem obdurato, vicit religionem malitia, pauorem audacia. vnius sacramenti violator, etiam augustissimum omnium violare non erubuit, tremenda caelitibus mysteria vita flagitijs maximis inquinatissima susscepit. tum vero quasi ignitus globus descendisset in viscera, sensit acerbissimo sibi cruciatu aduri intestina: & qua sacrosancta hostia delapsa erat, fauces, praecordiaq. quasi nouacula acerbe dissecari. intolerando igitur dolore victus, vehementer nauseare coepit: & ex imo ventre agitare stomachum; ac toto pectore anhelitu magno aestuare. sensere periculum Ecclesiae ministri, prouidiq. stomacho, cum sacra hostia, si ille vomeret excipiendo accurrunt; expaßum linteum subijciunt. sed stomacho haerente, integra hostia, nullo contactu sordium ascendit, eodemq. doloris morsu per nares egressa, intra pyxidem reuolauit, atque id quatuor ex ijs, qui aderant, perspicue viderunt: qui hominem suis manibus domum reportarunt, illius impietatem execrantes, cuius viscera sacrosanctum Christi corpus continere nequiuißent. ne his quidem infelix tam horrendis prodigijs mutauit animum; donec Deo illum trahente ad salutem, ad nostrum sacerdotem Zachatecam deductus est, cui in sermone cum haec narraßet omnia, optimis monitis instructus, ad veram paenitentiam inductus est. qui, facta peccatorum omnium confeßione, tetra illa seruitute liberatus, meliorem, qua insistit adhuc, iniuit vitae rationem. additi praeterea qui in praeruptis montibus habitant, & carbones ad argenti fodinas compartant; ex quo Carbonarij sunt appellati. populus sane frequens: ad quem excolendum magno operarum numero opus esset; & fieret operae pretium, penetratum

netratum quoque in interiores tractus ad ipsas argenti fodinas magna Hispanorum, & Mecoacanensium multitudine refertos: utraque gens nostrae consuetudinis percupida. hi omnes diuinum beneficium sibi gratulantes, Deo gratias egerunt; quod nostrae doctrinae, nostraeq. institutionis compotes facti essent, cuius fructum experti de nostra Societate in ea loca adducenda cogitarunt. & iam locum ad extruendam domum assignarunt, situ oportuno: & pecuniam ad nos alendos collegerunt. & certe digna est occasio, in qua cum laude Societatis industria versetur. Ceterum laxatae sunt templi & nostrarum aedium angustiae domesticorum comodo, & ciuium, qui expiationis, & doctrinae causa ad nos conueniunt. in eam aedificationem, & familiae nostrae sumptus collata sunt à ciuibus, & vicinis argenti fossoribus eleemosinae nomine duo millia, & centum argenti pondera, quae in magnis rei familiaris difficultatibus magno nobis leuamento; & in argenteae venae sterilitate, non leui argumento fuere magnae propensionis Zachatecanorum erga nos. Diuina bonitas, & illorum benignitatem caelestis gratia compenset, & nostros sua diuina ope subleuet conatus.

RESIDENTIA Zinaloensis.

QVO magis introrsum haec noui orbis mediterranea recedunt, eo maiorem habent religionis vastitatem. Zinaloa praesidium est Hispanorum in interiore Mexicani Regni tractu: à quo Regio admodum ampla nomen habet.

In

In ea Regione sex nostri sacerdotes, cum fratre uno adiutore commorantur. gens olim in plures diuisa nationes, dura in primis, & aspera; quae vagam, ac solitariam vitam inter praeruptа montium, syluasq. nullis legibus, nullo magistratu, societate nulla, nullo cultu, ferarum prorsus more ducebat. Hi superioribus temporibus ex antris asperisq. locis educti, atque in ciuilem societatem, communemq. conuictum coacti, mercede operam suam Hispanis locarunt. ac non ita pridem euangelij iugo colla subiecerunt: diuisiq. in pagos, & opida, suus cuique nationi pagus, seu terrae tractus attributus: pago cuique plura opida. Eorum illa nomina reperio: Occoronenses, Nienses, Guazabenses, Petatlanenses, & omnium diuissimos Teuechos. gens vniuersa ab Hispanis Zinaloenses appellati. Et licet Hispanorum consuetudine, iure societatis, conuictuq. assueti; barbara tamen feritate, & ingenij mobilitate ad omnem audaciam sunt, perfidiamq. propensi. ingenia indomita, peruicacia, licentiae assueta: vt aut non omnes euangelij lumen acceperint; aut qui acceperint duritia, hebetudine, & concepta à primis annis perfidia, non modo non facile à sua superstitione abducantur; sed, quacunque leui occasione tumultuentur, & Christo datam fidem pro nihilo ducant. Accedit Hispanorum seruitus, magistratus, leges, quarum rerum illi sunt iniuicissimi; pristinaeq. libertatis, seu potius licentiae dulcedine subinde capiuntur. odisse leges, odisse iura, magistratus rectorum imperia aspernari, Hispanorum iugum detrectare, ab eorum conuictu abhorrere, damna etiam inferre, illis soleune est. Quin etiam eo vsque illorum processere odia; vt

qua

qua sunt ad omne facinus audacia de nobis, ac de illis interficiendis, aut certe regione tota exterminandis conspirarint: eruptissentq. conflia in magnũ aliquod exitium, ni beneficio Dei, coniuratione patefacta, quatuor ex ijs, qui coniurandi principes fuere, supplicio affecti essent: reliquis auctorum sex addictis seruituti. Denique nulla certa in sententia diu perstitunt: neque improbi perpetuo, neque boni esse possunt. ita instar Euripi, alternantibus hinc inde fluctibus, christiana res contrario aestu, modo in hanc, modo in illam partem fluctuauit. nam cum vel leuissimo aurae flatu quacunque in partem impellantur: si nulla eos excitet cupiditas, pacati attentas aures praebent euangelio: eadem leuissima offensione tam furentes irascuntur, tanta seditione tumultuantur; vt interdum irati legibus, & euangelio integri populi, ne religioni obtemperent, sedes, ac domicilia commutent. Non desunt tamen, aliqui humaniore ingenio, culturae patientes. qui dociles se praebent, & obedientes nostris legibus: consuetudineque vestra delectantur. Quod cum alias saepe, tum eo maxime tempore cognitum est. Neophyto cuidam pellicem abstrahendam vnus è patribus curauerat. ille homo natura ferox, & immanis eum patrem interficere constituerat. id cum ceteri nobis beneuoli rescissent, rem patri renunciarunt: vltroq. operam suam ad eum defendendum detulerunt. Caciquibus praeterea Occoronensium (Dynastae indigenae epidorum domini hi sunt; multiq. eorum Christiana sacra susceperunt) egregia semper fide fuit erga nos. Et quoque quoniam in tumultu eius famuli quosdam interfecerant, qui rei christianae aduersari videbantur, pertaesus maxime suorum inconstantiam,

& se-

& feritatem, Occorono turbulentissima ciuitate, & magna ex parte ethnicorum relicta, cum paruo comitatu in quandam Hispanorum Coloniam concessit: maluitq. extorris, & obscurus inter Hispanos exsulare; quam in patria inter tam barbaros mores, clarus, & honoratus vitam agere. Sed in primis optimae cuiusdam anus probitas excellit. cuius opera inimicorum manus nostri non semel euaserunt. omnia enim quae de nostrorum interitu barbari ineunt consilia, nobis enunciat non dubio sui periculo, si qua barbari rem odorarentur. haud dubie diuinae prouidentiae totum adscribendum. Haec fidem olim hauserat, extoris patria, inter Hispanos exercitam vitam ducens; à matre, vt indicant effecta christianae pietatis tenacissima, edocta. Haec in patriam reuersa incredibile est, quantopere christianam rem promoueat. opida, vicosq. christianorum, apostolico plane spiritu circumit: populos ad christiani hominis officium hortatur; aegrotos inuisit, solatur, fouet; omni, qua potest, ope subleuat: Hispanos, siquando veniunt in eius opidum, excipit hospitio. denique vt christianorum consulat vtilitati, nullum laborem, molestiamq. deuitat. quantos sibi fructus in caelo tulisse existimemus, tam nobilem plantam, in tam duris aspretis, inter tam densa dumeta tanto virore florentem: Eadem à nobis saepius admonita, ne se tanto labore conficiat: concedat aetati, concedat imbecillae valetudini: respondet christianos sibi fratrum esse numero: haec in eos officia sibi olim à matre dum viueret esse commendata: eadem ab ipsa moriente in mandatis accepisse. Enimuero diuinus spiritus mouet hominum mentes, & vbi vult spirat. non potuit

tantus

tantus ardor animi, tanta in femina constantia, humano inferi cultu: sed gentem quamuis à diuinae legis obedientia auersam, nõ aspernatur Deus: proinde in hoc quoque sterili solo granum sinapis excitare voluit. nec dubitandum, quin in magnam tandem arborem excrescat. non cessat minutissimum semen pullulare, licet in praesens parum culturae soli sterilitas respondeat. Huius enim apostolicae feminae adiumento ducenti, & sexaginta sex baptismo lustrati sunt: exiguus omnino numerus in tanta multitudine, & laborum magnitudine: non tamen contemnendus in tanta ingeniorum feritate. Ex ijs qui baptizati sunt, multi à pellicatu ad legitimum matrimonium traducti: edoctiq. sunt qua fide, quaq. veneratione ad sanctum confessionis sacramentum accedere oporteat. In Nienſi, & Guazabenſi agro multo plures baptizati essent, nisi annonae caritas incolas in varias partes disiecisset. Sed Dei beneficio est ex alia parte iactura compensata. Nam in regione Petatlanis fluminis, quinque in opidis eiusdem gentis, quae tota à christianis incoluntur, cum circa finem Quadrageſimae nostri ea loca inuisissent, nullus paene relictus est, qui ad expianda peccata non accesserit: idque tanto populi totius studio; ut vel ipsi pueri enixe peterent aures sibi praeberi, secernendiq. fuerint maiusculi, à tenera aetate, & ijs, qui doli capaces esse nondum poterant. Feriis maioris hebdomadae in locum vnum confluxere omnes, cum insignibus diuorum, quos sibi quique ad Deum patronos, tutelaresq. delegerunt. Ea certis interuallis dissita collocarunt: & circa raptim umbracula sacellorum instar excitarunt, ad quae stationes obirent Ecclesiarum more. Feria

via verò quinctæ caenae Domini ad eas stationes ducta est supplicatio silenti agmine sese verberantium. paschalia verò sacra redimiti amenis sertis communi omnium gratulatione celebrarunt. Ergo quae Dei bonitas est, cum Petatlanensibus res eum cursum tenebant, quem volebamus; Occoroni etiam non male procedebant. Siquidem maximi ieiunij diebus quadringenti circiter peccata per confessionem expiarunt. Hanc vt in incertis, & fluctuantibus rebus tranquillitatem saeua exorta tempestas repente perturbauit: omnemq. animarum segetem tot annorum labore satam diligentissimeq. cultam, repentina immissa calamitas adhuc herbescentem subito succidit. nimirum humani generis hostis, secundum christianae rei cursum non ferens, ad huius miserae gentis perniciem, eam seditionem excitauit, quae initium habuit à re leuissima, sed christianis hominibus prorsus indigna. rem paullo altius referam, vt hoc quoque ad cognitionem proferatur. In Guaxabensi tractu versabatur sacerdos vnus è nostris, qui longo tempore in ea excolenda barbaria laborauerat nullo fructu. vinosi homines, ebrietatis amatores, dum vini studio tenentur, eoq. se auidius ingurgitant, de christiana sobrietate sermones ne ad aures quidem admittebant. super his scelcribus, feminam quoque, quod prona in Hispanos voluntate esse videretur, per tumultum occiderunt. ex eo tempore tumultuari numquam desiere. tanta barbarie, & morum feritate offensus pater, & simul abiecta spe illius gentis adducendae ad officium, veritus praeterea fortasse, ne quid in seipsum fera gens grauius consuleret, discessit. In itinere videt ex indigenis quendam longo sibi spatio antecedentem à recto itinere

deflectere. Suspicatus fraudis aliquid inesse; cognoscendi caussa, quid ageretur, hominem insequitur, eumq. offendit idolum adorantem, erat idolum lapis surgens in pyramidem, dodrantium fere quatuor magnitudine, characteribus inscriptus, quorum significatio nunquam intelligi potuit. Pater rei indignitate commotus, barbarum seuere increpitum, lapidem iubet inde exturbare. negat barbarus audere se ne leuiter quidem attingere, ne qua in suum caput pernicies redundet. tum pater adiuuantibus Hispanis, qui illi praesidij caussa comitabantur; in opidum, quo petebat, lapidem deportat. ibi abiectum in medio foro pedibus proteret, atque proculcat, frementibus barbaris, ac denuncientibus (tanta est animo caecitas, & hebetudo) futurum, vt saeua aliqua lues, aut horribilis tempestas è caelo mitteretur; illaq. ipsa nocte procellam ventorum, aedificia omnia, una cum ipso templo euersuram; quod tam indigne tam potenti numini illusum esset, quod ad felicia rerum auspicia, felicesq. euentum, ad secundos bellorum exitus, ad valetudinem impetrandam tota regio supplicabunda adiret: quod item saepe, vt postea compertum est, indicta supplicatione duorum, triumue dierum itinere per diuersa loca venerabundi circumferre solerent: multa interim per eum oracula diabolo reddente; & cum consuleretur, & alia aliis temporibus. Per eam occasionem Pater aduocata concione, multa de vera vnius Dei omnipotentia, deq. idolorum inanitate, ac superstitionis vanitate disputauit: multisque ea, quae dixit persuasit. Sed ab insita animo leuitate, qua facilitate veritati assenserunt eandem, diabolica decepti fraude, ab ea recessere. Ea vero tam formidanda

data visa est diaboli potentia : occultoq. Dei iudicio, ad bonorum, & constantium fidem exercendam, tenebrarum potestati datum est multum. Vix enim dimissa concione, sunt praedictiones, & futurorum malorum metus barbarorum animos vehementer terruerunt, siquidem repente ingentes ventorum flatus, magno impetu coorti aedificia vehementer concussernnt. vt appareret tartaream monstrum illatam sibi contumeliam vlcisci velle, sed non vltra minas ei saevire licuisse. qui si data sibi superioribus temporibus licentia vti potuisset, ac non diuinae iustitiae catheus vinctus teneretur; non dubium, quin momento temporis crudelissime in multorum perniciem, exitiumq. desaevisset. sed ques maxime pessundatos vellet, in eos non nisi suam rabiem vorare potuit. barbarorum tamen animos ita perculsit; vt Pilus (sic enim vocant sacerdotem sacrificulum) multis precibus à patre contenderet, vt idolum sibi redderet; aut saltem permitteret eum manibus attrectare: ita futurum, vt saeua ventorum procella conquiesceret. scilicet homo imperitus stulto consilio deceptus, aequa sibi postulare videbatur. Quid in pestilione tam stulta faciendum fuit, nemo non videt. Pater iubet hominem in vno Deo spem habere: ab ipso tempestatis sedationem expectandam: idolum non plus posse, quam lapidem quemlibet sensus expertem: diabolum eam tempestatem ciere potuisse, detrimentum afferre nullum posse, nisi quantum diuina ei detur potestate: propicio numine, diaboli minas esse contemnendas. His monitis instructum stulum sacrificulum dimisit. postero die mane Pilus alius accessit, idem petens. qui eadem, quo prior, honore missus est. Exulceravit ea

res iam sua sponte incitatos Barbarorum animos; & iras augente daemone (quippe quibus ob barbaram leuitatem, & insitam animo ferociam religionis amor non alte insederat) christiana sacra detestari, ciuilem societatem, tanto nostrorum labore coalitam, aspernari coeperunt. Ergo communi consilio, mense Iulio, decimo tertio die, quam idolum deiectum est; omnes sedibus ijs, quibus assueuerant, & in quibus nati educatiq. erant, secessione facta, emigrarunt: opida omnia, vicosq. vacua relinquentes. atque, vt omnes intelligerent ipsos ea animorum obstinatione discessisse, vt nunquam in ea loca amplius redirent, nostrorumq. sociorum consuetudinem illis inuisam esse, domicilia, omnia succenderunt: sacras imagines, templaq. omnia euerterunt, atque in alias longe terras sese contulerunt. Nostris rei aduersae casu perculsis, nil aliud superfuit, nisi maerere, quod segetes eae, quarum spe taedium, & laborem diuturnae culturae solabantur, subito apparere desijssent. alto tamen acquiescentes diuinae prouidentiae consilio, rem totam Domino, cuius causa agebatur, permiserunt. Ex eo igitur loco in opidum Hispanorum colligendi sui causa concesserunt. Inde communi omnium consensu missus est, qui Proregem de ijs tumultibus doceret: eaq. proponeret, quae ad continendam in officio barbariem expedire viderentur. Barbari interim vagi, profugiq. certis in sedibus consedere. sed mox orto, & inter ipsos, & cum ijs, quorum in fines venerant, dissidio; ventum est ad praelium: quo praelio quadrageni ex vtraque parte ceciderunt. hoc damno affecti, ingruente praesertim cibariorum penuria, vt faciles sunt ad subita consilia, in easdem, quas tanto odio reliquerant,

liquerant, sedes rediere omnes, praeter totius regionis asperrimos Theucchos. id sociorum litteris cognitum est v. id. Nouembr. datis quinto post mense, quam secesserant. Fuit ea res socijs laeta; maeroremq. quem ex eorum discessu perceperant, leuauit. Quid postea cum illis actum sit, quoniam quo tempore de illorum reditu cognitum est, annus iam abierat, expectandae erunt insequentis anni litterae. Placuit tamen in omnem euentum Zinaloae praesidium augere: eoq. coloni quadraginta missi sunt. idq. nulla alia causa, nisi ob constituendam, propagandamq. in ijs terris religionem. nam argenti aut vectigalium in tanta loci sterilitate, & gentis barbarie, illecebra nulla subest. quin contra magno stabit illud Coloniae supplementum. siquidem quadraginta quinque millibus ponderum argenti ex aerario Regis Philippi, colonis ijs pendentur quotannis. Sed ad gentis continendam inconstantiam, & leuitatem, ne subinde secessionis ineant consilia, fuit Hispanorum colonia augenda. Interim tamen dum illi aberant, duo sacerdotes, qui illis praefuerant, Vallem Culhuacanensem in alia ora sitam excurrerunt. in ea christianorum sunt opida triginta, tanto rerum sacrarum, sacerdotumq. desiderio; vt longissime nostris aduentantibus obuiam procederent; abeuntes prosequerentur. Nullus in eo tractu fuit, qui non se confessionis sacramento expiarit. Concursus ad explicationem christianae doctrinae, & voluntariam diuerberationem is fuit; vt maioris hebdomadae feriae celebrari viderentur. Explicata est ratio Rosarij recitandi. quod illi tanto studio arripuerunt; vt vel ipsa Hispanorum mancipia (id quod heri ipsi gratulantur) cum domo exeunt

ad praescripta ministeria, altera manu onera trahant, altera precatoriam globulorum coronam pertractent. laudes diuinae prouidentiae: quae, vt olim eiectione, & fuga discipulorum è sacra urbe, Samaritanorum, aliarumq. circa gentium salutí consuluit. sic nunc ex ruinis Zinaloensibus Culhuacanensium constituit aedificationem.

RESIDENTIA Guadiana.

IN Guadiana quoque regione admodum alta Barbaries est, & quadam in parte longe maior, quam in Zinaloa, & non minores diaboli praestigiae. In ea sacerdotes duo, cum coadiutoribus duobus duas praecipue late patentes gentes, & longe inter se contrarijs moribus, Tepeguanos, & Paladis accolas, excolenda suscipere. sed Paludis accolae (nullo enim alio nomine notantur) vtpote palustri loco nati, humida, & crasso caelo, tardi, & hebetes, belluino magis, quam humano ingenio praediti: tentari à nostris tantum, tractari adhuc minime potuerunt. ita ab omni humanitate abhorrent; vt non modo cum ignotis, & externis non facile congrediantur, sed ne ipsi quidem inter se, aut in cetus coalescant, aut iure vllo congregentur, mercimoniaue vlla ad communionem vitae contrahant. sed radicibus, aut herbis sponte natis bestiarum ritu victitantes, aut lutris similes aquis immersi, aut per auia errantes, Nomadum more, sed potius nullo more, nulla domo, nulla certa sede ferem, soliuagamq. vitam ducunt, atque vt expeditius liberi vagentur, teneram so-

bolem

Digitized by Google

bilem saepe per summam immanitatem interfi-ciunt. Et ex his quoque horridis vepretis suos sibi deligit interdum flores diuina prouidentia. nam & aduliti persaepe morti proximi, fide imbuti baptismo expiantur; & infantes multi, antequam à paren-tibus exponantur, sacro baptismate tinguntur, vt gratulandum nostris sit hominibus, qui in tam va-sta regione, tam ab omni deserta cultu, tamen, ad tam alta ministeria adhibeantur, animas ex orci faucibus ereptas in caelo collocandi. nec dubium quin felices illae animae caelo iam donatae memo-res eorum, quorum studio tantum bonum sunt ade-ptae, memores suae gentis, miserae patriae affli-ctaw causam diuinae bonitati assiduis precibus cõ-mendent. non erunt irriti labores; non caelestes, humanaeq. ad Deum preces inanes. neque enim si primis ictibus valida moenia resistunt, assiduis tamen non concident: & ferrum tundendo, quam-cunque vult faber formam recipit: strenuos tantum euangelij praecones elusi saepe conatus non paeni-teat: animosiores repulsi redeant ad praelium: euincent tandem, nec suam causam deseret diui-na bonitas: Euangelij pergant spargere igniculos, illustrabunt haud dubie altam tenebrarum den-sitatem. Cum Tepeguanis verò placide mare na-uigatur: &, vt se dant initia, secundo valde san-ctae aurae flatu. longe enim mitiore sunt ingenio, victuq. nam inopida, & vicos distributi huma-nam colunt societatem: lana vestiuntur & gossi-pio: terram colunt; & sua fruge viuunt: neque facile sedem, aut domicilia commutant. &, quod caput est, ea propensione ad religionem sunt, quam volumus: ingenio docili, & ad diuina percipien-da mysteria capaci. Laeto animo suscipiunt ba-

ptiſmum, & confeſſionis ſacramentum, quale ſit, intelligunt; illudq. ſua ſponte petunt: praeſertim in aduerſa valetudine. itaque Dei beneficio in hac gente ſeges vberrimarum frugum iam apparet. faciles ſe, obtemperanteſq. praebent euangelio. ac ſi quando, vt in nouella ſobole fieri neceſſe eſt; veteris religionis aliquid reſideat, edocti veritatem facile illud animo eiiciunt: id nuper a magno eorum terrore compertum eſt; quo mirabili, & diabolica fallacia totius gentis animi tenebantur. Veneficus erat inter eos, annos natus ſexaginta. hic quadraginta iam annos domi idolum abditum ſeruabat. cuius tantam imperitae genti formidinem, ſimul ac venerationem incuſſerat; vt ad illud oculos aduertere auderet nemo. immo verò vel hominem dumtaxat prodere, qui tam abditi myſterij cuſtos eſſet, fuit religio. exitiale igitur latebat vlcus. cui cum mederi cuperet ſacerdos, qui ſibi viam ad illud detegendum commonſtraret, non habebat. venit tandem indagando ad ipſius ſceleris cubile: hominem agnouit, qui tantum nefas aſſeruaret. eum multis rationibus ſaepius adortus, cum ille reſtitiſſet aliquandiu: perpulit tandem, vt idolum proderet. domum venit, & multis Tepeguanis comitantibus, non ſine metu profert idolum, lacinijs diligenter obuolutum; ne cui per impudentiam intuenti eſſet exitio. patri praebet; iubetq. cum reuolueretur, reliquos faceſſere, ne quem ſolo peſſundaret aſpectu. Quin illos bono animo eſſe iubet pater: viſuros cui rei diuinos honores habuerint ad eam diem: detractis inuolucris, ridiculum illum Deum ſputis fedat. idem neophytos facere iubet, qui perculſi pauore, veneſico in primis ſudore diffluente, in ſingula momenta

exſputa-

exspectabant, dum pater exanimaretur. tandem illius constantia, & ludibrio idoli, audaciores facti; pari & ipsi contumelia ei insultarunt. Erat idolum lapis teres iaspidi non absimilis, magnitudine non maior eduli malo; tribus tenuissimis membranulis opertus, ad similitudinem earum, quae ambiunt humanum cerebrum. ridicula omnino res & portentosa; in primis verò miseratione dignum, tantam humani generis hosti dari potestatem. Quanta igitur Euangelio habenda gratia, quanta diuinis sacramentis, quibus infesta tenebrarum potestas coercetur. Omnino mirabili & portentosa ratione execrandus ille lapis in eius venefici potestatem venerat. sedebat ille quondam in cetu popularium, ad eius pedes lapis, quasi alterius manu excussus, prouoluendo sese constitit: quem cum manu sustulisset, sensit se ab eo moneri, vt si vellet omnem felicitatem adipisci, ac praecipue victor ex bello cum Cicimecis hostibus redire, se domi diligenter custodiret; atque haberet in honore. se eum esse, qui praeliantibus vires sufficiat: qui pestem in homines immittat, cum velit; saneq. Homo diabolicae artis imperitus, numen in lapide inesse credens, accepit condicionem: quin etiam perbeatum se existimans, per eum lapidem magnam ignarus cum diabolo instituit familiaritatem. saepe per eum futura praedicebat: imminentes bellorum tumultus, cum cruentus appareret, portendebat. saepe etiam in signum familiaritatis, quasi cum eo iocaretur, eius adspectui se subducebat; & rursus post aliquot dies apparebat. Non tamen paruo stetit ea barbaro familiaritas. nam ad ostentandam suae vim potentiae, & barbari mentem ingenti timore percellendam, tam acerbe interdum

miserum

miserum accipiebat; vt viribus defectus tandem uere se non posset. qua ex re tam ille horrido, ac deformi aspectu factus est; vt ex ipsa Orci aula ascendisse videretur. indicium non obscurum, cuius ille familiaritate ueteretur. Et vero talis esse solet inimicissimi nostri generis amicitia: ne inter quidem magnifica illius promissa, quo maxime tempore hominibus propicius esse creditur, continere se potest, quin suam in eos rabiem effundat. Assiduis hisce malis victus ille miser, non grauate tulit, tandem ea se molestia liberatum. Timuit ille quidem initio, ne graue sibi aliquod eueniret infortunium: sed appensa è collo truce, quam ei pater dedit, non solum omni incommodo, sed metu etiam liberatus est. Postero die, qui dies fuit Natalis S. Ioannis Baptistae, apparuit tandem, quantum in stolido illo lapide numen esset, quanta potestas, & quas vires alijs subministraret, ipse non modo viribus, sed duritia quoque destitutus, quippe coram vniuersa multitudine prolatus, atque vno tantum ictu malleipercussus, dissiliit in pulueres, qui coniectus in ignem, momento consumptus. Tepeguanos maxima formidine, & inepta superstitione liberauit. Ita magna Dei gloria, & tartarorum ignominia de formidato illo diabolo triumphatum. Et quoniam regio admodum lata patet; vt tantae multitudini à duobus sacerdotibus fieri posset satis, peregrinationes ad vtriusque gentis remotiora loca multae susceptae sunt. sed tres praecipue fuere, in quibus aliquanto plus operae, temporisq. positum est. Prima fuit ad Salicetа, quae vocant. Erat baptizatorum ingens numerus: alijq. nondum sacro baptismate renati. sed aequeomnes in summa diuinarum rerum ignoratione,

tione, nemine ijs salutis viam commonstrante. Institutum ergo, vt singulis diebus bis ad templum conuenirent; vt christianae disciplinae rudimenta docerentur. quod illi tam laetis animis susceperunt; vt ante lucem gregatim viri, feminaeq. cum paruis liberis confluerent. tantumq. in eo studio breui profecere, vt multos ex ijs pater in varia loca dimiserit; vt quae ipsi didicerant, alios docerent. Ergo christianis edoctis, & instructis; reliqui erant ethnici, qui omnes & catechismo instrui se, & sacro ablui baptismate petebant. Igitur his quoque fidei rudimentis imbutis, dies baptismo dicta Dominica in Albis. vnus deuexae senex aetatis supererat, qui seorsim ab alijs in locis solis abditus latebat; neque cura eum tangebat, vlla eorum quae alij tantopere studebant. hic à suis popularibus excitus, nostro se sistit sacerdoti; sed sensu ad res diuinas ita stupido, vt semel, & iterum quam accuratissime edocto, ad animum nihil penetraret: cum tertio redisset, incusso mortis imminentis, aeternorumq. suppliciorum metu, stuporem mentis excussit; coepitq. aliquantum commoueri. sed postulato ad deliberandum spatio, rediit postridie pauoris plenus; ac supplicabundus, vt sui misereretur, sacerdotis obtestabatur fidem: cupere aeterna supplicia vitare; christianae velle religionis initia percipere: tantamque in ijs addiscendis curam, diligentiamq. posuit; vt non diurna opera contentus, qua & à sacerdote, & ab ipsis Topeguanis instruebatur, noctu etiam per vicos quaereret, qui se docerent: tantumq. diuina ope profecit; vt breui in catechumenorum numerum relatus sit. Interim hebdomadae sanctae ferijs, ea, qua potuit religione, Christi Domini passionis

nis memoria celebrata ; quam solennis Paschae laetitia consequuta , neophytos , catechumenosq. pia quadam dulcedine exhilarauit. Vmbrae passim virentibus ramis, sacellorum instar adornatae : per eas Tepeguanorum ducta supplicatio. Tepeguani ipsi quam nitidissimo cultu eo die apparuere , ablutis magna cura corporibus , candidis vestibus incedebant. pueri , feminaeq. ad vestium candorem pendentes circumquaque corollas , orbiculosq. vitreos , conchis , coraliisq. distinctos eleganti artificio addiderunt. tum iusta per interualla laeta vexilla ad speciem explicabantur. claudebat extremum agmen canentium chorus : tota res tubarum , tibiarumque sonitu exhilarata. supplicationem subsequuta est concio duplex, duplici idiomate, ad Mexicanos, & Tarascos; quorum magnus numerus conuenerat; Mexicano sermone, & Tepeguano. quare Tepeguani multum delectati sunt ; quod nunquam ad eam diem habuissent, qui sibi patrio sermone diuina explicaret : diem reliquum festa laetitia traduxere. Postero die eadem supplicatio repetita : doctrinae christianae carmina , & sacri hymni symphoniace decantata : tertio demum die confessiones audiri coeperunt. Placuerat enim sacram Eucharistiae communicationem in octauum Paschae differre diem. ad eam se magno studio viri, feminaeq. vel ipsi etiam pueri compararunt : & qui per aetatem vix dum culpas admittere possent, paenitentiam tamen subire non dubitarent. enituit praeter ceteros insignis pueri nouem circiter annorum pietas. qui cum à parente ad sacerdotem confessionis causa adduceretur ; suspicatus sacerdos puerum in eam mentem à patre adductum esse ; vt circumfusae prius multi-

tudini

tudini satisfaceret, per blande eum missum faciebat. perfecit ille tamen studio, vt sibi aures darentur; tantaq. maturitate & sensu pietatis suam peregit confessionem, vt grandem aetatem praeseferret. qui dum absolutionis forma pronunciaretur, patrio sermone cum gemitu identidem verba illa iterabat. Dimitte Domine peccata mea, quae nunc polliceor in posterum cauere. vtinam caelestis gratiae copia tanta sinceram illam animam perfuderit, vt felicissimum verborum omen, reliquae totius vitae innocentia sequatur. Tenuerat multo ante sacerdotis animum studium Tepeguanos ad poenitentiae, & castigandi corporis amorem inducendi: ergo Tarascos & Mexicanos, qui adhuc ibi versabantur, hortatur, vt ad aliquam commeritorum poenam, & maiorem excitandam pietatem, qui se ad sacram comparabant Eucharistiam, nocte quae Dominicum diem antecederet, verberantium supplicationem instituerent. assensere illi quam facillime. inoluit Tepeguanis id consilium: & tum neophyti, tum catecumeni christiani veteribus se adiungere decreuerunt. itaque totum diem Sabbathum in apparandis funiculis ad se verberandos insumpserunt, tantumque religionis eius studium omnium incessit animos; vt cum tempus esset, nullus domi remanserit, qui non ad templum se contulerit: vixq. infirmis, ac valetudinarijs persuaderi potuit, vt verberatione abstinerent. Decantatae sunt litaniae, cum psalmo Miserere, acriter interim christianis tum nouis, tum veteribus flagra in terga quatientibus. Postera lux eadem, qua Paschalaetitia, cerimoniaque celebrata. Ad sacram synaxim accesserunt Mexicani, & Tarasci, & ex Tepeguanis, qui

satis

satis parati iudicati sunt, sacram communionem sermo anteceſſit ad eos, qui ad sacram percipiendam Euchariſtiam ſe parauerant. Re diuina peracta, habita concio eſt ad omnes, qui conuenerant. In veſperam catecumenorum baptiſmus adornatur. Conuenere catecumani tum pueri, tum adulti, candidati omnes, capita ſertis redimiti, virentibus floribus, & verſicoloribus auium plumis intextis. Hi compoſito agmine incedebant. ſinguli manu ducebantur eorum, à quibus è ſacro fonte erant excipiendi, comitantibus hinc inde, accenſis facibus opidanis magna multitudine. Eo ordine ad locum baptiſmo paratum ventum eſt. Sylua erat raptim manu conſita, ramalibus eleganti diſpoſitione inumbrata, vernantium florum, & iucunda herbarum varietate adornata. nec decorat pro diei tempore, auium garritus, auribus dulci concentu blandientium. ibi omnes ordine, ſuo quiſque loco, ſolennibus rite ſeruatis cerimoniis, ſacro fonte abluti. Eo peracto miniſterio, eodem ordine, ſacro renati fonte, candida induti veſte, accenſas manu faces praeferentes, ad templum redierē, magno ſymphoniacorum ſacros hymnos canentium, aliorumq. muſicorum inſtrumentorum concentu feſtam animorum laetitiam ingeminante. Dimiſſis in ſua quoque domicilia neophytis, Pater contemplandi apparatus cauſſa, paucis Tepeguanis comitantibus, ad baptiſmi reuiſenda vmbracula ſe contulit: maeſtos ibi haerentes offendit catecumenos, qui quod non ſatis adhuc inſtructi catechiſmo viderentur ad baptiſmum, in proximum Dominicum diem dilati erant. Sciſcitanti, quid ita abiecto eſſent animo; graue ſibi eſſe reſponderunt, ea ſe caelitiſ gratia fruſtrari, cuius ſe compotes fuiſſe

ent, aduentu sacerdotis, antea sperassent: alios se, & hebetiores, & imperitiores admissos esse ad baptismum, & eos nominatim indicabant. Patet eos bene esse animo iussit: humaniterq. ijs satisfecit eos quos minus, quam se ad baptismum paratos nominassent, aut senes esse, & exactae disciplinae incapaces; aut aegrotos, & in mortis periculo constitutos, ijs non fuisse diutius sacrum lauacrum differendum: aliam esse adolescentium, & validorum rationem; qui & per aetatem dociles, & per valetudinem laborum, & contentionis in discendo tolerantes essent. His illi dictis acquieuere; sequenti insequentem diem Dominicum comparauere. Haec fuere semel explicanda copiosius; quoniam alijs in locis eadem repetita cerimonia est: ne saepius eadem iterentur, & tota res abunde cognoscatur. neque verò tacenda est hoc loco Caciquij, opidi illius pietas. is enim eo tenetur diuinarum rerum studio, & ea est in nos beneuolentia, ut quocunque socij proficiscantur, illos comitetur: eorum subleuat labores, tum baptismi candidatos instruendo, tum baptismo initiatos confirmando; studiose adit vnumquemque, instruit, excitat ad confessionem; curatq. sedulo, vt quod aiunt, lumen de suo lumine accendat, & cum ipsius labore, & industria magni quotidie fructus percipiuntur animorum; ea tamen est modestia, ita humili sensu de sese; vt non in media natus barbaria, sed in ipsa christiani orbis flore adoleuisse videatur. Deus pro sua clementia, tantam intueri dignetur probitatem. Haec fere in illa expeditione contigerunt; quibus & illud addi potest, quod eidem sacerdoti euenit alio in opido, cui à S. Iacobo nomen est. Dum opidum ingressus morbidos inquireret, incidit in

funus

funus opidani, qui ad sepulchrum feretro impositus christiano ritu ferebatur: diuino haud dubie instinctu actus, iubet eos, qui portabant, ad similitudinem Nainensium, subsistere: stragula aperit, quibus miseri corpus tegebatur: comperit adhuc vitalem ei superesse spiritum: contentis vocibus ad aures inclamat, an velit confessione expiari: aegroto nihil prorsus sentiente, fundit se in preces: confestim aeger excitatus, tantisper ad se redit, dum explicat confessionem; ac vix pronunciata absolutione expirauit. Altera fuit expeditio, & diuturnior, & maior. vterque enim in eam sacerdos profectus tertium mensem insumpserunt. penetrarunt etiam interiora eius gentis quadraginta leucarum spatio. In ea peregrinatione, quanta Tepeguani sint humanitate: quanta etiam ad ea persipienda, quae traduntur, docilitate; quo longius processerunt; eo pluribus, certioribusq. documentis perspexerunt. magna vtique ad religionem propensio, magnus ad nostra sacra excipienda feruor. tanta passim vbique humanitate, & benuolentiae significatione excipiebantur: quanta ab hominibus omni humanitate excultis expectari potuit. gratulabundi nobis obuiam se effundebant, vt interdum biduj itinere procederent. Et vere apparet Tepeguanum agrum naturae quodam bono, atque in primis diuina instinctu emollitum, ac subactum, optime ad excipiendam Euangelij semen esse praeparatum. Ingenij memoriaeq. felicitate, tanta sunt; vt fuerit qui semel audita catechismi capita memoria tenuerit; & catechistae munere fungi posset. multi praeterea reperiuntur, qui auditam concionem postero die fideliter, & sine aberratione totam referant, quod in rebus tam peregrinis,

grinis, tamq. à barbarorum sensu alienis magnam profecto habet admirationem. Fuit in hac peregrinatione messis aliquanto maior, quam in superiore. siquidem maior neophytorum ad Ecclesiam accessio facta est. Duo enim illustria baptismata celebrata sunt, eadem cerimonia, & apparatu, quo superior. adhibita item ad sacram Eucharistiam eadem praeparatio cum supplicatione, & flagellatione, quae ad Saliceta. Neque desunt in his quoque mediterraneis recessibus, vt alibi, malorum daemonum ludibria. In opido quodam magnam incolarum omnium ad nostra sacra propensionem deprehenderant. itaque eo impensius in eo excolendo populo incumbebant, quo magis id hominum probitati debebatur. vnus tantum (& hic senex erat) proterua se praebuit ad diuina capessenda: qui stolida quadam & militari contumacia, quae dicerentur, eludebat. monebatur, vt baptismi lauacro se purgaret: respondebat se satis superq. fluminibus perennibus mergi solitum. mortis metus & eorum, quae mortem consequuntur incutiebatur: respondebat se esse immortalem: idq. stulta sibi opinione persuaserat: in eumq. errorem diabolica fallacia vesanum hominem perpulerat. denique cum sic cuncta per ludibrium stulte, duriterq. elouaret; die quodam eo ventum est, vt graui contestatione Pater concioni toti, ipso audiente, denunciarit futurum, vt nisi ille resipisceret, breui moreretur, raptaretur q. ad inferna. Veram futuram fuisse praedictionem declarauit euentum, ni caecum & amentem hominem diuina clementia tam fedo eripere periculo anteuertisset. postero die ille contumax, ille sibi fidens qui omnia praesua immortalitate contemnebat, demissus, ac maerens

rens inter primos ad catechismum comparet, bucero, & laniato corpore, & sanguine undique conspersо: suum errorem damnat: veniam, & opem flagitat: sensisse ea nocte se nequaquam esse immortalem, vt stulto sibi errore persuaserat, nequam daemonem in eam se fraudem impulisse: promisisseq. mortem morbos, & incommoda omnia se ab ipso procul abacturum: se stulta credulitate ei fidem habuisse, & nunc nocte illa testem suae dementiae feram belluam domum suam irrupisse, ac se unguibus discerpsisse: exanimassetq. prorsus, nisi Deus illius impetum tandem ab ipso repulisset: proinde baptismum petere, atque in christianorum numerum ascribi velle. Crediderim id eius datum malo daemoni, eumq. eo crudelius saeuisse, quo praedam sciret sibi è manibus ereptum iri. vt his saltem vulneribus, suam in miserum rabiem expleret, quam diaboli crudelitatem Diuina bonitas ad miseri salutem postea conferret. Saeuebat laceratbundus hominem complexus in suscepto consilio confirmat, curatisq. vulneribus foedus cum daemone rescindere, & pactam illi iubet fidem remouere, adscriptumq. neophytorum numero, cum maturum fuit, magna cum popularium omnium laetitia, cum alijs baptizauit. Neque verò hic vnus senex, sed alter praeterea durum se praebuit Euangelio, verum, quod dolendum est, magna sua cum pernicie alios sapere docuit, quod ipse sua contumacia nesciuit. Reprehensus erat à patre, quod vxorem christianae religionis studiosam ad templum, atque ad catechismi explicationem accedere vetaret, ac propterea miris modis miseram diuexaret. dissimulauit ille in praesens iracundiam, seq. vxoremq. patris subduxit adspectu. Et vt emissi ferus

ingenio,

Digitized by Google

ingenio, & aspero, maiore concepta animo rabie, mulierem ne quidquam reclamantem, ac caelitum hominumq. opem implorantem, in locum saxis prominentibus, & alta crepidine septum, tanquam ferum aliquam bestiam inclusit. sed non tarda fuit numinis animaduersio: infelix eadem nocte, repentino interitu subiatus, & suae impietatis mercedem dignam tulit, & optimae mulieri ad suam pietatem earsum liberum reliquit. Mactenus cum Tepeguanis, Christo laus, omnia feliciter. At non eadem felicitate suscepta tertia peregrinatio est. Sic fatandis aduersa temperat diuina prouidentia, ad suorum alumnorum exercitationem, verum non tamen tanta fuit infelicitas, vt non plus ad diuinam gloriam emolumenti, quam incommodi relatum sit. Duae gentes quasi duae prouinciae illo obitae itinere: accolarum vtraque haec paludis, de quibus supra satis dictum est; illa fluminis eius, quod à Nassis nomen habet. sed cum palustribus, o rem perditam, & frustra susceptos labores, si res humanis momentis aestimentur: vnus duntaxat senex, & morti proximus baptismum suscepit, reliqui visos Euangelij praecones non secus, ac diris simas feras horruerunt. &, vt sunt lutrarum more amphibij, nantes in insulam, quam facit palus, fuga sese receperunt, vt nulla eos adeundi sese via expediret. & tamen hos quoque, vt pote eodem redempti Christi sanguine, & in ipsius corpore nobiscum fraternitatis iure copulatos, nobis curae iubet esse Christi caritas, vultq. diuina prouidentia hos quoque greges longe aberrantes, ac dispulsos, ad sua pascua, & ad sua ouilia traduci. Credibile est, vt ingens est in his locis diaboli potentia, terrorem aliquem ab infer-

nis potestatibus in hanc gentem aduersus suae salutis auctores immissum esse. rogandi caelites, ij praesertim, qui ei genti praesunt, infernorum hostium machinamenta, vt dispellant. Maerorem tamen sociorum ex tam irrito conatu alteri fluminis accolae magnam partem sublenarunt. Hi Zacateci nominantur, vtrum ijdem sint, qui in Zacatecana regione paullo supra nominantur, praeter nominis similitudinem, compertum nihil habeo. Sed hi non tanta quidem ingenij bonitate sunt, quanta Tepeguani: non tamen tam obtusi, & feri, quam palustres. Difficile percipiunt christiana dogmata. sed ea cum semel percepere, eadem, qua illa admisere, etiam retinent duritia. dubitant nonnunquam, & ea quae didicerunt, in quaestionem saepe reuocant: quod est indicium ingenij non nihil sentientis. vt quaedam anus, quae docta cuncta, quae essent, ab vno Deo esse facta; quaesiuit cur Deus etiam viperas, & noxia animalia fecisset. Quae interrogatio in homine doctrina tenuiter imbuto, & christianis mysterijs assueto habeatur, & improba, & stulta: at in femina ethnica est earum similis, quibus persaepe nos lacessunt rustici nostrates. Anus alia, cum ei filius dixisset, quod in catechismo didicerat: in caelo esse Deum, omnium rerum conditorem, omnia regentem, ac mouentem: didicit illa quidem, quod antea ignorauerat; sed quid sibi agendum esset, per se ipsa intellexit. nam à nullo monita, & noctu cum somno excitaretur, & die saepe sublatis in caelum oculis Deum venerabatur. Erat in ea gente magnus baptizatorum numerus: sed tam hi, quam reliqui in summa rerum diuinarum ignoratione. vsque eo, vt lacertum in cauea inclusum, quem pro Deo venera-

retur,

Digitized by Google

neraretur, superstitiosa anus contineret. quod cum resciisset pater, errorem feminam dedoctam, in vno rerum omnium Deo spem habere iussit: lacertum verò magna spectante multitudine, in ignem conie-cit, omnisq. illa diuinitas conflagrauit. Tam igi-tur christiani, quam reliqui catechismo instituti, & christiani quidem in fide confirmati & instruc-ti: & ethnicis ad septuaginta adulti, aliiq. tene-rae aetatis, & infantes aliquot baptismo expiati. non magno vtique laborum fructu: sed ea, quam dare dignatus est Deus, messe contenti suo egregie perfuncti munere, socij rediere. Sperandum à diui-na bonitate prouentus maiores in dies nostrorum hominum ad has gentes excursiones, profectionesq. habituras.

MISSIO AD S. LVDOVI-cum de Pace.

CICIMECAE populi sunt, vt ex superio-re Guadiana narratione intelligere potui-mus, Tepeguanis finitimi: cum quibus etiam non-nunquam bella gerunt. Gens inhumana & aspe-ra, syluarum & rupium latibulis, bestiarum more assueta; nullo paene, ne inter se quidem humano, ciuilique iure sociata: ingenio ferox, superba, te-meraria: & ab insita iracundia plus aequo ad certamina & praelia procliuis: vt non finitimis modo, & ipsi etiam inter se, alij alijs terrori sint: sed perpetuum etiam aluerint odium cum Hispa-nis: cum ijs bella gesserint: miserandasq. eorum strages ediderint. bello tandem domiti, & intra suas rupes montesq. compulsi sunt. Ad eos christia-

Digitized by Google

ni fugitiui permulti sese receperunt. Data est opera saepius, vt ad humanitatem, ciuiliaq. commercia allicerentur; & ex ijs recessibus coloniae aliquae in pacatiora loca deducerentur; sed euentu plane infelici: nunquam enim cum ijs pax tuta fuit. Hoc demum anno negotium pacandae, ac ciurandae gentis à Societate susceptum est benigno numine. eumq. statum res tenet, quem optabamus, & vix antea sperabamus. Christo laus. Profuit nimirum experientia nonnulla, ex longa eius gentis consuetudine comparata. Sed nihil magis ad eorum animos delenendas profuit, quam sincerae benevolentiae significatio, & perspecta multis officijs nostrorum fides. cum plane omnes intelligerent; nos ex eorum consuetudine nihil aliud, nisi suam ipsorum quaerere salutem. quibus illi rebus victi, ausi sunt tuto se nostrorum fidei committere. Ita & christiani omnes, qui ad eos confugerant; & alij ex ipsa gente permulti, qui baptismum postulabant, ex interiore regione in viciniora loca concesere: pacatiq. in opido S. Ludouici, quod huius orae caput est, alijsq. circa locis sedes, ac domicilia posuere; connubiaq. cum opidanis coniunxere, tanta animorum conspiratione; vt breuissimo tempore duae gentes in vnam coaluerint. ita mutua benevolentia coniuncti vtrique, alteri alteros student mutuis beneficijs deuincire. Ex quo natum est, vt toti opido S. Ludouici à pace sit nomen inditum. Hi nunc vna omnes doctrina christiana, & solitis catechismi exercitationibus imbuuntur; & magno consensu animorum in christiana religione proficiunt. Templa, sanctumq. confessionis sacramentum studiose frequentant. Per quadragesimam hebdomadis singulis feria VI. ad voluntariam

riam verberationem conuenerunt. Extremo verò sempere maioris hebdomadae ex omni circa regione, ad solennem Christi morientis memoriam recolendam permulti conuenerunt tanto pietatis, & doloris significatione, vt ipsis Hispanis essent incitamento. tanta fuit eorum multitudo, vt seria vndiquaque supplicationes sese verberantium deducerentur. qua fit vt his religionis mysterijs, symbolisq. accedente praesertim accurata harum rerum explicatione, aliisq. institutionibus, Cicinnecae sensim (posita feritate) ad humanitatem, & mansuetos mores deducantur. Est etiam alia nostra ratio, ad eorum animos ad lenitatem mitigandos, arctiusq. ciuilitatis vinculis astringendos: eorum tenera aetate liberos in communem domum coactos communi disciplina alendos, educandosq. suscipimus. & quamuis initio parentes, quos sunt in teneram prolem affectu; metu alicuius perfidiae, ne per speciem disciplinae in seruitutem quaererentur, difficiles se praeberent: nostris tamen promissis, nostraeq. fidei acquieuere. vt non modo filios requisiti libenter tradant: sed vltro etiam non rogati ipsi deducant. pueri porrò ita nostra humanitate, & facilitate capiuntur; vt nihil magis timeant, quam ne parentibus reddantur: ac si quando ab ijs repetuntur, sequi recusent, ac reluctentur. interdum etiam se abdant, ne trahantur. Nec dubium, quin ex hac quasi seminario resp. tanta consurgat animorum coniunctio, tantus in religionem amor; vt non facile mutationem in posterum res habitura videatur. Illorum institutio huiusmodi est. Diebus singulis horis duabus mane & vespere christianae legis mysteria patrio sermone, & Mexicano edocentur: litteris instituuntur, quae

iam multi probe norunt, & legunt expedite. musicam docentur, ecclesiasticam praesertim, quanquam & alteram, quae est ad harmoniam. exercentur etiam nonnulli ad compositam in numerum saltationem: (quod experimento compertum sit, has artes, atque hanc elegantiam ad ingeniorum mitigandam feritatem, incredibiliter prodesse) ad quam licet sint natura duriore: apparet tamen, quam sit natura docilis tenera aetas; quamque facile ad omnem disciplinam conformetur: quantumq. momenti in vtramque partem sit, ad vitia, & virtutes in prima primorum annorum institutione: vt nullo negotio disciplina superet naturam, eamque corrigat, vel augeat; persaepe etiam immutet. quod in hac puerorum apparet institutione: quos mirum est tanta facilitate ea percipere, ad quae minime à natura facti videantur. Neque pueri solum hac institutione, sed ipsi etiam adulti, grandesq. & qui inter eos ferociore sunt ingenio, christianae vitae praeceptis mire proficiunt ad lenitatem. Est inter eos neophytus, strenuus miles, & bellica gloria insignis: & qui in praelijs ducebat agmen. is vt ante in bello, sic nunc ad christianam pietatem suis ciuibus ducem se praebet. Forte autem, vt in nouo suscepto vitae genere nonnunquam fit, vt ad priora redeatur, hic die, qui Dominicam palmarum est insequutus, cum vino plus aequo indulsisset, temulentus ad templum veniebat, cum maxime sacerdos teneret concionem. prouidit rem sacerdos, misitq. qui suo nomine hominem ingressu templi prohiberet, domumq. regredi iuberet: ille vino madidus, mandato magis asperatus, temerè templum ingressus, ijs vocibus, quae suggerebat ebrietas, concionem iubet, relicto sacer-

dote,

dote, se sequi ducem: cum concio, mentis vitio cognito, non moueretur; domum redijt, atque edormita crapula, cum quae fecisset, recognosceret: tanta eius rei poenitudo cepit hominem; vt primo quoque tempore venia à patre petiturus, ad templum se contulerit, suamq. magno doloris sensu culpam sit professus: paratumq. sese ad publicam culpam, publica satisfactione compensandam exhibuerit. nec fefellit fidem: nam feria V. in Coena Domini in magna populariũ frequentia se ipsum grauiter accusans, supplex veniam petijt ab omnibus, qua se eo minus dignum esse diceret, quod vino victus ea deliquisset. atque vt omnibus fidem faceret sibi tantum facinus dolere; statuisseq. in posterum talia semper facinora vitare, funiculis, quos eius rei caussa domo tulerat, expeditis, magna omnium admiratione in sua terga desaeuijt ad satietatem. Alius item Cicimeca temulentum hominem interfecerat, à quo ad singulare certamen prouocatus erat. veritus igitur sacerdotis offensionem, & è conspectu se proripuit, & vsitato gentis perfugio, in montes ad interiora se receperat. verum re postea melius perpensa, statuit ad sacerdotem se conferre; & coram suppliciter veniam petere. ita qua culpam profitendo, qua excusando, & alleuando factum, in magna concione populariũ impetrata venia, totius facti memoriam obliterauit. Quae in gente aspera, & vitae consuetudine ad omnem propensa feritatem, magna indicia sunt mutationis dexterae excelsi. Interim dum haec in Cicimecis agebantur, excurrit vnus è socijs per Quadragesimam ad finitimos Bubuleos: (gentis nomen id esse videtur) ij missi sunt ex Hispanis, & indigenis; christiani omnes, vt

apparet

apparet, & ex connubijs inter se communicatis mistum tertium genus protulere. vtiliter est in ijs opera posita. magna veneratione & gratulatione ministeria nostra excepere. vellent nostros saepius ad se redire, & cum ipsis diutius morari: sed operarum paucitas, & recens in Cicimeis facta sementis, metu ne quid inter causa, & porrecta incommodi aliquid eueniat, ab assidua cultura colonos abire longius, aut ab opere oculos auertere non sinit.

QVAE AD Philippinas Prouinciae Mexicanae additamentum pertinent.

POST datas Superioris anni litteras, sacerdotes quindecim, cum coadiutoribus quatuor, quorum plerique ex Hispania huc traiecerunt, ex hac Mexicana Prouincia nauem conscenderunt: vt ad Philippinas Insulas, vna cum Praetore, aliisq. aliorum ordinum religiosis viris nauigarent. Inde ex Manilae portu in has eras duae naues solueruant, quarum altera nostrorum litterae ferebantur. ea incommoda haud dubie vsa nauigatione, quo delata sit, ignoratur. ex altera vero, quae portum tenuit, cognouimus eos Manilam calendis ipsis Augusti incolumes attigisse, centum, & triginta diebus in molesta admodum, & laborioſa nauigatione consumptis: cum tamen eorum aliqui ad litus eiecti centum leucarum spatium partim pedestri itinere, partim rudentes litora celocibus emensi essent. Quacunque iter fecerunt obuia habuere Franciscanorum examina: à quibus supra quam

quam credi posſit, benigne, humaniterq. ſunt excepti. R. ipſe P. Commiſſarius, eorum aduentum lacrymabundus gratulatus: Optarem, inquit, Patres optimi, vt mille veniſſetis. omnibus vtique ſupereſſet opera. Eos tanta comitate, caritateq. excepit, vt nulla ſuae dignitatis ratione habita, eorum licet pertinacius recuſantium pedes ſuis manibus abluerit. Noſtrorum aſpectu gentes, per quas tranſibant multum delectabantur, tum chriſtiani, tum ethnici. nunquam enim antea in ijs locis noſtri homines conſpecti erant. Delati Manilam cognouerunt P. Antonium Sedennium, qui in Philippinis pro Prouinciali erat, è vita deceſſiſſe, anno aetatis ſuae ſexageſimo quarto, ab ingreſſu in Societatem trigeſimo ſeptimo, poſt emiſſam quatuor votorum profeſſionem decimo quinto. Praefuit olim ijs, qui in Hauana & Florida Inſulis commorabantur. Rector poſtea Mexicani, inde etiam Manilani Collegiorum. de cuius egregia induſtria, excellentiq. virtute multa ſcribi poſſent; ſi quae de ipſo, deq. totius eius regionis rebus ſcripta ſunt, perlata eſſent.

In eius locum ſuffectus eſt P. Raymundus Pratus, qui tunc Manilanum Collegium regebat.

PRO-

PROVINCIA LVSITANIA.



ECENSVIT Lusitania socios omnino quingentos, & septuaginta. Olisippone in Domo professa quinquaginta quinque, totidem in Collegio: in Conimbricensi Collegio, eiusq; Residentijs centum nonaginta: in Eborensi centum quinquaginta, in Portuensi sexdecim, in Bracarensi triginta quinque, in Brigantino quinque & viginti, in Funchalensi quatuordecim, par numerus in Augrensi: in Insula Sancti Michaelis sex: in Angolana sede decem: in his numerãtur sacerdotes centum septuaginta, magistri septem & sexaginta: scholastici centum quinquaginta: curatores rei domesticae centum viginti. tirones reliquum explent numerum. Excesserunt è viuis decem, venerunt in Societatem viginti quinque.

DOMVS PROFESSA Olisipponensis.

OBIERE *diem suum Olisippone in Domo Professa patres duo:* Pater Gaspar Vasaeus Aquis

Digitized by Google

Aquis Flauijs natus in Dioeceſi Bracarenſi, vir aeque tractandorum animorum virtute praeſtans, atque excellenti doctrina inſignis. his Philoſophiae ſtudia dux ipſe alijs praecurrerat, ac Theologiam etiam in Eborenſi Collegio docuerat. nouiſſime rogatu Algarbiorum Epiſcopi multa Turdetanorum opida obierat, diuini verbi ſemina circumferens: neque enim minore ille erat ad concionem ardore animi, quam ad locos graues de Theologia explicandos ingenij acumine, & vbertate. his laboribus functus maioribus, quam vt eos corpore ferre poſſet, quartana inſuper oppreſſus, grauiſſimum in morbum incidit. reparata vtcumque valetudine, Oliſipponem à P. Prouinciali profeſſionis cauſſa reuocatur: peractis omnibus experimentis, lapſus iterum in morbum, non votis ſolum nuncupatis, ſed completis, in tutam illam coeleſtium ſocietatem eſt inſertus. alter P. Iacobus Aluarus, longa iam aetate, perfectisq. virtutibus coelo maturus, quadraginta quippe annos, & eo amplius egerat in Societate. Vir cum ad cetera Societatis munia impiger, tum ad confeſſiones audiendas labore indefeſſo, quem adeo non intermiſit; vt ne vltima quidem illi dies ſine linea effluxerit; eodem paene momento & audiendarum confeſſionum operam, & vitae illi curſum praecidente: officiorum omnium cum pietate coniunctorum perquam ſtudioſus, praecipue vero viſendis aegrotis aſſiduus, & iuuandae paupertati apprime deditus. Vniuerſae ciuitati quam carus fuerit, multorum lacrymae, & gemitus, dum efferretur, declararunt. ea vero de illius ſanctimonia fuit opinio; vt multi, vt de viro ſancto reliquiarum aliquid poſtularent. neque vero haec de illo opinio, inanis quaedam fuit cogitatio.

Digitized by Google

tatio. Constat siquidem ipsum non semel diuinam plane virtute morbis paene deploratis, ex insperato salutem attulisse. Aegrotus è prima nobilitate adolescens inaequabili iam, & formicante venarum pulsu, propemodum depositus; atque omni plane medicorum ope destitutus iacebat: ad diuinam nempe sibi confugiendum esse intelligebat. P. Aluarum ad se adduci exoranit; qui sibi assidens de sua valetudine ad Deum preces faceret. Is Euangelio S. Ioannis recitato, manum imponit aegroto: neque ita multo post ei melius esse coepit; eslq breui pristinae sanitati restitutus, quod ille beneficium P. Aluari precibus se accepisse profitetur. Alteri ex carbunculo ita fauces intumuerant, vt aegre admodum eluctantem spiritum attraheret: imminebatq. periculum ne, tumore fauces omnino praecludente, suffocaretur. is chirurgorum manibus frustra saepius adhibitis, statuit sibi magis salutarem manum adhibere. ergo ad eundem antea cognita remedia & ipse confugit. P. Aluarum accersit: rogat, vt de sua salute Deum deprecetur: ille de more legit Euangelium: inter legendum loco tumoris digito crucem imprimit: repente tumor ita remisit; vt postridie validus domum nostram, Deo gratias acturus; & receptam valetudinem gratulaturus ipse venerit. Sed venio ad operas; vt non segnis fuit concionum, & confessionum opera, ita neque ex iis exigui collecti fructus. Redierе ex odio in gratiam non pauci. Grauissime insensus quidam erat inimico, à quo eius filius occisus erat; neque multorum etiam religiosorum virorum precibus ab vlciscendi voluntate adduci potuit. ita stipatus armatis nocturna tempora obseruabat, illum vt opprimeret. is, vbi ex nostris auditа

dita sanxione, omnem plane ex animo pertinaciam eiecit: factaq. confessione peccatorum, redintegrata gratia, iniuriae memoriam obliterauit. Duae praeterea inter parentes & liberos sublatae simultates. Pax inter alios conciliata multarum calamitatum fustulit occasiones. Coniuges duo, inter quos ex zelotypiae dissidium, ex dissidio diuortium natum erat, ad concordiam reducti. Alius multos iam annos odio tanto uxoris congressum, conspectumq. vitabat; vt in perpetuum potius exilium abire, quàm cum illa viuere praoptaret. hic vnius è nostris sacerdotibus oratione ita permotus est, vt uxori placatus, cum illa gratiam, conuictumq. reconciliarit. Quidam sibi, uxoriq; suae consulens, nostrorum hortatu pellicem exegit. Alius cum filium ex adulterio susceptam domum intulisset, intulit simul uxori iurgia, & rixas: quae tamen nostrorum opera extincta sunt, puella in alio honesto domicilio collocata. Ingens quoque ab homine insonte malum cum pernicie, & ignominia coniunctum, nostrorum opera depulsum. nam illi eum tanto imbutus odio inimicitias cum illo gerebant; vt non ante quieturi viderentur, quam miserum illum infami iudicio circumuentum, damnatumq; ignominiose in cineres redigerent. re igitur inter se clandestinis colloquijs comparata, hominem innocentem falso eius criminis insimulant, quod damnatum poena sequi oportebat, vt igni cremaretur. nec dubium, quin si illi in nefario incepto perstitissent, certa pestis, turpissima cum ignominia, misero illi immineret: ut parum abfuit, quin furiosus erumperet. nostrorum tamen interuentu omnia, quae falso afficta erant, reuocata: & ex, qua labes nulla adhaerebat, ab infamiae, & iudicij

flamma

flamma liberatus, lites quoque nostrorum consilio multae diremptae. Matrona nobilis à viro litigio sane permoleſto, & momenti maximi diſſidebat: vertebantur ea conorouersia quinquaginta millia aureorum. viri grauiſſimi permulti eam compeuere diſſensionem enixe contenderunt: ipſi Regni moderatores ſuam in ea re auctoritatem interpoſuere; neque vnquam potuit malicioſus peruicacia expugnari. ad extremum vno de noſtris interprete, magna cum familiae totius gratulatione compoſita res eſt. Virgines aliquot, quarum in periculo vertebatur integritas, partim coniunctae matrimonio, partim cum alijs tuto in contubernio collocatae. Alia inſuper non paucа, ad communem ciuitatis vtilitatem per noſtros procurata. Meretrices aduenae in ſuam quaeque patriam faceſſere coactae ſunt: indigenae porro certos intra fines, quibus non liceat efferre pedem, neue per vrbem vagari, cohibitae, nec deſuere, quae ſe ex tam miſera ignominioſaq. condicione ad frugem recepere. Neque parua illecebra ad flagitium ſublata eſt, cum vrbe cedere hiſtriones & ludiones iuſſi ſunt; qui pretio ſpectatum fabellas impudicas admittebant: quae ſola hominum colluuies, multorum erat ſeges, & cauſſa malorum. Alia praeterea flagitia, partim naſcentia, partim iam adulta, & in magnam perniciem ciuitatis, honeſtarumq. familiarum ignominiam pullulantia, noſtrorum diligentia ſuppreſſa. Noſocomia, carcerem, triremes inuiſere, miſeroſq. & aduerſa rerum condicione conflictatos ſolari noſtris ſolemne eſt: ſacramentis, pijſq. monitis inſtruere: eleemoſinis quoque, quatenus datur facultas, ſubleuare, & hoc anno quinquies lauta prandia carcere detentis ſunt allata: magnum

leuamen

leuamen in afflicta fortuna miserorum, complures è carcere emissi: aliis illatae iniuriae venia à laesis impetrata: cuidam etiam (quod sane non caret admiratione) summa octo aureorum millium, quae furtim interuerterat, remissa: aduenae homini, qui ob afflictum crimen multos iam annos coercebatur, impetrata missio. Miserorum aegrotorum inopia frumento precario coacto subleuata: in eam rem à duobus viris nobilibus non modica pecuniae summa collata. Et quoniam de aegrotis facta mentio est, non abre fuerit illud etiam commemorare, quod aegrotis duobus honestioris condicionis contigit. cum vehementi febrium aestu vterque raperetur, vt nullis remedijs alleuaretur, pia vtrumque subijt cogitatio; alleuamenti aliquid sperari posse, si sacrae ad se reliquiae coelestium, quorum paenes nos copiam esse sciebant, è nostro templo perferrentur: est ad alterum brachium S. Symphorosae, ad alterum caput vnius ex vndecim millibus virginum allatum: quae vterque cum magna veneratione excuperet, & subinde pia oscula defigeret, mox cum significatione receptae valetudinis ad nos remisit. Crescit in dies catecheseon fructus, vt ad Aethiopes etiam, & Mauros, seruitutem seruientes, sese porrigat, nam cum eorum sit in hac vrbe magna copia, in classes plures distributi, statis diebus sub vexillis ad suas quique parecias coguntur. Ingenui porro in suscepto & ipsi pietatis instituta perseuerant: ex eorum numero puer praemio ad indigna mandata perferenda, à petulanti homine sollicitatus, rem totam generose admodum repudiauit: asserens alienum esse ab alumno nostrae disciplinae tanti flagitij sequestrem esse. huius alter exemplo, eadem religione tactus, ne simile flagitium

admitteret, oblatum anulum pari animi constantia reiecit. Neque vero ij soli, qui in vrbe degunt, sed & conuenarum etiam non pauci per nostros instructi catechesi. Ex ijs triginta circiter ab haeresi ad veram pietatem reuocati. nonnulli praeterea ex Mahometanorum gregibus; quibus sane ad fidem adducendis negotij multum fuit, quod eorum alij ingenij tarditate, & hebetudine indociles, alij barbara feritate in sua essent obstinatione peruicaces, tundendo tamen eumdem saepius incudem, aliqua est ijs diuinarum rerum cognitio impressa, & studium iniectum Christianae pietatis. Itaque magno apparatu baptizati, à duobus Illustrissimis Proceribus è sacro fonte suscepti sunt. Non omittenda est Lupi Soarij ab Albergaria, Electi quondam Portalegrensis Episcopi extrema egregiae suae voluntatis erga nos significatio. is per eos dies, quibus grauissime aegrotabat, quiq. illi fuere supremi; nostros tantum homines ad se admisit: ex ijs confessarium extremo illo tempore sibi delegit; cuius consilio res suas omnes composuit: eundem sibi voluit adesse expiranti: locum sibi sepulturae in aede nostra delegit: bibliothecam quoque nobis testamento legauit, ita instructam, vt quatuor aureorum millibus aestimetur. Speramus suam ipsi pietatem, ac liberalitatem plurimum ad coelestem vitam profuturam. Hactenus de rebus vrbanis. In loca alia exierunt sacerdotes duo; alter Cetobrigam, Villauicosam alter. Cetobrigae sacerdos eo missus verni ieiunij diebus, mirum vrbe tota studium pietatis excitauit. nam praeter statas conciones matutino, & pomeridiano tempore frequenti populo, multum diurni, nocturniq. temporis audiendis confessionibus impertijt. quibus rebus factum

tum est, vt ad diuinam gloriam, & magnam vtilitatem animorum non exigui fructus referantur. exemplum habe. Vir honesto loco natus, & senator, graui accepto vulnere, sedum in modum deformatus, iratum animum in percussores, incensamq. vindictae cupiditatem ponere non poterat. nostri tamen sacerdotis concionibus ita emollitus est, vt non modo iniuriam omnem condonarit; sed multam etiam quingentorum aureorum percussoribus remiserit. Et quoniam, vt saepe fit humano vitio, religiones vt aliquae contemnantur, praesertim si non sit, qui hominum desidiam castiget; inducta erat in eo opido pontificiarum indulgentiarum negligentia tanta, vt si ea res ad nullum pietatis fructum pertineret. disputauit ea de re pro concione, quantiq. thesaurus tantus esset faciendus, copiose declarauit: ita veterno populi discusso, omnium animi ad illas excipiendas excitati. Qui Villauicosam est profectus, circa Christi natalicia, paschalesq. ferias, magnum concionibus iniecit ardorem animorum: sed praecipue in ipsa Illustrissimi Brigantiae Ducis familia proprium, & familiare studium pietatis renouatum, vt maiora caperet in dies incrementa. feminae illustres, molli, ac splendido cultu assuetae, sic cilicio corpus apprimebant, sic ieiunijs flagrisq. atterebant; vt, quantum aliae in forma augenda, comendaq. tantum hae in sua ipsarum victoria, in corpore affligendo, domandoq. operae, studijq. collocarent. Precationibus vero intra suum quaeque recessum ita intentae; vt gynecaeum non aula magnatum feminarum, sed Deo dicatarum animarum coenobium videretur. Duo praeterea nobiles adolescentes, audita concione, religionis ineundae consilium

ceperunt. Christianae legis rudimenta varijs in templis idem exposuit. puerorum instituit concertationes teneros animos praemiolis alliciendo, abunde in eam rem Duce pecuniam suppeditante.

COLLEGIVM Olisipponense.

CVM multis alijs, tum illa praecipue de caussa Olisipponensi Collegio laudanda diuina bonitas, quod hunc annum expertem funeris transegit. eo nostris cursus fuit expeditior ad hominum utilitatem procurandam. Scholas frequentantium numerus, crescente multitudine, congeminauit, aucta simul pietate. Sed ea laude praestant ceteris partheniani; quorum quam sit gratum studium diuinae matri, cum quotidiana, quae ipsa infundit è coelo charismata declarant; tum illa duo maxime, quae instar miraculorum hoc anno contigere. Adolescens nobilis, cuius erat praeter ceteros erga Coeli Reginam insignis pietas, feriatis à gymnasio diebus redibat in patriam. iter ingreditur, cum duobus mercatoribus comitatus: qua maxime tutus esse credebatur, ea maxime parte fuit exitiosus. nam belli metu, quod imminere credebatur, duo illi bene numati comites ingentem pecuniae vim Olisippone exportabant. eam rem subodorati latrones, illorum iter intercipiunt; atque in vasta solitudine in eos coorti, mercatorum alterum sclopo interficiunt: duos reliquos circumsistunt: arcam in qua numi claudebantur corripiunt. tum vnus è latronibus sclopum admouet adolescenti: eum contumeliose, minaciterq. compellans,

pellans, clauem iubet proferre: ni statim exhibeat, mortem esse in oculis. negat se habere miser, animumq. ad necem componens, in ipso iam complexu mortis, auersa facie, ne suum interitum videret, tacita prece Virginis matris opem implorabat. tum latro morae impatiens, nil cunctatus calybem in silicem immittit, ictu irrito. excussa enim scintilla fomitem non attigit; haud dubie diuina matre alumnum suum protegente. Latrones ablata pecunia, illaesum adolescentem dimisere. Is postea sanctissimae matris in se beneficium depraedicauit. enim verò periculosus comes est pecunia: longeq. tutior vbique paupertas. Fuit & alterum illustre diuinae bonitatis, & virgineae tutelae documentum. Vir sacerdotio, & multa dignitate venerandus: cuius non pauca in sodalicium ipsum extant merita: die quadam mane insolito amictu patrem eum, qui praeest sodalicio, conuenit. miratus Pater rei nouitatem, quid tandem contigisset, expectabat. O mi Pater, inquit ille, gratulabundus, sanctissimae matris bonitas hac me nocte seruauit. Narrauitq. ipso noctis silentio, cum maxime somno consopitus esset, monentis vocem, angeli ne praefidis an diuinae matris, incertum, percepisse se, quae diceret: Proripe te è lecto fili; & ex isto cubiculo excede. cum somno pressus segnem se praeberet, sollicitudinem tamen ex audita voce animum extimulasse: somnoq. excusso à strato surrexisse; atque amiculo raptim circumiecto è cubiculo exiluisse: repente pauimentum, ac domus contignationem ingenti fragore corruisse. qua vtique ruina oppressus esset, nisi coelesti monito obtemperasset. Tam felicia rerum aduersarum euenta, haud dubie patronae virginis tutelae tribuenda,

cæterorum sodalium animos ad cultum tantæ matris maiore diligentia suscipiendum excitarunt. Ex ijs multi se ad varias religiosorum familias contulere: eodem veto alij tenemur, sed omnibus licet currentibus stimulos admouit ex honesta familia vir grauis, & non modicæ auctoritatis; qui multis naturæ, fortunæq. muneribus abunde præditus, vbi religionem animo concepit; rem omnem familiarem ad cœnobium Capuccinorum constituendum contulit. Quibus ille non modo se adiunxit, sed ad maiorem sui humilitatem, eorum se domestico ministerijs addixit, interelusò sibi aditu ad sacros ordines. Discipulorum probitas, & erga magistros obseruantia vel inde perspici potest. Extremo die Bacchanalium, quo maxime lasciuit hominum licentia; educti omnes agmine catechismi carmina alternante symphonia concinentes, prosequentibus magistris, vrbem totam obiuerunt, magna cum totius ciuitatis admiratione simul & probatione: cum non magistrorum modo consilium, sed adolescentium etiam modestiam, probitatemq. tali tempore, tanta mansuetudine obtemperantium laudarent. quæ res lasciuientem iuuentutem, totam in ludos, & voluptatem effusam, magnam partem repressit. Cumq. ad amplam aream venissent, quæ est ante regiam, vnus e quinque moderatoribus regni, cognita re, tantam cepit animo voluptatem, vt continere se non posset, quin ad rem è fenestra prospiciendam se conferret: & verbis etiam animi sui lætitiam significaret; cœli delicias se spectare dictitans, laudauit amplissimis verbis Societatis consilium; quod nouicio commento & bacchanti lasciuiæ frenum, & plebi, abeunte per id tempus alienæ, religio inuceretur.

Quam

Quam vero intimis sensibus virtutem colant, & vitae integritatem tueantur, documento sit vnius exemplum. Hic monita illa saepius à confessario inculcata, quibus maxime illa indiget aetas, alte animo infixerat: Hostem castitatis fallere, gloriosam esse victoriam, triumphumq. clarissimum. in magno igitur tam praetiosae gemmae periculo positus, neque socordem se, neque segnem salutaris doctrinae praebuit cultorem. nam à muliere in solo loco deprehensus, cum vehementer ad pudorem proculcandum incitaretur; nec posset furentis animum à concepta nequitia honestis monitis auertere; vi ex impudicis manibus elapsus, fuga suam tutatus est integritatem. Neque tamen defuere, qui tam quietum rerum cursum & sanctissima optimae iuuentutis studia sua prauitate interturbarent. Et sane optandum fuisset effrenatam eorum licentiam à diuina prouidentia alia ratione corrigi, quam tanta animaduersione omnem ijs peccandi praecidi potestatem. sed quis diuinae sapientiae modum faciat? Duo erant in Ciuitate adolescentes, impudenti audacia, & effrenata; manu prompti, & ad quodcumque facinus audentes. hi stygijs furijs incitati, vel quod tantam probitatis lucem odissent, vel quod aliquos ex tam lecto numero in suae societatem audaciae trahere optarent, magno ad disciplinae quietem erant impedimento, qui cum intelligerent certi patris diligentia praesepiri sibi aditus ad iuuentutis corruptelam; eum de medio tollere constituunt. Re cognita sacerdos ille Deum summum rerum omnium arbitrum, ac iudicem precibus sacrificijsq. fatigat; vt molestis interpellatoribus amotis tranquillitatem nostrae iuuentutis tueretur, eiusq. rei causa tribus diebus rem diui-

nam facit. plus impetrauit, quam optauit. sed duratae moles, ad terrorem contumacium, non nisi vehementi fulmine fuere prosternendae. vix tertius dies abierat, cum vindicta coelitus immissa utriusque fracta contumacia est, & audacia suppressa. alter enim globo, ex aeneo tormento emisso percussus, inter amicorum manus semianimis, domum reportatus, paullo post moritur. Alter impacto saxo, fracto cranio ad cerebrum, post dierum aliquot curationem ex vulnere contabescens, phthisi breui consumitur. crediderim sacerdotis nostri pietati, ac precibus datum, vt quandotanta impietas horrenda fuit morte vindicanda, id genus mortis vterque sortiretur, quo & sua agnoscere flagitia, & posset saluti animi consulere. Neque vero ciroa scholas tantum laboratum; valetudinarium, carcer, triremes aditae. multorum annorum atque adeo vitae totius confessiones auditae, permultae: multi dissidentes reconciliati: multis vt concubinas eijcerent, persuasum: multarum etiam virginum pudor conseruatus: à turpi etiam vita mulierculae abductae: centum aureorum summa fraudulenter interuersa, vero domino restituta. In huius dioecesis opidum, (Turres nouas nominant) missus ex hoc Collegio sacerdos, rei Christianae strenuam nauauit operam. Duo ibi nobilitate generis insignes, implacabili odio dissidebant; quod alterius fama ab altero esset violata. & is, qui iniuriam acceperat, publici dignitate muneris alteri praestabat, vir impiger, & rebus agendis, negotijsq. gerendis exercitatus, qua acrius ius suum iudicio persequebatur. Hunc de pacificatione compellat noster, ille initio omnia reijcere. adiecit noster artem ad consilium: eius sibi conciliat beneuolentiam;

lentiam; post illius obduratum animum blanda oratione coepit emollire: nequeita multo post versare etiam, & flectere. diuina tandem ope factum est, vt sanctiore hebdomada in frequenti nobilium conuentu, magna cum totius opidi voluptate, mutuo se amplecterentur. Erat in eodem opido inter priuignum & nouercam perplexa, & difficilis de pecunia controuersia; quae iam in graue dissidium & odia eruperat: profectaeq. erant iniuriae irreuocabiles: vt res ad factiones, & caedes iam spectare videretur: imminebatq. periculum ne multi in idem discrimen traherentur. sed Dei ope nostri sacerdotis fecit auctoritas, vt septem millium aureorum hostimento composita lite, nouercalium extingueretur, & opidum ab imminenti periculo liberaretur. Quae res tanta laetitia affecit vniuersos, atque ita Societati deuinxit; vt plane dicitarent multi, opere pretium se facturos, si bonorum suorum auctionem facerent, vt ex reducta pecunia Collegium Societati fundaretur. Praecisa est etiam multis causa peccandi. Quidam puellam dolo, è paterna domo, magna cum parentum, ac familiae iniuria subductam, apud se habuit aliquot annos: neque vnquam adduci potuit, vt illam parentibus remitteret. Dedit operam, vt per magistratum puella à raptore abducta, tuto in loco tantisper seruaretur, quoad ei dos, & maritus quaereretur: eiusq. rei negotium suscepit vir nobilissimus: qui sacerdotis nostri meritis erga se hoc se dare professus est: cum apud eum totius vitae peccata paucis ante diebus confessione, & lacrymis delesset.

COL-

COLLEGIVM Conimbricense.

CONIMBRICAE decessit summo omnium maerore P. Vascus Baptista, publicus Theologiae professor, vir aeque eximia doctrina, ac singulari modestia insignis; & qui in Societate tot annos, quot in his aerumnis Christus Dominus exegerat, in eaq. quatuor solemnia vota nuncupauerat. natus Maimentae opido, in dioecesi Lamacensi: studio pietatis, in primisq. sacrosanctae Eucharistiae, ac Dei matris veneratione apprime deditus; vt multas horas, aut in templo ante aram maximam, aut in domestico sacello ante tabulam Deiparae nixus genibus traduceret: caritatis, & simplicitatis amator egregius, quarum zelo virtutum, ac studium inflammandi alios ad pietatem, dulce illi fuit, vacua tempora à sumpto cibo pijs colloquijs cum illitteratis fratribus, aut ijs, qui recentes veneram e tirocinio exigere. ab hoc ardore, virtutum, causa illi mortis accessit: nam cum ad hominem in carcere aegrotum è Collegio confessarius accerseretur; homo id auctoritatis vltro operam suam detulit: adit aegrotum, consolatur, instruit, aures praebet: confessumeq. munito sacram iubet afferri Eucharistiam: afflictum morbi grauitate, squalore obsitum, paedoreq. sordidum dum alleuat, versat in latera, purgat, tergit, pallio insuper sibi detracto algentem fouet, fedi morbi contagione ipse, comesq. inficitur: quo breui extincto; comes quidem superfuit, aegre tamen vitam retinuit: neque adhuc cum haec scriberentur in

Prouin-

Prouincia, periculo exemptus erat. Obijt praeterea frater coadiutor Antonius Ioannes, ex dioecesi Conimbricensi in immatura aetate, matura admodum virtute: non dum enim quinctum expleuerat in Societate annum. adolescens sui ipsius aduersator acerrimus, ac corporis motuum seuerus depressor; quod semper magna cum sui victoria laboribus, ieiunijs, cilicio, verberationibusq. exercitum habebat: vtriusque iacturam compensauere quatuor ad tirocinium adscripti. Versantur in eodem tirocinio nouicij vndeuiginti, quibus adduntur tertiani quatuor, è quibus duo sacerdotes. Scholae habuere hoc anno auditores centum supra mille, numero ob annonae caritatem valde imminuto: nulla tamen facta iactura pietatis. exemplo id vnius discipuli comperium; qui in eodem castitatis discrimine, quo Olisipponensis ille, quem diximus, constitutus, pari virtute se inde expediuit, inter vngues sceleratae harpyae, instar integerrimi Iosephi, etiam pallio relicto; vt integer ex incendio Babylonis euaderet. Conciones habentur sane, quam frequentes, & magna audientium vtilitate. Et quidem Dominicis ieiunij maximi diebus in varijs vrbis templis, viciniſq. opidis octonae, supra vicenas habitae sunt. Catechismus tum in templo nostro, tum in alijs quaque hebdomade, non nunquam etiam in compitis, plateisq. cum fructu explicatur. Et hic quoque extremis Bacchanalibus, vt Olisippone, iuuenum pompa per vrbem cum praealtis vexillis, & cantu circumducta. Sed eam fecit spectabiliorem Illustrissimus, & Reuerendissimus Episcopus, addita tubicinum symphonia, & festiuo campanarum pulsu, tum ad aedem maximam, tum ad esteras parecias, per quas

pueri lo

puerile decus ducebatur. Qui cum ad aedem nostram redijssent, oratione ad tempus accõmodata, vniuersi collaudati; gratijsq. actis de praestito eo die officio pietatis, dimissi sunt. Cetera, quae ad augendam pietatem pertinent, prospere suum cursum tenuerunt: neque saepius videntur inculcanda. Triclinium, superioribus annis pro amplitudine Collegij extrui coeptum, hoc anno tandem fauente numine, ad culmen est adductum; ea dignitate, & amplitudine, vt centum quinquaginta simul accumbentibus, commodum praebeat locum. In missionibus impigre aliqui versati. Quinque nostri sacerdotes varia opida lustrarunt: tantum confessionum numerum exceperunt; vt per saepe diebus adiunctae noctes non sufficerent: pecunia in subsidium pauperum corrogata: eaq. non egentes solum singuli, sed inopes quoque familiae adiutae. aere quoque alieno, & carcere simul; qui soluendo non essent, liberati. Tentugalum rogatu Comitis Tentugalensis solemnis ieiunij tempore missus sacerdos, cum inter concionandum inclementiam perstringeret eorum, qui inhumanius se gererent in eos, qui publica custodia tenentur; suspicatus Comes Patrem ea oratione viam sibi expedire ad veniam certo homini petendam, statuit illius petitionem, suo beneficio anteuertere. addixerat ille carceri honestum virum; quem statim atque à concione domum redijt, emitti è carcere mandauit: neque fuit inanis Comitis suspicio. siquidem illo ipso die rogatus à patre de uincto liberando; non esse locum precibus significauit: se iam ipsius monitis satisfecisse. fuitq. paullo post, qui patris accidens ad genua; eius miseri liberationem gratularetur, amplissimo testimonio Comitis pietate collaudata; quod

quod eius exemplo in ipsius domo, non praecepia solum, sed ipsi quoque Praedicatorum nutus obseruentur. Fuit popularibus, & admirationi, & exemplo, Comitem ipsum, cum Illustrissima coniuge, familiaq. aulica vniuersa, ipsa quoque Aethiopum seruitia, in sacrario domestico sacrosanctam Eucharistiam de manu nostri sacerdotis percepisse. Restincta vbique odia multorum, in sanguinem, & caedes eruptura. In opido dumtaxat vno, vna permoti concione, quinquaginta plus minus mutuas iras sponte remiserunt: cum tamen alios Pater ipse; suam operam interponendo, ad pacificationem adduxerit; à quorum reconciliatione tentanda viri graues abstinebant, ne se frustra laborasse poeniteret. tanta fuit opidi totius laetitia, & gratulatio; vt respirare ab inteſtinis discordijs, & reuiuiscere putaretur. In opido alio, duo, qui se in mutuam caedem armauerant, & paratis missilibus occasioni imminebant, ad concordiam redacti. Alius virum honoratum falsi criminis insimulauerat; quod ille vsque eo indigne tulit; vt multorum manus in illius perniciem armaret, iactaretq. nullius precibus, aut suasione, nisi inhonesto inimici saltem amputati cruris, vulnere frangendam vloiscendi pertinaciam. crebris tamen diuini verbi ictibus petitus, dedit manus; atque insimulatori, delicti veniam concessit: cum ille ingenua confessione conflicti criminis infamiam deleret. Alius inimici domum magna ingesta vi pulueris sulphurei, inflammare constituerat; quod non sine magna strage vicinorum aedificiorum fieret: ab eo consilio auocatus est. Vxor viro infensa multos annos ab eo seiuncta vixerat, asserebatq. prius sibi oculos effodiendos, quam vt illum aspiceret.

Digitized by Google

ceret. tentauit eam reconciliationem sacerdos è nostris: illa muliebri peruicacia primo coepit obsistere; postmodum vi rationum contumaciam remittere; ad extremum hortationum efficacitate, cum viro in gratiam, & contubernium se retulit. Compositae lites, in quas priuatorum facultates absumebantur. iniustae pecuniae, vel dominis redditae, vel in pios usus erogatae. Magna vis argenti ad sodalicium, publicamq. misericordiae domum excitandam collecta.

COLLEGIVM Eborense.

EBORAE quatuor diem suum obiere P. Emanuel Rodericus, natus in opido Monsancto; vir antiquae integritatis, maturaeq. prudentiae, quatuor, & sexaginta natus annos: è quibus quadraginta duos egerat in Societate: multos annos Rectoris in Portuensi, Eborensi, & Conimbricensi Collegijs, postmodum Prouincialis, nouissime etiam Assistentis munere tredecim annos perfunctus: cum ex vrbe in Lusitaniam redijsset, labore itineris, ab ea iam aetate alieno, ita valetudinem afflixit; vt, quamuis nihil, quod ad eam reparandam medicorum diligentia, & nostrorum cura praetermitteretur; pertinacem tamen languoris molestiam plane exuere non potuit. biennio igitur cum inualetudine colluctatus, ad extremum vi morbi succubuit. Honorificum tum ipsius memoriae, tum Societati fuit, quod Illustrissimus Archiepiscopus non modo illius funere interfuit, sed etiam manum feretro, dum ad tumulum ferretur, admouit. Octiduana

duana est etiam febri extinctus P. Martialis Belliartius, qui spiritali nostrorum praeerat institutioni, Olisippone natus: in tribus huius Prouinciae Collegijs, Bracarensi, Brigantino, & Portuensi Rector: postmodum in Brasilia Prouincialis personam cum laude sustinuerat: vnde cum post multorum annorum aerumnas toleratas longa, ac periculosa nauigatione rediisset, in itinere à piratis haereticis intercepitus, indeq. exemptus, cum concionibus, confessionibusq. aliorum saluti intentus esset, momentaneam hanc cum perenni vita commutauit: annos natus sex & quinquaginta; octauo, & trigesimo post initam ab ipso Societatem. Tertius phthisi consumptus P. Paulus Azebedius, Ignatij illius Azebedij fratris filius, qui dux fuit eorum, qui in Brasiliam nauigantes oceanum suo martyrio decorarunt: cuius hic modestiam morum, animi submissionem, religiosum obediendi studium, & ardentem in Deum pietatem, non minus quam generis cognatione, similitudinem expresserit. vt qui illum nouerit, hunc ad illius effictum exemplum esse dixerit. Hic Conimbrica vocatus, Eboram, cum Philosophici studij cursum explicare esset adortus, non ita multo post bimestri confectus morbo, praeclarum multarum virtutum exemplum alijs reliquit. Et sane visus est, si minus diem, at lorum sui obitus praedicere. Haud enim ita multo ante, quam Conimbrica discederet, iniecto, vt fit inter familiares sermone, quis eorum primus mortem esset obiturus, cum alij alia, pro suo quisque sensu dicerent: Ego, inquit Azebedius, de praefinito mihi vitae tempore nihil ausim dicere: illud vnum tamen mihi praesagit intus animus; Eborae mihi esse moriendum; & in sepulchro eodem

quo

quo P. Ioannes de Mello, meum cadauer esse comendum. illo etenim magistro quadriennio usus erat in Philosophia. Praesagium haud ita multo post rei euentus comprobauit. annum agebat in Societate decimum tertium, trigesimum aetatis: biennio Bracarae humanitatis scholae praefuerat: biennio item Graecas litteras docuerat: triennium Hebraicas Conimbricae. nouissime maiorum rerum auspicatus, vitae cursum confecit. In domo probationis quarto loco unus è tironibus excessit, Gaspar Cacella, ea qua par est in innocenti illo vitae genere, pietate. in eumdem cetum coeptati duodecim. Ceterum constitit operarum fructus à superioribus annis non absimilis. illa huius anni praecipua fuere. Virgines duae ad certam pudicitiae iacturam, clam se domo subduxerant paterna: sed mature tam graui ruinae unius è nostris diligentia obuiam itum: & ante in suam utraque sedem restituta, quam vllus infamiae odor emanaret. Alius ad caedem faciendam mercede conductus unius è nostris hortatu, conductori mercede reddita, ab eo facinore auocatus. Summa ab alio aureorum quinquaginta, mala fide collecta; quoniam, qui fraudati essent, sciri non poterat, in pios vsus distributa. Carcere, praeter quotidiana, exhibita vinctis officia caritatis. duo liberati sunt, quorum alteri poena grauis imminebat: alter vero patrocinio destitutus, vno è nostris deprecatore, causa demum cognita absolutus est. Academia ingenio, & pietate floret optimae, & bene frequentis iuuentutis. eorum aliqui spiritualibus exercitationibus instituti. Duo è nostris publica laurea donati sunt. Doctrina Christiana, praeter gymnasij scholas, multis locis tum in nostro,

Digitized by Google

stro, tum in alijs templis tenera aetas imbuitur. Bacchanalibus hoc quoque gymnasium litterarum in octo adolescentium classes distributum, duo in aciem eduxit agmina puerorum; qui magistris ducibus sub vexillis cum symphonia vrbem obeuntes multum de petulanti hominum licentia detraxerunt. Inter eundum nostri subinde ad circumfusam multitudinem concionabundi hominum lasciuientem insaniam castigarunt. munuscula inde pueris in certamine distribuerunt. Et quoniam quasi corona nobilium opidorum Ebora cingitur, missi nostri subinde, in pinguem agrum, & fertilem diuini verbi semina iecerunt, quorum breui seges non contemnendas fruges fudit. Montemaiore sacerdos pro concione tanta contentione, & diuini spiritus afflatu simultates, odiaq. inueterata reprehendit; vt multi exuto odio ad pacem inclinarent: neque ante pedem templo efferrent, quam ad pedes abiecti inimicorum, iniurioſi veniam peterent; laesi offensae obliuionem pollicerentur. Matronae duae ijs, qui maritis necem intulerant, ita grauiter erant infensae: vt viris nobilitate, & Ecclesiastica dignitate conspicuis, praecise placari se posse negarint; ea concione, remissa pertinacia, vtraque percussori iniuriam remisit. Eluis Ciuitas est in Regni confinio nostrae Societatis cupidissima. huc, ipsa postulante Ciuitate, missus sacerdos vnus, tanto omnium studio exceptus est; vt non modo senatus, Patricijq. sed ipsi etiam opifices, tabernis relictis, ei obuiam processerint. mansit apud eos toto solemnioris ieiunij tempore. tribus quaque hebdomade diebus ad concionem dicebat, Catechismum frequenter explicabat. quibus rebus tantum iniecit vniuersae Ciuitati confessionis stu-

diem; vt nemo sibi satisfaceret, si non apud eum, conscientiae maculas deponeret. itaque certatim ad eum accurrebant: multiq. ne ab aliis praeuerterentur, antelucanis horis confessionis locum occupabant. in eo opere noster dies totos, magnam etiam noctium partem, vt eorum votis satisfaceret, ponere cogebatur. Amideam antiquam vrbem, recenti nomine Portalegrium per idem tempus duo missi, eisdem nostrae Societatis ministeriis eumdem excitarunt omnium animis ardorem pietatis. instituere, vt bis quaque hebdomada ad templum conuenirent diuerberationum causa. & his quoque magna multorum reconciliata dissidia. institutae supplicatio est; qua argumentis aliquibus dolorum, ac vulnerum Christi Domini memoria reuocabatur, magno motu animorum, ac per eam occasionem, inclinatis iam animis ad pietatem, de offensarum condonatione magno animi sensu disputatum. multiq. positis offensionibus, etiam cum lacrymis, etiam viri primarij, & Ecclesiasticis honoribus insignes; aut in genua acclinati, aut in mutuos amplexus ruentes, cum inimicis in gratiam redierè. Turdetanorum Episcopus est nostrae Societatis amantissimus; atque animarum sibi commissarum studiosissimus. duo ad eum nostri sacerdotes vertio ieiunio profecti, singulis hebdomadis ternus alter, alter binas conciones habuere. eaedem inde natae vtilitates. multi vitam omnem confessione expiarunt. vnus vltro iudicem adit, ad quem iniuriarum inimicum suum postulauerat: professusq. est, se omnem et actionem remittere, iniuriam condonare: actaq. omnia rescindere, quibus ei periculum crearat. Graues inter duas nobiles familias, & pertinaces inimicitiae sublatae: magnoq. bono

bono ciuitatis intestinae discordiae, & caedium pericula sublata. Adolescens ita obstinauerat animum in perfidia Iudaeorum, reuersus fortasse canina feditate ad vomitum recipiendum; vt illam non dubitaret profiteri. non magistratuum auctoritas, non legum seueritas, non supplicij terror obstinatam mollire animi peruicaciam valuerunt. adhibiti nostri, licet ille initio pertinaciter obstaret, euicerunt tamen assiduitate monendi, vt ille, abiecta pertinacia, rediret tandem ad probandam, amplectendamq. veritatem. In Algarbus quoque bellicis tumultibus valde laboratum est x. Cal. Augusti. Anglicana classis per noctem se ad litus applicat Pharo proximum, quod opidum est in Turdetanis primarium posteroq. die, qui fuit pruigilio. S. Iacobi dicatus, hostes, exscensione facta, vrbem ciuibus vacuam inuadunt, ac diripiunt. foeda strage sacra tecta omnia, religiosa coenobia incendunt. Dilapsis deinde hostibus, ciuibusq. spoliatas domos repetentibus, nostri ad miserorum calamitatem alleuandam, & solatium aliquod spirituale in tanta ruina fortunarum, eo missi sunt. sed quam difficile sit, afflictae multitudini, atq. omnibus rebus spoliatae, incensa, & direpta patria verborum solatia adhibere, nisi etiam re ipsa opem feras, tum videlicet experimento nostri didicere. sed diuina miseris prouidentia non defuit. nam & Episcopi liberalitate multi veste, frumento, pecunia adiuti: & quoniam inopiae magnitudo illius facultates superabat, corrogatae à ditioribus eleemosinae, quantum fieri potuit, praesentem calamitatem subleuarunt.

COLLEGIVM Portuense.

E Portuensi Collegio diem suum obijt P. Antonius Arangius. trium professus votorum. Vixerat in Societate annis quadraginta tribus. vir in re familiari administranda, & negotijs gerendis religiosa, & solerti admodum peritia: & qui triginta ipsos annos diuersorum collegiorum rei domesticae procurationem habuerit: quo tandem onere leuatus, tanto studio in hominum salute procuranda incubuit; vt cum semper multa cum laude vixerit: breue tamen senectae spatium longum vitae cursum contentione operis potuerit aequare. dies totos audiendis confessionibus ponebat. ad operam aegrotis, moribundisq. praestandam nemo illo promptior. quocunque vocaretur, quacunque hora, interdiu, nocte intempesta, quicquid iuberetur, nulla excusatio, tergiuersatio nulla. id vnum videbatur affectae aetati, valetudiniq. leuamentum, laboribus ad aliorum vtilitatē ceteris anteire. Tam carus fuit ciuitati, vt communi paene luctu elatus sit. Franciscani ad eius funus celebrandum, vltro operam suam detulerunt. Reliqui strenue, pro se quisque laborarunt, vt fructus operae constaret. Sed ea, quae maiora sunt, vsu iam trita, & quotidiana, scriptione non indigent. Illud non omittendum: non vulgares pecuniarum redhibitiones factas esse. Compositas esse discordias, quae matrimonijs multis impedimento erant. occasionem captabat quidam caede vna duos simul perimendi. re cognita, noster sacerdos maturo remedio cauit,

uit, ne conceptum scelus ederetur. In magna annonae caritate nostrorum opera multis subuentum. nam cum regione tota frugum inopia, & fames inopes ad vrbem quaerendo sibi victui compelleret: eorum inopiae leuandae à magistratu nostri impetrarunt, vt quingenti aurei nummi proferrentur ex aerario, quibus extrema inopia laborantes alerentur. parem propemodum summam ipsi à priuatis corrogarunt: qua ijs opem ferrent, qui a mendicando, pudore deterrentur. ita nongenta omnino capita numerata, quibus in diem victus praebebatur. ducenti circiter victu quotidiano, ac tecto, nostrorum hominum rogatu, à ditioribus excepti. perspicuum vtique argumentum, quam sit haec ciuitas ad pietatem prona, & in nostrae Societatis obseruantiam propensa.

COLLEGIVM Bracarense.

BRACARAE virum primarium quatuor infimae condicionis homines grauissime illi infensi, atroci, & indigna contumelia affecerant. homini enim insidijs circumuento, manibus, pedibusq. colligatis, faciem totam fedis vulneribus deformarunt. hanc ille ignominiam illorum nece delere constituerat: remq. facile transegisset, si multorum propinquorum, eum ad ultionem inflammantium, opera vti coluisset. nostrorum tamen precibus euictus, quamquam erat dolor adhuc recens, cessit, veniamq. dedit percussoribus, posthabita hominum existimatione, & iniuriae dolore Christianae pietati, publicam quoque iniuriam magi-

stratus vrbis nostris deprecantibus remisit. Reuocatus alius à pairanda taedè, quam moliebatur inimico. Coniugum bona paria cum diuortium meditarentur, in coniugio retenta: alij persuasum, vt domo pellicem eiceret. Elisciente fame, ob annonae caritatem, crescenteq. in dies egenorum multitudine, illorum subleuare egestatem pro nostra tenuitate conati sumus. quotidie ad Collegij fores plus quadringenti cibaria praebebantur, ipso Domino, qui in pauperibus pascebatur, suis facultatem suppeditante. excitauit ea res opulentorum caritatem; vt ipsi quoque largius conferrent. Erat in ijsdem angustijs propinquum nobis Capuccinorum coenobium: deportatis ex collegio cibarijs, sanctissimam familiam non modo ab inedia, & fame vindicauimus, sed perspectam etiam eorum erga nos beneuolentiam, quasi admotis facibus vehementius inflammauimus. Decessit è vita Proepiscopus: qui qua fuit erga nos semper voluntate, morienti sibi sacerdotes nostros adesse voluit; quibus, dum viueret, familiarissime semper vsus est. & vero ingens illius studium erga nos omni fuit obsequio dignissimum. Ad nostrorum habitationem domicilio cubicula aliquot, & commoda ambulatio accessere. Exstructum etiam in templo sacrum pegma ex materia inaurata, apteq. depicta, sacrario sacrosanctae Eucharistiae continendo mira specie, & eleganti.

COLLEGIVM Brigantinum.

BRIGANTIAE cum ingrauescens letargicus, contagioneq. vulgante aegritudinem, totam

etiam paene urbem occupasset, breuiq. tempore mortales multos extinxisset, prompta fuit in iuuandis proximis nostrorum opera: quorum saluti, vt prospicerent suum ipsi periculum neglexerunt. Sed videlicet diuina prouidentia, ad vtilitatem indigentium, inter tot aliorum funera, & gliscentem in dies morbi vim, nostros seruauit incolumes, vt licet aliquos saeua contagio perstrinxerit, non tamen vnum extinxerit. is fuit Emanuel Velascus, qui tertium iam annum a suo in Societatem tirocinio operam in culinae ministeriis ponebat. Vixit, obitq. illa animi demissione, ac mansuetudine, quae, & optimis religionis rudimentis, & illo caritatis pleno ministerio dignae fuere. Non minor annonae difficultas, quam morbi grauitas fuit, fame per aliquot menses dominante, quo tempore, cum alijs multis nostri subuenerunt, tum trecentos circiter pauperes, quotidiano victu ad Collegij ianuam substentarunt.

TRANSMARINAE SEDES

Collegium Funchalense.

AB ijs, qui Funchalense Collegium incoluerunt duae graues, periculosaeq. turbae sunt sedatae. Inter viros primarios, vrbisq. magistratus orta erat de iurisditione contentio: eoq. vsque irae excanduerant; vt nihil propius factum sit, quam, vt vniuersa ciuitas in duas diuisa factiones, cum magna ciuium strage, de tota re ferro decerneret. Suscepere nostri sedandam controuersiam, & quanquam tota res compositu non est: est tamen

tantis per dies curis vexata, cum vegis adhuc ætate contenderet. Senem ab eo tempore quo præfecturæ munere, & concessam exercuit, latius effloruisse, eruditi omnes ad omnes; acti, veraque præclara gloria, veraque virtutis cumulata præmia referre fabulæ fuisse. Interponere ea turbæ fides nobis, & ex Franciscanis aliqui, medici, se in urbe, magna cum vitæ periculi concurrere conspexisse. Iam ad senectutem pagum deferunt: Deus beneficio fuisse ei; vt cum multa male valetudine accepti fuit, eorum tamen nullus occiderit. In vicinis quoque vrbi, salubribus valde pernoctauit, missus ab Episcopo sacerdos è nobis ægrotos ad sordida sedulo. Idem etiam pauperiem sanè laboriosam collectitia pecunia adiuuit. In vrbe quoque ob annonæ sterilitatem, non egeni solum & mendici, sed ingenuæ etiam familiæ sanè inexpugnabili fortitudine, curatum est per nostros, vt fame, pecuniaq. cellata consuleretur vtrique. Adiutus etiam in valetudinario captiuus, qui quamuis catholicus, pestilentiam tamen cum hæreticis præsidiariis exercebat. Comprehensus vna cum aliis, hasta, perdurans, grauissimum lapsus in morbum ad publicum valetudinarium deportatur. ibi nostrorum opera animo per confessionem expiato, monitisq. salutaribus instructo, corpori quoque subleuando opportuna remedia adhibita: vt tanta victus beneficiorum magnitudine, à nostrorum laude non desisteret. Ad spiritalis rei fructum illud quoque pertinet. Prostitutae pudicitiae mulier, audita in vicino pago ab vno de nostris concione de Magdalenae ad Christum conuersione, præclarum sequutae exemplum, à flagitiosa ad honestam viuendi rationem se recepit. purgatisq. totius vitae per confessionem

sionem maculis, peccandi assiduitatem cum frequenti sacramentorum vsu commutauit.

COLLEGIVM Angrense.

IN semota vasto oceano à nostris finibus Angrae Insula strenue concionibus, catechesibus, & Poenitentiae sacramento à paucis operis laboratum est: neque inutiliter impensus labor. Quod quam graue sit nostri generis aduersario, conatus, quos interdum ad eorum impediendam pietatem adhibet, protestantur. Vir conscientiae stimulis adactus, confessionis obeundae caussa templum petebat: in ipso templi vestibulo rusticani hominis specie sit illi obuiam malus daemon: rogat, quo tendat: & quid tristis sit, illo praesertim tempore. contemptim ille primo audire: post agrestis hominis procacitatem demiratus, importunum interpellatorem conuicio reiicere. rusticus incondito risu, & agrestis subsannatione irridet simplicitatem poenitentis, qui potestatem in terris esse crederet, ea dimittendi piacula, quae in coelesti numen committuntur. fabulas esse omnes, & nugas meras. Hic homo suopte ingenio iracundus, & stolida rustici irrisione asperatus, contemptu insuper religionis irritatus, in execrandum inuolat blasphemi caput; vt tanquam praui dogmatis reum obtorto collo pertrahat. vix ei manus iniecerat, cum vafrum illud monstrum falsam, inanemq. quam obiecerat speciem in fuliginosam caliginem euanescentem subduxit oculis; manibus in se irruentis hominis vacuis relictis. delusus ille, & attonitus, non prius à consternatio-

sternatione animum recepit; quam per confessionem culparum vinculis soluitas est. observabantur adhuc subinde horribiles hominis species: sed versutia detecta eas facile confessarij instructus monitis eludit. Sunt praeterea multorum inueterata odia deleta. in ijs parentes filijs reconciliati. sed duorum praeter ceteros nobilium fuit insignis, & tetis laeta ciuitati pacificatio. erat alter generis nobilitate primarius, alter regiarum cohortium Praefectus; ambo deducti ad templum nostrum, diuinis vt mysterijs interessent: honorifico vterque comitatu, prosequentibus primoribus ciuitatis. & Hispanae praesidiariorum satellitio, inde multis inter se officijs, benevolentiaeq. signis reconciliatam gratiam testati, eadem frequentia reducti domum. Sublenata est etiam inopum egestas, ducentos ferme per quatuor ipsos menses in magna alimentorum penuria, & fame quotidiano victu pauimus. Collecta etiam pecunia in subsidium feminarum, quas pudor, & famae cura à quaeritando ostiatim victu deterrebat. excursum est etiam in vicina oppida, pagosq. per Aduentum & Quadragesimam: & non exigui reuecti fructus. Gratiosa Insula distat ab Angra leucis duodo viginti. huc missi sacerdotes duo, laetum ex agro Societatis doctrinam vigesimum iam annum sitiente, segetes demessuerunt. centum circiter incolarum animi, quos varia odia distraxerant, sunt ad pacem, concordiãq. reuocati. multae exactae concubinae: male possessa restituta multa, multa, quae malo fiebant exemplo, ex hominum more sublata: superstitionis plenae consuetudines abrogatae: frequens inductus sacramentorum vsus. Confluente è vicinis locis praesentium magna multitudine. ijs audiendis partienda

tienda tempora fuerunt; vt antemeridiana feminis; pomeridiana viris darentur in multam noctem. Tantus iniectus ardor paenitudinis; vt ingens fuerit illorum numerus, qui pulla in veste sese verberantes sacra templa obirent. Reprehendit aliquando vehementius eorum alter ambitiosum cultum corporis, nimiamq. feminarum diligentiam comendi capitis. fuere, quae omni eius rei abiecta cura, naturali forma contentae, simplici veste, cultuq. prodirent: ac cum per idem tempus oneraria illuc appulsa magnum numerum pigmentorum aliarumq. rerum formam infucantium, muliebriq. mundum instruentium venui exposuisset in litore; neque accederet vllus licitator; periculosam illecebram in alias oras deportauit. Excitata demum est in omnium animis noua pietas; & praecipua in Deum, magnamq. Matrem reuerentia, quam suis saepe precibus praesentem sentiunt. id quod rei euentus declarauit, quae miraculo non caruit. Saeua tempestate ita mare intumuerat: vt insolita mole aestus ex alto incitatus opido superfunderetur: ac nullo discrimine quicquid alluerent fluctus, secum traherent. opidanis in editiora se recipientibus, imbecillum Adolescentulum, ad fugam tardiorem infesti fluctus magno impetu allisi, dum reciprocant, abripiunt; longeq. prouehunt à littore; eius casum miserati duo robusti, peritiq. natatores, in mediás vndas se eiciunt, si forte aliquam misero possent opem ferre. sed eum iam fluctuum volumina ingenti aestu longe in scopulosa quaedam breuia compulerant: vt non sine certa pernicie vlterius contenderent. re igitur infecta aegre se recipiunt, amissa prorsus spe seruandi pueri, quem à suorum aspectu iam marini vortices subduxerant.

duxerant. sed eum omni humana ope destitutum diuina prouidentia seruauit. subito enim innoxio decumani fluctus volumine ad terram eiectus, subducta molliter vnda in litore incolumis exponitur, magna, & insperata parentum, opidanorumq. laetitia. affirmauitq. se Dei beneficio, ac diuinae matris ope seruatum esse: quod sibi solemne fuerit quotidie sanctissimae Virginis Rosarium percurrere. Itum est etiam in Floridam insulam: ijsdemq. Societatis ministerijs idem religionis ardor excitatus.

ANGOLANA SEDES.

QVI in Angola residem, decem omnino sunt, trifariam diuisi: sex in Loanda Insula, duo in Arce Massangana: duo reliqui in castris: bellum enim geritur cum finitimis. Hi tum Lusitanorum, tum Angolanorum Aetiopum salutem procurant, partiti inter se ternas hasce quasi prouincias animarum. labor omnino maior, quam pro numero operarum. Compensatur tamen Praetoris erga nos beneuolentia, & laboris fructu. is tamen magna ex parte tumultibus bellicis minuitur. Ex ijs, qui in Loanda degunt, duo excursiones per totam insulam fecerunt. Corimbrae tractum, opidaq. omnia vtrinque ripae Coanzae fluminis impositа adierunt: infantes multos baptizarunt: adultos Christiana doctrina instruxerunt. templum etiam ad ostium fluminis, incolarum iniuria neglectum, squalidumq. repurgarunt, ac pristino nitori reddiderunt. Massangani tertium iam annum exigua spe auxilij ab hoste obsidentur.

omnes

Digitized by Google

omnes ad eos aditus sunt intercluſi, vno Coanza flumine relicto, per quod è Loandae portu commeatus, & bellicus apparatus ſupportatur. tam longa obſidio magnam duobus ijs, qui ibi tenentur, de alijs benemerendi ſegetem quotidie ſuppeditat, mancipijs, praeſidiarijſq. iuuandis, morbo pariter, ac fame laborantibus. quae res mirum nobis conciliauit amorem cum opidanorum omnium, tum Eccleſiaſticorum. Suam quoque beneuolentiam Epiſcopus datis ad nos litteris ex Inſula S. Thomae humanitatis pleniſſimas declarauit. Non minus difficilem prouinciam nacti ſunt, qui in caſtris fuerunt. Luſitanus Praetor per vernum tempus è Loanda profectus ad confinium Angolani, & Congenſis Regni copias adduxerat. caſtriſq. non procul à ripa Bengi fluminis locatis, ibi ſtatiua habere conſtituerat: tantiſper dum calores, qui Martio, & Aprili menſe ſub aequatore vehementiores eſſe ſolent, remitterent. contigit, vt ex calore collectae nubes ingentem pluuiarum vim effunderent: quibus aucta flumina vſque eo excreuerunt, vt regio vniuerſa aequa planicie depreſſa, vna cum caſtris exundarit. ex quo tanta morborum luës exorta totis caſtris defaeuiit, vt ducentos circiter Luſitanos, Aethiopeſq. deleuerit. Noſtri interim licet morbo & ipſi occupati, aegrotos ab integris ſeponere, vmbracula temporario noſocomio parare, decumbentes adire, eorum confeſſiones excipere, extremo chriſmate inungere, pijs ſermonibus leuare, adeſſe morientibus, defunctorumq. cadauera Eccleſiaſtica cerimonia, rituq. ſepelire. neque vllus è vita exceſſit, qui non ante ſacramentis animum; quae Dei bonitas fuit, expiarit. Neque vero animis ſolum, ſed etiam corporibus

bus praesto fuere. cibaria circumtulere. aliaq. Leuiendo morbo comparauerunt. quo leuaminis genere multi conualuere. Accedebat ad morbi grauitatem extrema fames: vt etiam equorum, qui morbo interierant, carnibus multis adactis fame, vesci non dubitarent. Sed illud aerumnas omnes longe superauit. aliqui in flumen captandorum piscium sedandae fami sese demittebant: hi ab aquaticis lacertis e genere crocodilorum in oculis omnium deuorabantur: vt nullus iis posset opem ferre. Tenuit ea calamitas sex menses. interim Praetor ipse morbo corripitur. Et cum tota eius Belli moles ipsius vita niteretur, curandae causa valetudinis, se Loandam deportari iussit. inde confirmatus cum redisset, comportato commeatu, & pecunia in militum stipendia, adultum iam, ac paene corroboratum malum diuina ope repressit. Castra deinde ex morbido loco in interiorem Angolam promouit. quacunque duxit, hostium ingentem stragem dedit, praedas abegit, captiuos multos abduxit: nonnullos etiam Regulos in potestatem redegit. In iis Dynastae duo, qui multa hostiliter in nomen Lusitanum fecerant: antequam in eos iure belli animadverteretur, volentes Christianorum numero adiuncti sunt. eorum etiam alteri tenuis nescio quae Christianae Religionis aura afflauerat. vterque autem capita fidei edoctus in ipso mortis articulo baptismo expiatus coelo adscriptus est. Eorum cadauera Christiano ritu honorifica pompa ad tumulum praefectorum manibus elata: mirantibus indigenis simul, ac frementibus tam iucundam suo eripi palato saginam; & exquisitas barbararum mensarum delicias insolitae terrae. non enim apud eam gentem, quae vtriusque Regni confinia tenet, alia humani corpo-

corporibus sepulchra, quam ipsa humana corpora reperiuntur. mos vtique dirisore, quam Pythagoreo dignus execratione. itaque quos, aut bello capiunt, aut interficiunt, à ferarum laniatu sua vindicant voracitate. horrenda res & humanis auribus prorsus indigna, nisi adhuc tetriora scelera in humani generis totiusq. naturae iniuriam in gente belluino, quam humano ingenio propiore inoleuissent. nam cum se mutuo genialiter inuitant, dicunt ipsos delygunt, quos tanquam opimas ostias gulae sacrificent. neque illis pudor est, amicos hominesq. proximos, at persaepe benemeritos, tanquam altilia saginandum tam tetro epularum genere destinare. Quanta superat adhuc hominum multitudo ad diuinae cognitionis lucem excolendam? & hi tam teri, at barbari sunt aliquando ad caelestis Regni sagenam adducendi. Nostri interim, dum ad Bella distracti, copiis sequuntur, in ethnicorum conuersionem ad votum incumbere non potuere. Quod vnum superfuit, id diligenter curarunt. militum rixas, discordiasq. vt sedarent; eorum controuersias, & iurgia, quae sane plurima quotidie in exercitu nascuntur, com

ponerent. in eam rem egregie eorum alter magnae vir auctoritati, inui gilat, conti netq. om nes in officio quam facillime.

PRO-

PROVINCIA ROMANA.



N. Romana Prouincia Societ numerati sunt sexcenti sexaginta sex, sacerdotes ducenti decem, diuersarum artium magistri quadraginta, scholastici triginta octo supra centum. Coadiutores octo supra ducentos, nouicij reliqui. Et quidem Romae in nouem domicilijs quadringenti nonaginta nouem. in domo professa sacerdotes quadraginta, coadiutores totidem. In Collegio Romano ducenti triginta, è quibus sacerdotes triginta, magistri viginti duo, variarum disciplinarum studiosi centum tredecim, coadiutores sexaginta quinque. In Domo Probationis ad S. Andreae centum vndecim, sacerdotes viginti septem, è quibus duodeuiginti tertium probationis annum exigunt, coadiutores quatuordecim, nouicij septuaginta. In Collegio Poenitentiariorum status est numerus, & inuariatus, sacerdotum tredecim, septem coadiutorum,

rum. In Collegio Germanico sex sacerdotes, quinque scholastici, quatuor coadiutores, omnes omnino quindecim. In Romanorum Clericorum Seminario, & Conuictorum collegio vigintiquatuor: quorum quinque sunt sacerdotes, quindecim scholastici, quatuor coadiutores. In Anglicano Collegio sacerdotes tres, scholastici duo, tres coadiutores. In Maronitano sacerdotes duo, cum coadiutoribus duobus. In Graecorum Seminario septem, duo sacerdotes, cum scholasticis tribus, & tribus adiutoribus. Extra Romam in nouem reliquas Prouincias familijs centum sexaginta septem, è quibus sunt sacerdotes octoginta duo, magistri duodeuiginti, reliqui coadiutores. nam in Lauretano Collegio triginta septem fuere, sacerdotes viginti duo, quindecim coadiutores. In Maceratensi viginti. In Senensi totidem: vno plus in Florentino: septemdecim in Perusino: in Setino nouem: octo in Montis sancti Residentia: variis in missionibus sacerdotes sex, cum coadiutore vno. ex humanis excessere decem: adlecti ad tirocinium quadraginta quinque.

DOMVS PROFESSA & Collegium Romanum.

IN Domo professa Romana obiere quinque P. Antonius Mendoza assistens pro Hispanijs, P. Iacobus Ximenius, qui P. N. Praeposito Generali quatuordecim circiter annis à secretis fuerat, natione Hispanus: P. Lucius Crucius Tiburtinus, grandi iam aetate senex, & qui plus triginta annis ante solemnia quatuor Societatis vota professus

Digitized by Google

erat, P. Augustinus Augustinus Fanensis, & Iuvenes Paulus Borelius conditor formatus Hispanus, homo effectu iam aetate; sed qui in senecto corpore eundem mentis vigorem, & eundem sensum pietatis a primis prope Societatis incunabulis, quo tempore ille in eam adscitus est, ad extremum usque vitae tempus retinuit. in domo professa magnam aetatis partem prominister munus exercuit, summa vigilantia, submissioneque defectus tandem viribus illo exoneratus ea pietate, & probitate vixit, quae & tam grandem ornaret aetatem, & nostri P. Ignatij, cuius quondam comes fuerat, disciplinam commendaret. est enim, qui in eius vita à P. Ribadeneira scripta, nominatur. His adiungi potest, quonium ad eandem Romanae domus familiam pertinebat, P. Iosephus Valerianus Aquilanus in Samnio, Picturae, & Architecturae laude in primis praestans, cuius excellentis artis monumenta praeclara visuntur Romae. est enim ipsius descriptio sumptuosum illud Romani Collegij aedificium, à Gregorio XIII. fundatore inchoatum. & in templo professorum nobilissima illa cappella B. Virgini dicata, parua illa quidem: sed qua vix quidquam, aut ad descriptionis elegantiam ornatius, aut ad picturae excellentiam laudabilius esse possit. Neapoli etiam augustum illud templum ad domum professorum, magnificentissime exstructum, ab ipso totum descriptum est. Societatem ingressus est in Hispania, cum illus artis exercendae causa profectus esset adolescens. litterarum fuit non expers: quibus satis instructus, accedente praesertim ingenij bonitate, & grauitate morum, dignus habitus est, qui ad sacerdotium promoueretur; idoneusq. confessionum audiendarum, aliorumq.

rumq. muniorum in Societate nostra administer haberetur, non tamen id circo arti nuncium remisit, tanta erat praestantiae illecebra, usu praesertim, & utilitate accedente. librum de ea arte conscribebat; quem Societati magno usui ad templa, altariaq. nostra consuetudine, decore exornanda, appertinum fore iudicabant. quem dum studiosius absolvit, diuturnitate, & contentione commentationum intimis visceribus tabe concepta, cum quotidie sensim exederetur, Neapolim tentandae opportunioris salubritatis causa concessit. ibi paucis mensibus, gliscente in dies morbi vi, consumptus est. In Collegio Romano unius interitu magna indolis adolescentis compensata est multorum incolumitas. is fuit Stephanus Mannilla Burdigalensis, natus annos quatuor, & viginti. ex iis octo in Societate exegerat. & iam philosophicae doctrinae cursum emensus erat. Alumnus ceteri praeter assiduum quotidianamq. studiorum operam Dominicis diebus, alij concionibus habendis circa fora, & urbis compita ad rudem, ac desidem plebeculam; alij christiana doctrina pueris tradenda, tum in templo professorum, tum in aliis accitu parochorum exercentur. Scholae adolescentes multos Deo pepererei, qui se ad varias religiones appulere, Capuccinorum praesertim. ex iis duodeuiginti Societati nomen dedere, maximam partem e sodalitatibus B. Virginis, templi ornatus acutus est, tum sacris vestibus magni pretij, tum peristromatis holoseriis armusianis, templum totum contegentibus. Actus quoque sacrarum reliquiarum numerus, loculamentumq. quo decentius asserentur, decora pictura exornatum.

MISSIONES VARIAE.

MISSIONES solito plures, & maiores fuere hoc anno, cum Illustrissimo Cardinali Caietano, à summo Pontifice Legato in Poloniam profectus est, ipso postulante P. Benedictus Iustinianus, qui apud ipsum Apostolicum Legatum Theologi munus sustineret. & cum vellet Summus Pontifex de Maronitarum Ecclesia, qui in Syria Libanum totum montem tenent, aliasq. Syriae incolunt ciuitates; aliquid cognoscere, eo duos è nostris sacerdotibus destinauit; qui eam gentem, & Ecclesias inspicerent. Quadragesima sacerdotes decem ad varia loca concionum causa missi sunt. & in ijs duae fuere nobilissimae Hetruriae Ciuitates, Luca, Florentiaq. quo praeter eos, qui in Florentino Collegio residunt, missus est alius, qui in Laurentiana Mediceorum aede, Ecclesia secundum cathedralem primaria, & nobilium Canonicorum Collegio insigni, conciones haberet. In vrbe alia non ignobili, quo noster sacerdos per idem tempus accitus erat, Episcopus, eiusq. Vicarius spiritalibus sese commentationibus exercuere. multiq. eius Ecclesiae clerici meliorem viuendi rationem iniuere. Vrbes alias magno cum fructu alij adiere: suaq. opera Episcopis dioeceses lustrantibus praesto fuere. sed haec communia, quotidianaq. Tres tamen missiones praeter ceteras in diuersas dioeceses dignae visae sunt, quorum fructus memoriae mandentur. Prima in Dioecesem Soanensem, reliquae duae in Picenum. in quibus, & si nihil fere, praeter conciones, confessiones, & catechismum

rechiſmum factum eſt; quoniam tamen tanto cum animarum bono quotidiana haec adminiſtrata ſunt, ipſa vtilitatis magnitudo, & feruor pietatis, quo haec excepta ſunt, inuſitatam videntur habuiſſe nouitatem. Eſt Soana Ciuitas orae maritimae ad mare inferum, in ea Hetruriae parte, quam maritima Senenſium vulgo nominant. ad eius dioeceſim terrae tractus bene longus pertinet; in quo permulta ſunt opida, ad diuerſorum dominatuum ditionem pertinentia. pleraq. ſunt in Imperio magni Ducis Hetruriae: alia diuerſis parent Dynaſtis. nonnulla in ditione Hiſpanorum circa portum Herculeum, & Vrbetellum. Eſt omnis illa ora à reliquarum Hetruriae Ciuitatum commercio paene ſeclusa, regio campeſtris, frumenti in primis ferax, & paſcuis alendo pecori abundans. homines ſoli bonitati aſſueti, agrorum colendorum ſtudio dediti, non multum externorum conſuetudine vtuntur: ſed ſuis contenti finibus, ab aliorum commercio ſemoti, ingenio prae ceteris Hetruſcis paulo ſunt agreſtiore. inde magna Chriſtianae vitae, Chriſtianorumque inſtitutorum ignoratio; cum praeter agreſtia, nihil ijs fere curae ſit. Diuerſitas porrò Dominatuum ingenijs paullo aſperioribus magnam viuendi licentiam ſuppeditat: cum leui momento ex ſuis in vicinorum fines commigrando, maleficiorum impunitatem aſſequantur. neque indigenis ſolum patet hoc quaſi ad aſylum effugium; ſed ex remotioribus terris multi poenas legum metuentes, huc ſe recipiunt; & hic tuto ignoti verſantur. religionum apoſtatae, necromantes, alijq. malefici luſtra ſua in his latebris poſuere. nunquam, aut certe longo interuallo in haec loca Societas penetrarat. Huc miſſi ſacerdotes duo

trium mensium spatio Soanam dioeceseos caput, aliaq. tredecim bene frequentia opida peragrarunt. Quocunque venerunt, summa omnium benevolentia excepti sunt: obuiam ijs longe prodeuntibus, una cum magistratu, viris primarijs: isdemq. abeuntes prosequentibus. Sed Soanae praesertim tanta fuit aduersus eos reuerentia, vt feminae per vias, & plateas pronae in genua, totius corporis acclinatione, & pectoris tunsione pietatem praeseferrent: diuinos homines caelo delapsos, ad viam salutis indicandam protestantes. Tantus toto tempore fuit omnium ordinum ad sacramenta concursus; vt à prima luce quotidie ad meridiem, persaepe etiam ad multam noctem, audiendarum confessionum opera duceretur; multiq. ad mediam nocte frustrati voto dimitterentur. quin etiam ante lucem ad ianuam praestolabantur multi, vt primi à sacerdotibus admitterentur. eorum numerus, qui eo trimestri duobus sacerdotibus confessi sunt, & ad sacram Eucharistiam admissi, ad quinquies mille, & octingentos peruenit: totius vitae confessiones auditae multae; multae item multorum annorum. dissidia multa sublata, redintegrataq. inter multos gratia. meretrices à turpi vita ad honestam traductae. Sed ingens vbique eorum numerus, qui palam in concubinatu viuebant, qui omnes ad christianam frugem, diuina ope reuocati sunt. In ijs quidam, qui duodecim iam annos pellicem domi aluerat. huic nocte ea, quae nostrorum in eum locum aduentum subsecuta est; species quaedam per somnum est obiecta carceris inferni; quo duci sibi videbatur, ostendiq. horrendos cruciatus, quos ij sentiunt, qui eo detruduntur; grauiq. comminatione denunciari, sibi quoque illa immine-

immiuere, nisi ejecta pellice, meliorem vivendi rationem institueret. quo viso territus, postridie mane nostros vdit: eorumq. consilio mulierem idoneo pecunia, muneribusq. donatam suis propinquis reddidit: factaq. peccatorum confessione, tantum nouae instituendae vitae studium concepit, vt excipiendis pauperibus hospitalem domum cum sacello ex suis bonis extruere constituerit: ibique, male actae aetatis labes nouo vitae genere perpetua poenitudine deleret. Alius concubinam dimittere statuerat. Sed vt qui sibi sua sponte accersunt malum, eo se eximere, cum volunt, non possunt: sic procacem feminam ab se diuellere, aut domo ejicere nulla ratione poterat. nam si quando arte illum extrudebat, impudenti tamen arte artem ipsa superans redibat: & aut interdiu domi se abdebat, aut de nocte nudax consenso tecto intra illum aedes se demittebat. vt inuicta omnino constantia, & praesenti admodum diuina ope fuerit opus ad pestem ubigendam molestissimam. Is tandem Dei beneficio, vxore ducta, ea se molestia liberauit. muliercula cum pecunia dimissa, domo illi ad vitam honestè traducendam comparata. Sed non mediocris fuit operis alium à turpi consuetudine abiungere; quin tanto difficilius, quanto & ille potentia praestabat, & diuturnitate in illa sedilate indurauerat. Dynasta erat eorum, qui in eo tractu dominantur. his non minus quadraginta annis varijs pellicibus assueuerat; ex ijsq. undecim filios susceperat, prole numerosiore, quam honesta, & supplicio tam turpi digno scelere. Huc accedebat, quod è filijs nunc maximus, patris vestigia sequutus suam & ipse pseudomatremfamilias alebat: ac, ne stirpe careret, ipse quoque ex

ea procreare spurios iam coeperat. pessimi exempli licentia, duorum Principum auctoritate nixa, offensioni erat vniuersae ciuitati. Huc nostri venerunt. mittit Dynasta, qui nostris nunciaret, velle se apud eos peccata confiteri. Hic verò nostris obiectus est scrupulus, & nodus paullo molestior ad dissoluendum. Constabat enim ipsum alias eandem rem cum sacerdotibus alijs tentasse, retenta domi scortea; eosq. malè accepisse, qui absolutione supersedendum censuissent. re tamen, & cum Deo, & inter se deliberata, conueniendum esse Dynastam ipsum censuerunt: coramq. de tota re eum eo disserendum. adit eorum alter; multaq. disputando, docet ipsum sibi esse impedimento; quo minus sacramenti beneficium percipiat. proinde nisi feminam ab se dimittat, vitamq. in posterum corrigere constituat, sibi esse constitutum, ne cum capitis sui quidem discrimine ipsius confessionem audire. obstitit ille aliquandiu. post longam tandem altercationem manus dedit; mulieremq. certo illi ad viuendum vectigali assignato, ea lege ablegauit, vt ſs ad ipsum rediret in posterum, omni illa pensione priuaretur. Filius item, patre praesertim admonente, à sua abiunctus est. In opido alio Iudaei degunt: ad eorum matres, christianae puellae muliebribus artibus instituendae mittebantur; Christianiq; operarij operas suas Iudaeis magno cum christiani nominis dedecore locabant. eorum nuptias passim omnes, nocturnasq. vigilias, puerorum circuncisiones, aliasq. eorum religiones festa laetitia, conuentuq. celebrabant. data est opera, vt tam improbae consuetudines tollerentur. Et vt magna in hac veluti sylua est licentia, multa passim veneficia sublata. maleficis quatuor, diuersis

in

in opidis degentibus, persuasum, vt necromantiae codices, & execranda chirographa comburenda traderent. Versati sunt in ea peregrinatione à mense Martio, ad exeuntem Maium: omnibus locis obitis, quoniam aestas iam adulta ingraueſcebat, & caloresin ijs locis noxij esse solent, rediere. Duae aliae fuere Missiones in Picenum, varias ad dioeceses, obiere opida permulta, non vocati solum, aut rogati; sed persaepe quodam modo vi pertracti. Quanto cum fructu vsitata ijs temporibus Societatis nostrae ministeria exercuerint, ex eo potest intelligi, quod quocunque venerunt, ex circumiectis villis viciſq. multi se ad eos audiendos, fructumq. ex eorum aduentu percipiendum contulerunt. Tam gratus vbique eorum aduentus fuit, tamque auido ab omnibus expetebatur, vt dum opido in vno versarentur, legati aliorum opidorum ad illos inuitandos, & rogandos praesto esſent. Interdum etiam viri graues, & honorati hoc munus obiuerunt. quare, vt tam multis populis satisfieret, loca plura fuere adeunda, quam fuit initio constitutum. saepe in itinere obuios in equis habuere, qui honoris causſa proceſſerunt. fuitq. cum populus vniuersus ad illos excipiendos ex opido se effunderet, tantoq. eorum studio vbique tenebantur; vt neceſſe fuerit persaepe, ne diſceſſus impediretur, clandeſtina quaſi fuga ſe ſubducere. Denique is fuit communis omnium ſenſus, plus paucis illis diebus à ſacerdotibus tribus, quatuorue catechiſmo explicando, confeſſionibus audiendis, & priuatis de pietate ſermonibus profectum eſſe, quam multis annis, multis concionibus à multis alijs. Et ſane apparet tantos eſſe factos motus animorum, vt non niſi diuinitus id contingere potuerit. Fructus nempe,

pe, ne cuiuspiam laudi tribuatur, is fuit, ut omnem humanam industriam superaret.

DOMVS PROBATIONIS ad S. Andreae.

EXTAT vniuersa tironum familia ex lectis adolescentibus diuersarum gentium Italis, Gallis, Germanis, Lusitanis, Vngaris, Dalmatis, Flandris, Anglis, Scotis, Hibernis: eorum nonnulli philosophiae studia percurrerunt: iurisprudentiae, sacrae Theologiae, ac Medicinae, Doctores nonnulli. morbis ex anni intemperie contractis tentati multi, Dei beneficio conualuere. duo vita functi, Ioannes de Ponte condidit, qui magistro nouitiorum socius, & adiutor datus erat, magno religiosorum virtutum edore relicto: & alter eclisa febri consumptus, multis eximiae patientiae datis documentis. Ceterum nouicij consuetis exercitationibus probati magna cum vtilitate proximorum, tum in nosocomijs, tum in vrbis compitis, plateisq. christiana doctrina explicanda; cum se in rudium cetus, circulosq. inferrent, & familiari congressu modo hos, modo illos adirent; eosq. de christiani hominis officio admonerent. Domi porrò commentationibus spiritualibus à nobis permulti eruditi; inter quos Episcopi, Praelatiq. alij Romanae Curiae non infimi ordinis fuere. Sed, quod ad familiares attinet, fuit insignis erga Societatem diuina bonitas, tum in tanto adolescentium numero, ex tam distantibus locis, diuersisq. nationibus in locum, ac spiritum vnum cogendo; tum in eorum animis in suscepto suae vocationis

consilio

consilio confirmandis. siquidem Illustrissimus Henricus à Lotharingia, electus Virdunensis Episcopus hoc solum consilio Romam venit, vt, relicto Ecclesiae regendae onere, Societati nomen daret. aliquandiu apud nos diuersatus est. & cum diu multumq. à summo Pontifice contendisset eius rei sibi fieri potestatem: sapientissimus Pontifex, qui optime intelligeret, eos maxime ijs honoribus dignos esse, qui ab ijs omnium maxime abhorrent, accedente praesertim ad generosissimae familiae claritudinem alta viri indole, perspectaq. iam inde ab eius educatione pietate, & doctrina; ratam esse voluit optimi Praesulis electionem; neque vllum precibus, aut contentioni locum esse. itaque egregiae suae voluntatis merito ornatus, consilio religionis supersedere in praesens, & ad suam se referre Ecclesiam iussus est. Quod tamen proximum fuit, multos ex suo comitatu nobiles adolescentes, & egregiae indolis inter nouicios reliquit. discedens etiam ducentos aureos eleemosinae nomine dono dedit.

COLLEGIVM Conuictorum.

EST cum Romano Clericorum Seminario Conuictorum Collegium coniunctum, immo pars maxima eius familiae sunt conuictorum contubernia: licet vterque coetus Adolescentium communi Seminarij Romani nomine censeatur, & eadem instituatur disciplina. Qui vero quotannis è Seminario admitti scribuntur in Societatem è Conuictorum Concubernio formę seliguntur, quamuis Cle-

rici

rici etiam non raro. Id dixerim, quoniam Romana haec non omnibus trans Alpes trita sunt. In ea disciplina Lusitanus adolescens instituebatur, eum Romam miserat, ibiq. educari iusserat Dux Parmensis, vt cum aliquantum litteris, & aetate, processisset, eum inde ad suam aulam euocaret, eiusq. ornamentis augeret, quae à tanto Principe, adolescentis nobilitati, & virtuti expectanda essent. In ea disciplina versanti, quod alijs contingere solemne est adolescentibus, qui studia colunt pietatis, & suas saepe cum Deo versant rationes; iniectum est coeleste studium sese nostrae, Societati addicendi. Agebat tum decimum septimum aetatis annum, cum ea de re Ducem per litteras fecit certiorem. Negocium datur sacerdoti nostro, qui in ea vrbe Duci ipsi est à confessionibus. Probauit pius Princeps adolescentis consilium, sacerdotiq nostro professus est, si vnicus sibi esset filius, & ille ad nostram Societatem Diuino instinctu vocaretur, se id ei libenter permissurum: pro sua tamen in adolescentem beneuolentia, optare se, vt in ea prouincia admitteretur, idq. per litteras à N. P. Generali postulauit. Sed cum ille iustis de causis tirocinij sui Romae rudimenta ponere sibi expedire iudicaret, fuit Parmam mittendus, vt coram ipse Duci satisfaceret. Cui cum consilium suum probasset, facta sibi potestate Romam redijt, quo cum exacta prima noctis hora peruenisset, recta cisio, quo vectus erat, ad nouiciorum aedes properauit. Alterius adolescentis extitit omnino virtus egregia, multisq. ac magnis experimentis ad admirationem cum superiore biennio toto, tum praecipue hoc anno spectata constantia, qui Cardinali Confentino fratris filius ex eadem prodijt Con-

uictorum

victorum disciplina. cuius tanta fuit indoles, tam excelsus in contrarijs rebus superandis animus, vt non sit alienum rem totam paulo altius repetere. Is iam inde à prima aetate ea futurae virtutis signa dedit, vt ad omnia summa natus haberetur; ijs puer artibus, quae ingenuum scire aequum est Romae apud patruum erudiebatur, & ad omnem humanitatem, & cultum informatus, eos progressus habebat, vt patruus, parensq. non vulgaria de illo cogitarent; breui nempe fore, vt vtriusq. ingraueſcens aetas, in illius adoleſcentia, adultaq. virtute conquieſceret: omnemq. ſuam domeſticae gloriae cumulandae, parvoſq. ipſius fratres ad claros honores euehendi ſpem in ipſo collocarent. Haec erant purpurati patrui, & patris de illo cogitata. Ab his naturae initijs, inſtitutioniſq. profectus adoleſcens, eas coepit virtutes intueri, quae hominem non clarum inter homines, ſed Deo ſpectabilem conſtituunt. Nam in ſumma rerum affluentia, antequam per aetatem vitia poſſet imbibere, igniculi in eo ſummae pietatis, ſtudiumq. ſemotae à vulgo vitae traducendae citabantur. nihil vnquam eorum, quae vulgo admirationi ſunt, quibuſq. ipſe abundat, adamauit, humanum ſplendorem, diuitias, opes, gratiam principum virorum; vt mirum non fuerit, haec illum maturioribus annis contempſiſſe, qui non illis in tenera aetate tangeretur. ſed id ſemper ſpectauit, vt cum aetate proceſſiſſet, conſiliq. ſui compos fieret, piam religioſamq. in patria, cum religioſis quibuſdam viris vitam ageret. neque enim adhuc ille altiora didicerat ſpectare. interim omni diligentia, ſtudia colebat pietatis, benignitateq. in egenos prolixe admodum delectabatur. Patruus indole adoleſcentuli, & ad

egregias

egregias virtutes propensione perspecta, cum in Seminarij tradidit disciplinam. Admissus ad conuictorum contubernium anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, ijs coepit virtutibus florere, quas benigna humus optimis consita seminibus, & virgultis expurgata vitiorum, colonis diligentibus adhibitis, proferre debuit. ac ne integrum encomium contexam, è multis seligam minus frequentia. In primo prope vestibulo aetatis (quintum decimum enim tunc agebat annum) aetati prudentia praecurrens cum feris belluis, naturae vitijs bellum suscepit. ac primum, cum esset natura iracundus, eam sic feram edomuit, vt neminem illo mansuetiorem, qui cum eo versabantur, esse existimarent. loquendi imprudentiam calculo iniecto in os castigauit; & vt ciborum aliqua poena compensaret delectationem, stata diebus sabbatis sibi ieiunia indixit. ac nequam in consuetudine, conuictuq. aliorum offensionem incurreret, fidum sibi familiarem exorarat, vt si quid aliquando aberraret, cauae apprehensa veste se moneret. Tum si qua in re apud aliquem eorum, qui praerant, offendisse se animaduerteret; ad eius pedes aduolutus demisse veniam petebat. Nihil ei fuit vnquam iucundius, quam frequenter de Deo, diuinisq. rebus & audire, & colloqui; cuius rei nulla vnquam eius animum subijt satietas. Omnino ita votam Seminarij disciplinam adamauit, vt ea magis laetaretur, seq. ea pluris aestimaret, quam si iam patrui purpuram aequasset. Vnum illud sibi molestum fuit, non posse ad votum pauperibus benigne facere, collegij legibus pecunia apud commune collegij aerarium deposita. Multa hic praeterea, quae egregias illius animi dotes indicabant, quibus

bus Deo gratior, & omnium ordinum hominibus carior in dies reddebatur. non diu in illa institutione processerat, cum ignaui illi & studium tranquillae, ac semotae agendae vitae in flammam religiosae vitae amplectendae exarserunt. Duo illius animo obijciebantur instituta Capuccinorum, & Societatis. ambigebat autem vtro se verteret, esi in Capuccinorum magis inclinabat animus: noluit tamen sine sui institutoris, ac Ducis consilio quidquam statuere. Consultus, quis ipsi erat à confessionibus, respondit, rem esse etiam atque etiam considerandam, consiliumq. à Deo, exposcendum. Paruit consilio adolescens, solitisq. adhibitis supplicijs, ac iusto spatio temporis elapso, rursus maiore animi ardore facendorem eundem interpellat. negat ille se eius rei aequum esse posse iudicem. grauem aliquem virum sibi deligat, neutrius familiae consortem, religiosis virtutibus ornatum, spectataeq. prudentiae ac fidei, cuius iudicio sententiaeq. rem totam committat. virum religiosum audit, generis nobilitate, doctrina, pietate, & prudentia insignem; nec tamen quis ipse esset patri illi aperuit. Respondit ille, Capuccinorum ordinem magnae quidem sanctimoniae, & eximij exempli esse; adolescenti tamen Societatis institutum esse oportunius: familiam enim claram, illustremq. esse, & religionis florae, doctrina, prudentiaq. excelluere: etiam illud accedere, non posse ipsum tenera adhuc aetate, molli cultu educatum eas asperitates sustinere, quas non nisi corroborata, & robusta corpora ferre possint. laetus hoc responso adolescens certa tandem constitit sententia. longum esset ea studia percurrere, quibus conceptum iam animo diuini spiritus ardorem excitaret. quum

illud non omittam, nihil ipsum unquam neque maiorum, neque minorum rerum inconsulto confessario coepisse; & cum quotidie studium pietatis augeret, tam una cum aetate virtus adolescens illustrior in dies reddebatur: vt quamuis ille religionis consilium egregie dissimularet; tanta tamen ac tam Illustris pietas Cardinali patruo inciperet esse suspecta. Ergo cum à Seminario euocatum Caldarolam (id opidum in Piceno est nomen) in patriam secum asportauit. Exeunte igitur mense Iunio anno milleſimo quingẽteſimo nonageſimo quin to Roma diſceſſit. Abſens, praeter cetera ſtudia pietatis, octauo quoque die (quod ei ſolemne ſemper fuit, ex quo venerat in Seminarium) Sacra miſteria obibat, & litteras Romam dabat ad patres, viciſſimq. accipiebat: quibus, & ſuarum rerum ſtatum exponeret, & opportunis ipſe monitis inſtrueretur. Sed cum flagrantioribus ſubinde precibus ſuam ille vrgeret petitionem, & patribus iam maturum viſum eſſet, eum ſollicitudine leuare, per litteras monuere, periculum iam eſſe faciendum; & Cardinali rem aperiendam. Adoleſcens captata opportunitate Calendis Octobribus conſilium ſuum patruo aperuit. & vt eius voluntate ſibi liceat ſe Deo addicere poſtulauit. Quo id ille animo acceperit, quiſpe huius adoleſcentis alta ſibi cogitationum faſtigia conſtruxerat, in promptu eſt cuilibet. Sed quae machinae ad iuuenis animum labefactandum, tum à patruo, eiuſq. aulicis canibus, tum à parentibus adhiberentur; quae pugnae, quae impedimenta obijcerentur, volumen eſſet vel ſummatim colligere. In quarum concurſu tempeſtatum ea ſigna dedit animi inuicti, & cum diuina coniuncti voluntate, quae & gra-

dis aetas, & robusta virtus edidisset. sed ad fortiora eum praelia diuina exercebat prouidentia. Romam reducitur à Cardinali: adit ea de re ille Pontificem: adit & postero die adolescens, suam plenissimam pietatis caussam communi totius Ecclesiae Parenti commendat. Id cum resciisset Cardinalis ita exarsit; vt adolescentem à sua consuetudine excluſum, redditibus omnibus, qui erant amplissimi, spoliatum in ordinem redegerit: non equo vehi: non rheda per vrbem incedere ei dabatur: in ipsa Cardinalis aula, qui ante omnium maxime esset insignis, etiam ab infimi ordinis famulis contemnebatur. Res erat in ore omnium, & ipse omnium oculis notabatur. Hanc ille secum sibi ignominiam gratulabatur: laetabaturq. se posse iam cum S. Francisco dicere, Pater noster qui es in coelis. Praeclara sane ea tum fuit occasio ad proposita vota euolandi. Sed Patres Cardinalis offensionem reueriti, omni adolescentem ad Societatem aditu vbique intercluserat: & ipse in rebus omnibus è patrum consilio pendebat. Inter haec aequissimus vtriusque petitioni Summus Pontifex, periclitandae vocationis caussa, adolescentem tantisper à patrum consuetudine abducendum, & Pisas ad prosequenda litterarum studia mittendum censuit. Erat omnino adolescenti condicio aeque periculosa, ac molesta, & difficilis. nam quanta sit adolescentium licentia in Academijs Italicis vigentium: quanta petulantia, & proiecta ad omnem impudentiam audacia, non nisi, qui spectarunt, facile sibi persuadeant. vt si quem viderint paulo ceteris modestiorem, impudenti procacitate, irrisionibus, sibilis, cogant & ipsum esse petulantem. In tanta prauorum morum importunitate,

in his tentationum fluctibus, & in hoc quasi proscenio ferarum theatro spectanda virtus fuit adolescentis integerrimi; stetitq. ea semper inuicta. Pius ante diem IV. Id. Decemb. anni millesimi quingentesimi nonagesimi quinti venit, cum interim neque octiduanum sacramentorum vsum, neque litterarum commercium cum patribus Romanis intermitteret, Sed & hic longum esset, qui obices eius consilijs opponerentur, enarrare: vt etiam religiosi viri permulti eum à sequendis Christi vestigijs auerterent; atque ad inanes humanarum opum vmbras imitarent, cum eorum alij alias religiones anteponerent: alij dilationem suaderent: alij etiam vsque eo exerrarent, vt plus sibi, alijsq. prodesse posse in Ecclesiastico aliquo fastigio constitutum, quam in religione abditum asserere non dubitarent. Vnus praecipue vel solo nobilissimae religionis habitu verendus, quinque annorum dilationem, errore deceptus, an alia persuasione, interposita Summi Pontificis voluntate, necessarium illi esse asseuerabat. Verum peracta annua studiorum periodo, dilapsis aestiuo calore studijs, & ipse vitandi caussa caeli grauitatem, in patriam redijt ineunte mense Iulio anni millesimi quingentesimi nonagesimi sexti, nihil de suscepto cursu pietatis, nihil de vsitatis exercitationibus remittens: neque interim à propinquis pugnae praeliaq. desistebant. Dum aestatem in caelo patrio traducit, vt aliqua Societatis munia tanquam illius Candidatus praelibaret, pueros coepit Christianae Doctrinae praeceptis erudire: sodalicium quoque piorum iuuenum instituit: legibus ad illud firmandum Roma accersitis. demum ad XV. Calen. Nouembr. noctu clam domo se subducens, citatis equis,

subinde-

subindeq. per disposita spatia mutatis, Romam contendit. Centum nocte illa & parte diei posteri antemeridiana, nunquam interrupto cursu, milliaria emensus, ad septimum lapidem citra Romam necessariae quieti substitit; eademq. die cursoribus equis relictis, ciso urbem ingreditur. Postero die, Cardinali totius rei adhuc insciο, Summum Pontificem adit, apud quem ita suam caussam egit, vt Pontificium mandatum ad Patres expresserit, statim vt in Societatem admitteretur. Hic tandem finis adolescentis desiderio, & miseris laboribus impositus, frustra patruo parentibusq. postea tum multuantibus. Et fuit in eo sane diuina bonitas laudanda, quod nisi omnia summa celeritate administrata essent, & opportunus statim ad Pontificem aditus potuisset, molestissima, eademq. Periculosa aliqua mora difficile vitari potuisset. paucis enim horis, quam res tanta felicitate transacta est, propinqui, & ipsi curriculo Caldarola eius vestigia sequuti, ad rem disturbandam affuerunt. sed frustra: nihil enim contra Summi Pontificis auctoritatem ausi sunt.

COLLEGIVM Germanum.

ET pietatis, & litterarum studia in Collegio Germanico felici cursu procedunt. Christo laus. indices vtriusque fructus extant non obscuri; & pietatis quidem sacramentorum frequentationes octauo quoque die susceptae, & voluntariae corporis afflictationes. Sed illud in primis, quod eorum non pauci religiosae vitae consilium susceperunt:

runt: duoq. iam voti compotes facti sunt; atque in nostram Societatem admissi: Theologus uterque, alter etiam sacerdos, & facultate non vulgari ad concionandum. Doctrinam testantur publice de philosophia, deq. theologia positiones, multa cum laude defensae. Illud accessit hoc anno, omnino nouum in Romani Collegij Academia. Eorum unus nobilium, ac doctorum virorum, scholasticorumq. frequentia, maximo apparatu, supremam Doctoratus lauream in Theologia consequutus est. rem sua praesentia cohonestantibus aliquot è purpuratis patribus. Haec domi. confectis studijs ad patriae opem ferendam nonnulli rediere. Ex ijs quidam ex nobili familia canonicus Vratislauiensis factus cum esset, praeter usitatum canonicorum morem, rogatu Illustrissimi Episcopi Nissae, urbe alia eiusdem diceceseos, pastorale munus fuscepit, atque impigre fungitur. concionesque bene frequentes habet: quibus multos iam ab haeresi reduxit. Turcas duos, Iudaeos quinque sacro baptismate lustrauit: omniq. ope nititur diuinum cultum, qui diu iacuerat, in veterem dignitatem, vel sua magna cum impensa restituere. VVilae opido Imperiali parochi munus suscepit Andreas Stadlerus; qui catholicos diuturna haereticorum contumacia afflictos, multis ludibrijs vexatos, intrepido erigit animo, atque sustentat: seq. aduersus impietatem, atque perfidiam murum opponit pro domo Domini. Episcopicella ciuitas est ad lacum Pomanicum, prope Constantiam. in ea, temporum iniuria, commune templum est catholicis cum haereticis sed quae nostrorum temporum est infelicitas, prudentiores filij sunt huius saeculi filijs lucis. Canonicorum, aliorumq. clericorum insciti ab haereticis,

reticis, qui paullo, quam catholici, sunt minus imperiti, exagitabatur: vt stare contra hostes in acie auderet nemo. In hac Ciuitate Laurentius Rebmanius ex hoc Collegio profectus: canonicatum simul, & pareciam suscepit: atque doctrina, & vera instructus pietate, vnus aduersus phalanges Philisthinorum procedit ad praelium. mutuis communi in templo vtrique se lacessunt concionibus. statq. catholica res vnius virtute magna gloria. & qui catholicorum ante imperitiam deficiebant, nunc eorum tela pertimescunt. Bambergae item pastoralis cura demandata est Ioanni Schonero. hic breui tempore nonaginta in sua parecia ab haeresi ad Ecclesiam traduxit. Quod alij multi, qui ante ipsum eam tenuerant pareciam, frustra conati erant. Egregie verò Bambergae christiana se res habet, mirifica in primis Reuerendissimi Episcopi virtute; tum Schoneri, aliorumq. huius collegij alumnorum industria. cuius rei fama ingenti cum totius Ecclesiae laetitia ad omnes circa oras perfertur. summa vigilantia antistes optimus in eam curam, cogitationemq. incumbit, vt repurgata Bambergensi dioecesi, catholica fides suum recipiat decorem. haereticos omnes totius suae dioecesis finibus exigare, ac profligare constituit. quam ad rem consilio, & opera vtitur primum Reuerendissimi Vicarij; qui & ipse ex eadem prodijt officina; deinde etiam huius Collegij alumnorum aliorum; quorum apud se habet non paucos. vt non possit collegium ipsum tantarum laudum parte carere. Alij praeterea in alias Germaniae partes dimissi, strenue in catholica restituenda fide operam ponunt. Duo Theologiae Doctores paucis ab hinc mensibus ad Reuerendissimum Salisburgensem Episcopum

mess. Venit alio duo ad Aquileiensem Patriarchatum; in cuius dioecesim magna pars Styriae incurrit, & Carnthiae, destinati erant; P. Cornelius Gelenius, & P. Ioannes Probus: sed Probus dum in patriam ad suos salutandos se conferret, ex itinere ad meliorem vitam euocatus est. verè dignus Probi nomine; qui quandiu Romae fuit, omnibus vitae, morum, doctrinae, ac pietatis exemplo claruit; discedens magnum sui desiderium reliquit. Accersebatur vltro amplis promissis à Serenissimo Bauariae Duce: quibus repudiatis, honestissimam, tutamq. vitam, quae illis apud tantum Principem proponebatur, posthabuit laboribus, periculisque restituendarum Ecclesiae ruinarum, haereticosq. ad fidem reducendi; ad quae sentiebat se vocari diuinitus. sed nimirum optimorum consiliorum, ac studiorum merita consequi potuit: obire funebres nequaquam potuit, diuina omnia disponente, ac regente prouidentia.

COLLEGIVM Maronitarum.

Est Maronitarum Collegium grauium sylvis, vt omnium vltimum, & minimum, sic fructus magnitudine par cuilibet antiquorum, & maiorum. fuere his duobus annis alumni tantum septem: quinquam antea ad quindecim, & viginti peruenere. sed abeuntibus in patriam, studijs absolutis, non est tam promptum alios submittere, quam alijs nationibus: tum ob longinquam, & periculosam nauigationem: tum ob alias difficultates, quae obijciuntur ob vrbis vndique cultae

Turcicae

Digitized by Google

Turcicae tyrrannidis. expectabatur tamen illorum supplementum cum reditu eorum Patrum, qui Summi Pontificis iussu in Syriam ad res eius Ecclesiae cognoscendas, profectos esse diximus. sed licet pusillus sit grex, instar tamen est ingentis numeri. nam, vt omittam insitam genti à natura probitatem, alumni ipsi tenera adhuc aetate in nostram dati disciplinam, nihil paene humanarum rerum hauserunt, nisi quantum à Societatis institutione perceperunt, pietatem, & doctrinam. omnes studijs grauioribus Philosophiae, aut Theologiae occupati. omnes item praeter suarum linguarum peritiam, Arabicae, quae illis vernacula est, & Syriacae seu Chaldaicae, quam studio acquirunt; Latinam, Italicâq. linguam tam bene tenent, quam quilibet in media Italia natus, & litteris excultus. Qui eorum praeterea in Cypro nati sunt: nam in eam quoque Insulam Maronitae ex Syria transiere, oppidaq. multa tenent, ibique iam pridem & sedes, & Ecclesiam suam posuere; eidemq. Maronitarum Patriarchae, qui in Libano sedem habet, obediunt omnes; ij etiam recentem Graecorum linguam aeque atque ipsi Graeci loquuntur. Tulit eam vero humanitatem, Italicosq. mores ita induerunt; vt nullus eos in alieno solo natos esse suspicetur. Ex eorum numero Martus Latus Cyprius, optima corporis habitudine, ac valetudine robusta, ingenio verò ad studia infracto: superiore anno magno cum suae gentis damno, dum philosophiae studia percurreret, subita synanche suffocatus, paucis horis vitae cursum absoluit. miseranda egregij adolescentis casus magno tum alumnis reliquis, tum nostris maerori fuit, ob egregias animi dotes. agebat tunc annum primum, & vigesi-

mum tanto praeditus ingenio, vt cum solus venisset ad collegium, rerum omnium, etiam nostrarum litterarum ignarus. nec quenquam in collegio in suo cursu studiorum socium habuerit, cuius incitaretur aemulatione, antiquae graecae linguae aliqua latinae idonea cognitione comparata. Septimo, quam venit, anno ad finem philosophici studij, vitaeq. magno sui relicto desiderio peruenerit. cum interim in mathematicis; alijsq. studijs admirabiles processus habuisset. &, quod mirere in homine vel Arabe, vel Graeco, in Italica lingua tantum suo studio profecit; vt, quod à nostra tamen est Academia alienum, cum laude, & magna ingenij facilitate versus faceret. Id quoniam superiore anno est omissum, visum est his litteris reddendum. Hoc anno Moyses Anysius Accurensis ex Lybano Theologiae studia emensus, Romae sacerdos est factus; vir summa probitate, eaque morum grauitate & modestia, vt hominem de Societate facile referret: cuius tam est amans, vt non multum ipsis Societatis hominibus concedat. multis igitur cumulatus laudibus, dignus iudicatus est, qui antequam in Syriam rediret, Romae suae gentis Episcopus crearetur: serioq. de ea re cum Summo Pontifice actum est; subiuitq. huius Pontificis instituto, coram ipso Summo Pontifice, examen: omniumq. iudicio idoneus est iudicatus: alijs tamen de causis visum est in praesens eo consilio supersedendum. ita tota res Maronitarum Patriarchae integra seruata est. Missus igitur in patriam, ad suos cum rediisset, tanta omnium beneuolentia exceptus est; vt ei cum thure (tantus in ea gente Romano sacerdotio est honos) obuiam processerint sui ciues. Parentes, fratresq. multiplicata prole

reperit

reperit incolumes. abijs ad Patriarcham non longo itinere deductus est. A Reuerendissimo Patriarcha perbenigne exceptus, iussus est, vt sacerdotem decet, omni saecularium rerum procuratione abdicata, in vna Ecclesia iuuanda curam suam omnem, cogitationemq. defigere. nihil Dei regnum quaerentibus defuturum. Idem sibi esse in animo respondit Anysius: neque vnquam se tanta cognatione (& patrem fratresq. ostendebat) existimasse, ad vitae vsus comparandos, oculos, animumq. à tantae dignitatis fastigio, qua praeditus erat, quoquam deijcere. Assensare tum pater, fratres, cognatiq. reliqui, omnia se illi abunde suppeditaturos in sumptum, quo curis solutior, doctrinam, pietatem, virtutesq. ceteras, quas Roma deportasset, ad suae gentis vtilitatem, salutemq. procurandam conferret. sibi satis esse interim longum ipsius desiderium explere, oculosq. optato tandiu ipsius aspectu satiare. Ille interim doctrina, hortationibus, opera, & virtutum exemplo non cessat omnium oculos, animosq. in se conuertere. & impiger Ecclesiae minister rudes instituit in fide; aegrotos inuisit; Christiana, & pietatis plena oratione consolatur: rationem rite obeundae confessionis exponit: sacramenta administrat. tamq. sedulus est in eo opere; tamq. contemptor incommodorum, & laboris, vt spiritu plane Apostolico aegrotos, quamuis longe remotos, interdum etiam viginti, & triginta milliarijs distantes, adire ipse non graueatur; sacramenta ministrare; sacro Oleo inungere; hortari ad officium christiani hominis. quibus rebus mirum dictu, & quantum christidnae pietatis studia promoueat; & quanta omnium suae gentis sibi studia conciliarit. Dedit hic paruus numerus prae-

terea

terea insignem alium virum, qui praeclaro monumento magna cum Europae utilitate Maronitarum nomen illustrauit. hic est Georgius Amira Edenienſis item ex Libano, qui rem parum feliciter ante hac Latinis litteris tentatam, Grammaticam Syriacam ſeptem libris latine explicauit, non modo tuto, & fideliter, quod adhuc nulli contigit latinorum; ſed etiam ea perſpicuitate, methodo, ac facilitate; nihil vt eſſe poſſit aptius, aut commodius. tanta verò latini ſermonis copia, & elegantia, vt non Libaniotam hominem, aut Arabem, ſed quemlibet in quauis cultiſſima Europae parte natum ornare poſſit. Eos libros non ad huius Collegij tantum; ſed ad totius Europae vſum magno communi bono hoc anno typis excuſſit. Et cum ab his, tum à paucis ijs, qui reliqui ſunt, quiq. ſequentur, diuina fauente bonitate expectentur in dies meliora, Deus O. M. pro ſua bonitate optimorum adoleſcentium ſtudia ſecundet.

COLLEGIVM Lauretanum.

LAVRETI quod in magno auditarum confeſſionum numero ſolenne eſt. multae confeſſiones vitio factae, repetitae ſunt; multae peccandi occaſiones ſublatae: multi peccati cognita feditate, ad meliorem vitam reuocati. multa mala fide poſſeſſa, reſtituta; contractus iniuſti reſciſſi multi; ſublatae inimicitiae permultae Peregrinantium concurſus ad auguſtam hanc aedem, pietaſque eadem, quae annis alijs. ſed in aliquibus religio praecipua: qui, quo maiore cum fructu pietatis

vsi sunt hunc obirent peregrinationem, perpetuum sibi itinere toto silentium indixerunt. alij decades aliquot milliariorum perpetua inedia peregerunt, donec ad sanctissima limina peruenerunt. Sed & ipsa clementissima Virgo euidentibus argumentis diuina plane virtute declarauit, gratam sibi esse huius aedis sanctissimae venerationem. Multi inopes huc peregrinantes dierum aliquot itinera confecerunt, nullo alio cibo, quam diuina sanctissimae matris ope sustentati: cum & ipsi pecunia destituti essent, & nullum inuenissent in itinere, qui supplicitèr petentibus benigne faceret. Alijs magnis in periculis praesto fuit ipsa diuina parens. Alauretus Io. Mariae filius Fagnani opido in Aquilana dioecesi natus, in lecto de nocte somnum capiebat, cum subita collapsi tecti ruina oppressus est. inuocata diuinae matris ope, concursu vicinarum è ruinis incolumis, & integer extrahitur. Porphyrius ab Aqua Villa in Samnio, vir natae probitatis, dum ad sua negotia iter facit, iniquorum infidelibus consilijs in profugos latrones, quibus abundat ea regio, incurrit. is vitae periculo perspecto, voto se Lauretanae Virgini obstrinxit. ab ijs interceptus triginta duabus plagis appetitus virgineae tutelae munimento multo melius defensus est, quam si vulnusq; armis tegeretur: quasi enim cutem haberet impenetrabilem, vix illi corpus cruentarunt. quin vltro illi vulnera in caput adegerunt, tanta immanitate, vt machaeram vtrum effregerint: diuina tamen sanctissimae matris ope seruatus incolumis, ad agnitus liberatrici gratias, seq. voti religione exsoluendum huc se contulit. Fuit quamuis in re tenui, praesens tamen, & insignis eiusdem matris diuina beneficentia.

tia. Arete Dominici Tompiergi uxor, ciuis Pinuensis pia femina, sed inops, hanc peregrinationem susceperat. haec secum ferebat in tenues sumptus certam pecuniolam. erant ex argentea moneta nummi octo. ex eis, ut sunt humani casus, duo ei in itinere exciderunt. erat ea parua iactura inopi feminae, ac peregrinae, & quae numerato parum impensas dimensa esset, non leuis. perculsa damno misera se afflictabat. & ut ij solent, quibus dolori damnum est, si forte verum non esset, quod verum esse nollent, saepius pecuniam reliquam numerauit: ac ne dolore erraret, saepius eandem multis spectantibus recensuit. denique omnium iudicio constitit, abesse numos duos. & verò non vsque eo difficile fuit tantulae summae certam inire rationem. freta tamen diuinae matris ope, nihil sibi defuturum, iter suum maesta sequebatur. confecto itinere, explicanti iterum sudariolum, duo, qui desiderabantur, eiusdem formae argentei, sex, qui reliqui erant, additi apparent: haud dubie benignissima matre famulae pietatem consonente, indigentiam subleuante. laeta pia femina tanto beneficio, eo maiore cum pietate sacra obiuit, rem omnem, ut se habuerat, confessario narrauit.

COLLEGIVM Perusinum.

PERVSII sodalicium Parthenium cum Romano aggregatum. scholae auctae frequentia, & nobilitate. habitae orationes aliquae, dictaq. interdum poemata in conuentu clarorum virorum. Addita hoc anno Logicae schola, postulante maxi-

me

me ciuitate. eam tum Perusini, tum externi adolescentes frequentant; qui studiorum caussa ad illustre, & celebre huius vrbis gymnasium ex multis Italiae vrbibus conueniunt. Idem, qui Logicam docet, matutinis horis philosophiam in publico gymnasio explicat, magna omnium probatione. Et vero magna semper fuit in hac ciuitate Societatis auctoritas, vt nihil rectum non iudicet, quod probat Societas: nihil non damnet, quod eadem reprehendit. ita in suis dubitationibus ea tuto se facere arbitrantur, quae nostris probantibus fiunt. Adolescens, vt se certo crimine liberaret, senem consanguineum suum rogauerat, vt pro se officiose mentiretur ad tribunal. accedebat ad mendacij grauitatem, etiam periuriam. vtrunque crimen callidus adolescens compensatione eleuabat suae liberationis, & spe veniae facile sacramento confessionis consequendae, ita fraus pietate tegebatur. senex antiquae, vt videtur, probitatis non tamen vsque eo fuit imperitus, vt non aliquam fraudem pertimesceret: nostros consulendos esse existimauit. à quibus cum didicisset non licere, maluit rei familiaris iacturam adolescentis crimen redimere, quam se tanto piaculo obstringere. Fuit etiam apud virum nobilem magni ponderis vnius nostri sacerdotis auctoritas. Graui is, letiferoq. morbo laborabat; eratq. iam ipsius salus deplorata: & vt fere sunt Perusini militari ingenio, & iracundi, non facile de re tristiore sermones admittebat. quod si quis in eum sermonem ingrederetur, ipsum vt de confessione admoneret; asperius, quam tali tempore opus esset, reijciebatur. Accersitur vnus è nostra familia: qui initio quidem humaniter exceptus est: sed antequam sermonem de re pia ordiretur;

praeuertit

praeuertit aegrotus sacerdotis diligentiam per speciem quietis capessendae, qua se indigere simulauit, officiosis excusationibus hominem irritum ab se dimittit. non tamen rem sibi deferendam esse constituit sacerdos: sed tota illo biduo nunc precibus ad Deum faciendis, nunc ipsum aegrotum inuisenda, eumq. de sua salute admonendo, fuit sollicitus. Imminente tandem morte, plane ac missis ambagibus, venisse vitae finem homini denunciat. commotus ille tam tristi nuncio, ira excanduit; eoq. praecipiti temeritate, ac furore progressus est; vt de statu mentis deiectus, videretur aeternam animi salutem iracundiae postponere. sed effuso illo primo impetu, prudenti, modestaq. patris oratione, paullatim iracundia sedata, factus denique tranquillior, agnouit non esse pugnandum contra caelum. itaque sensim ad pietatem animum composuit: sacramentisq. munitus, veniam subinde suorum peccatorum petens, ac Iesu nomen identidem implorans excessit è viuis. Addam duorum felicia adolescentium euenta: quos diuina misericordia prosequuta ab animi alterum, alterum ab animi, corporisq. interitu, admirabili plane ratione liberauit. Eorum alter studiose aliquot annis pietatem coluerat, sed indigna lucri specie obiecta, fortasse quod pinguis aliqua praeda offerretur, acriter à daemone impugnatus est, cum diu restitisset, ad extremum, quod nemo crederet, furtum facere constituerat. ac cum in domum, vnde praeda auertenda erat, penetrasset, obiici sibi canem videt atri coloris, oculis flamma micantibus, truci aspectu, qui frendens dentibus interitum minaretur, si persisteret in incoepto, quo viso territus, voluntate commutata cum Deo, Virginisq. matris opem implora-

Digitized by Google

plerosque, horrendum illud monstrum aufugit. Alter inciderat in grauem morbum, admonitusq. à familiaribus, ac pijs viris, peccata vt confiteretur, diem ex die varijs frustrationibus extraxit, donec tandem conualuit. Sed quod in morbo detrectauerat, multo magis contempsit, recepta valetudine. cumq. ille se iam confessionis laqueos effugisse crederet; repente grauiore, quam ante morbo afflictus ita vexari coepit; vt velut amens vociferaretur. medici iam de illius salute actum esse pronunciarunt. enim vero ille non diutius cunctandum ratus, acciri sibi è Societate iubet confessarium. Confessione magno doloris sensu peracta, una cum animi, corporis etiam morbus abscessit.

COLLEGIVM Senense.

SENIS morbi aliqui graues vrbem infestarunt: eorum tamen Dei beneficio nostri fuere expertes. Auditae sunt, magno cum ipsarum fructu, quinque Monasteriorum sacrae Virgines. A turpi vita meretrices quatuor, accurata peccatorum confessione facta, sunt traductae. nonnullae, inter primarios viros pacificationes magnis periculis, quae inde imminebant, ciuitatem liberarunt. Praeterea vir primarius, cuius voluntas superioribus annis à nobis fuit alienior, hoc anno se dedit nobis placabilem, cuius reconciliatio, & ad vsum rerum nostrarum, & ad spiritale multorum bonum redundauit. Schola de conscientiae casibus, quae, ad Missiones Pedemontanas sacerdote illam regente allegato, intermissa erat, Nouembri ineunte

te vna cum scholis ceteris repetita est; solito cleri, aliorumq. ciuium concursu. Auctum est Collegij vectigal ducentorum quadraginta scutatorum annuorum legato Illustrissimae feminae Constantiae Picolomineae Amalfientium Ducissae. Erat vtique plus collatura, & integram Collegij fundationem constitutura, nisi quod in vnum cogendum fuit, in plura pietatis opera dispertiendum foret. Neque spernenda fuit priuatorum Ciuium liberalitas. Vir nobilis septuaginta numos aureos collegio attribuit. Feminae duae sorores linteum ad altare sternendum acu pictum, sua manu elaboratum pretij non mediocris, templo dederunt. Femina alia thecas ad sacras reliquias seruandas comparauit.

COLLEGIVM Florentinum.

FLORENTIAE in Medicea S. Laurentij aede Quadragesima noster sacerdos conciones habuit magna nobilium tum frequentia, tum probatione. quibus praeter consuetudinem saepius interfuit Serenissimus magnus Dux cum aulicis vniuersis. quarum concionum fructus magna ex parte subinde postea confessionibus audiendis demessi sunt. in praesens certe fructus non contemnendus, ingentes à concione expressae eleemosinae. Idem exacta quadragesima ad vsque Septembrem mensem exeuntem in nostro templo conciones prosequutus est. interuallo deinde mensium duorum Aduentu toto easdem repetijt in cathedrali, eadem semper nobilium frequentia: quibus praeter cetera illud

lud effectum est, vt multi tum viri, tum feminae qui magno spectaculorum, & comoediarum studio tenebantur, pabulo illo, ac segete malorum nunc abstineant: seq. ad religiosiorem viuendi rationem, & sacramentorum frequentationem, conuerso studio, contulerint. Praeterea diuersis anni temporibus, Aduentu praesertim, sacerdotes tres diuersa ad monasteria, sacrarum virginum regatu, sermones habuere. Sacerdos alius praeterea, item concionum caussa extra vrbem, vicos, villasq. quae & crebrae, & frequentes sunt, adsuit. confessionum generalium ingens numerus supra centum fuere. Auditae insuper monialium confessiones pluribus coenobijs. sed eorum, qui confessionum caussa nostram aedem de more frequentant, magnus est numerus, nobilium praesertim. qui non modo nostrorum spiritali consuetudine delectantur: sed etiam consilio nituntur; suasq. negotiationes ad eorum corrigunt praescriptum: multisq. iam abstinent earum, quarum suspecta fides est: quibus tamen plerique passim vtuntur. & iam horum exemplo alij permoti, fraudem inesse in eo genere fatentur; & tantum inanibus conceptionibus verborum velamen obtendi iniustitiae. itaque & ipsi alias ineunt rationes. Neque solum abstinent in posterum; sed quae nefarie lucrati sunt, redhibent creditoribus. ita multi, qui iniusta eiusmodi lucra perceperunt, rati se tum negotiari bona fide, iniuria cognita, ingentes summas, & centenarias, & millenarias ijs, qui fraudati erant, reddiderunt. Alij, qui vectigalia, portoria praesertim, quod iniusta esse arbitrarentur, retinuerant; edocti fraudem, quantum retinuerunt, repraesentarunt, minantibus magistris, & ipsa etiam Magno Duce,

Societatis fidem comprobante. Est verò in primis gratum Florentinae nobilitati, si quando in morbum incidunt; nostrorum praesentia, pio sermone, aliisq. caritatis officijs sublevari: eaq. passim est communis hominum opinio: eum, cui morienti nostri assistunt, quasi securum de sua salute è vita exire. Vitia multa sublata, occasionesq. peccandi rescisae. A concubinis abstractae sex: sex item feminae ab adulterio revocatae: totidem meretrices ab infami vitae genere abductae. earum una, in eo scelere, praeter ceteras nota, & famosa, cum marito reconciliata, non honestè solum vivit: sed piè quoque ad sacramenta hebdomadis singulis accedit. Duae in monasterium poenitentium conversarum se incluserunt. duae honesto matrimonio collocatae: sexta se ad matrem recepit; & una cum ipsa honestè sanctèq. sacramenta frequentat. Consultum Virginis integritati: quae à multis sollicitata, cum inopia premeretur, iam de condicione accipienda ambigebat. Aliae optimis monitis confirmatae, domesticorum insidias, importunaq. invitamenta fortiter repellunt. Multae item virgines, quae monasteriis sese addixere, edoctae, qua ratione piè, sanctèq. religiosa vita traducatur. Caedes etiam nonnullae prohibitae. Virum nobilem mentitum esse, palam alius in turgio opprobrarat. eam iniuriam vlcisci, suamq. existimationem ab ignominia vindicare is, qui laesus erat, constituerat. & cum abesset is, qui iniuriam fecerat; tres magnis pollicitationibus in eum percussores subornaverat: vt quocunque loco inuentum confoderent. incidit in eius rei sermonem cum vno è nostris sacerdotibus. noster pro sua religione, hominem ad iniuriam inimico condonandam hortari instituit,

stituit, à qua sententia cum vehementer ille abhorreret, hominem ante Crucifixi imaginem constituit: diuinum sui conditoris exemplum iubet intueri: satis ne imitari exemplum sibi videretur, cuius magistri doctrinam se tenere profitetur? affuit in tempore caeleste auxilium, diuinaeq. lucis radius irata homini affulsit. qui in alium mutatus, & iniuriam omnem citra vllam compensationem se suo conditori donare professus est: & reuocatis percussoribus, facta peccatorum confessione, cum Deo se in gratiam restituit. Captabat occasiones adolescens alius virum equestris ordinis interimendi: à nefaria cogitatione efficaci sacerdotis nostri oratione reuocatus est: ipseq. cum omni sua familia eidem sacerdoti nostro peccata confessus est. vir nobilis ob inanes suspiciones matronam integerrimae vitae arcta sibi propinquitate coniunctam, quasi familiae dignitatem polluisset, veneno è medio tollere decreuerat. vnius nostri sacerdotis opera feminae innocentiae perspecta, eam & insidijs, & omni prorsus suspicione liberauit. libri multi impudici: alij superstitiosi, & malefici, ad eliciendos daemones, multis subtracti, & combustizeorumq. loco pij substituti. Adolescens nobilis, & diues, licenter, vt fert aetas, viuere assuetus, ex insidijs oppressus, letaliter ab inimico vulneratus est: ad eius confessionem excipiendam, animumq. ad reliqua Ecclesiae sacramenta comparandum vnus è nostris accersitur: sensit ille inter confitendum ita se diuinitus intus commoueri; vt ea peracta, multis praesentibus nobilibus, longum sermonem instituerit; quo primum Deo immortali gratias egit; qui sibi id saltem tantulum poenitentiae spatium dedisset: deinde omnem se percussori iniuriam re-

mittere profeßus eſt : propinquos etiam obteſtatus, ne eam iniuriam iudicio perſequerentur : neue vllo modo ipſi eam rem ad iudicium deferrent. Quin etiam quaeſitor ad eum interrogandum cum veniſſet, rei ſaltem indagandae cauſa ; cum à quo vulneratus eſſet, probe noſſet : noluit tamen profiteri. tantum quaeſitori reſpondit : ſe, vt hominem chriſtianum decet, inimico ignouiſſe : cetera quaerere deſineret. Denique ab amicis omnibus, quos malo exemplo & vitae licentia offenderat, veniam ſibi dari poſtulauit. pecuniae magnam vim pauperibus, ſacriſq. familijs, vt pro ſe Deum precarentur, diſtribui mandauit. ita optime animatus, ſpei plenus, magna totius ciuitatis probatione, & admiratione ſimul, mortem obiuit. Diſſidia multa inter multos ſublata, reſtitutaq. gratia etiam inter coniuges : cum parentibus filij reconciliati. Alij viri primarij, & magnae in hac ciuitate auctoritatis, cum grauibus, diuturniſq. ſimultatibus diſſiderent, multiq. clari viri eam reconciliationem fruſtra tentaſſent : noſtrorum tandem interuentu, Deo illorum animos permouente, in gratiam rediere. Neque noſtri homines ſolum in his pietatis officijs verſati, ſed alij quoque pij viri, noſtri ſtudioſi, noſtrorum hortatu, multorum animorum ſaluti conſuluerunt. nam in magna huius anni ſterilitate, flagellante annona, magnis eleemoſinis magnum pauperum numerum ſuſtentarunt, tum virorum, tum feminarum : quae victus penuria in diſcrimen pudicitiae veniſſent. multis praeterea virginibus, quae vel nupſerunt, vel ſacra clauſtra iniuerunt, opem tulere. Vnus praeter ceteros, non vnam, aut alteram, ſed multas inopum familias alendas ſuſcepit. in quibus multae

tum

tum virgines, tum viduae, florenti adhuc aetate à fame, & à certo innocentiae discrimine liberatae sunt. Carcere praeterea detentis nostri de more solatio fuere, tum sermonibus de rebus diuinis, tum optimis vitae monitis, cõsiliũque. multis etiam ibi ob inopiam fame, & frigore enectis, latae suppetiae. quorundam etiam controuersiae compositae: quaesitae etiam eleemosinae ijs. qui ob alienum aes detinebantur; indeq. emissi. Bis nostro in templo quadraginta horarum supplicatio celebrata, semel extremis Bacchanalibus, ad auertenda à temporis licentia piorum virorum studia: iterum postulatu Magni Ducis, ad felicem belli Vngarici euentum impetrandum: vtraque admirabili, nobilium praesertim concursu, & frequentia: docti, ac pietatis pleni subinde habiti sermones: nec musicorum symphonia desiderata est. ipse porrò templi, sacriq. altaris ornatus is fuit, vt in Ciuitate elegantiae, & concinnitatis amantissima, eademq. ingeniorum in eius artificij genere praestantium abundantissima, non mediocrem laudem reportarit. Turcae quatuor Serenissimi Magni Ducis mancipia, cum christianam religionem suscipere decreuissent, nobis catechismo imbuendi traditi sunt. Eorum vnus dum adhuc in rudimentis versaretur, in grauem, letalemq. morbum incidit: is obnixe petit se baptizari. qui statim atque salutari aqua ablutus est, repente pestifera, quae acerbe hominem vexabat febris abscessit: ipseq. valens, & validus e strato extitit. quae res magno ceteris fuit incitamento ad baptismum tanto maiore studio expetendum. & nunc ille vitam se à baptismatis aqua accepisse, & sentit, & fatetur; vitamq. ducit christiano dignam homine, tum sacramento

rum vsu. Adolescens item Transalpinus vnius nostri sacerdotis opera à secta pseudoEuangelistarum ad orthodoxam ecclesiam reductus est. Non minima pars huius Collegij scholae sunt. eae nobilitate maximè frequentantur. egerunt in scena Absalonem patri bellum inferentem. Discipulorum non ita pridem instituta sodalitas feliciter progreditur. non minore cum laude oratorium opificum: eorumq. aliqui ad varias se religiones contulere. Auctus est templi ornatus Imagine B. Virginis ab Angelo salutatae in pariete depicta. ad eius similitudinem, quae in hac vrbe praecipua religione colitur. Vitrum etiam peramplae fenestrae, quae, est in templi fronte obductum, cellam totam speciosiorem facit, & illustriorem. id totum non modica piorum amicorum liberalitate perfectum est.

COLLEGIVM Tiburtinum.

IN Tiburtino Collegio initium faciemus à re tristi: sed quae magnum in spiritale bonum vertit. & fere sic solent eiusmodi calamitates immissae diuinitus: damna rerum temporalium emolumento spiritualium compensantur. sic misera ciuitas, graui afflicta calamitate, tota in religionem versa. maiorem quam antea curam ad diuinae, rei cultum contulit. Aestas in vrbe alioqui salubberrima, & purissimi caeli fuit pestilens hac anno. tam saeui morbi ciuitatem omnem peruaserunt: vt nulla domus fuerit in quam nō saeua lues penetrarit. neque vnius, aut alterius morbo, vel interitu miserae familiae malo defungebantur: sed in orbem

urbem quasi suam quisque vicem obiret, strato cunctis affligebantur. Saepe accidit vt in eadem familia eodem tempore prosternerentur omnes; vt ne vnus quidem validus supereſſet, qui decumbentibus opitularetur: ne in familijs quidem magnis, & opulentis: multiq. morbo absumpti, tantum, quod ministrantium auxilio destituerentur. neque vlla quamuis magna mercede, qui pulmenta pararet, curationesq. reliquas, ceteraq. quae opus esſent, ministraret, conducere erat, aut saltem, accersere ad breue tempus. ita feda pestilentia omnia prostrauerat; vt nemo sibi satis eſſe posſet, ne dum alteri operam praestare. ita communi calamitate omnium tum inopum, tum opulentorum aequata conditio: nulla domus erat, quae non decumbentium multitudine valetudinarij speciem obijceret. Erupere primum morbi xv. circiter Cal. Augusti. febres acutae, vehementes, quae vitam paucis diebus extinguerent. In tanta decumbentium multitudine quantum operae diu noctuq. sacerdotibus quatuor suppeditauerit, non difficile est cogitare: eoq. magis quod, & parochi, & aliarum religiosarum familiarum sacerdotes eodem prostrati morbo tanguebant omnes; & nostrum vnum collegium tanquam singulares Iobi nuncij communis calamitatis, vt praesto egentibus esſe posſet, expers esſet. Nostri igitur partiti aegrotos inter se quotidie suum sibi quisque catalogum conficiebat, eorum qui eo die sibi esſent adeundi: tanta erat, & tam indiscreta eorum multitudo, qui vocabant. quin etiam ne hoc quidem diligentia licebat eo, qua ceteri intenderant, recta pergere. nam inter eundum ab alijs interpellabantur; qui vel in via, vel in speculis miseri haerebant perspectantes, si quem no-

ferorum illuc viderent transeuntem: &, vt erant vacillanti gressu, ipsi aegroti ad ianuas exscendebant; nostros retinebant: orabant tantisper subsisterent, dum saltem in via peccata confessione expiarent, metu, ne sine poenitentiae sacramento è vita excederent. ad tam arctam necessitatem miseros vines dira tues adegeret. multiq. diuinasse, nisi sunt: nam confessione peracta, paullo post ingrauescente morbo, aut linguae vsu priuati sunt, aut prorsus extincti. Et sane omnium prima cura & sollicitudo fuit, statim atque inciderent in morbum, sacerdotem nostrum confessionis faciendae caussa adhibere; animiq. sui primo quoque tempore statum omnem componere. Neque verò poenitentiae tantum, sed alia quoque sacramenta aegrotis adhiberi solita, morbo clericis implicitis, nostri ministrarunt. Quin & corporibus etiam non mediocriter opem tulere, magnis conquisitis eleemosinis, ad opem inopibus ferendam. Duos ipsos menses praeterea egentibus è nostra inopi cella suppeditauimus: quin etiam salubrem aquam è limpidissimo fonticulo, qui est in Collegij rure trans Anienem abunde ciuitati vniuersae submistrauimus. dataq. est opera, vt ad aegrotorum vsum nunquam deesset: licet magno cum incommodo, & duorum milliarium circuitione (ponte, per quem brevior erat aditus diruto) subueheretur. Itum est saepius per idem tempus ad opidum vicinum eadem lue affectum, ad morbidos leuandos. Nec reticenda est piorum virorum caritas, è selecto cetu sub inuocatione S. Getulij, qui constat ex flore Congregationis B. Virginis, cui nostri praesunt. hi toto reliquo numero studiosiores, & amantiores pietatis, pauperum, quos descriptos habent

Digitized by Google

bant nominatim: & virginum inopia laborantium curam susceperunt; illi ne famis, hae ne famis famaeq. damna sentiant. Credi vix potest, quantam eleemosinarum vim ad miserorum leuandam inopiam coegerint. vt interdum ipsi mirarentur, nec scirent vnde tanta illis bonorum copia suppeteret. haud dubie vnde illis data ea mens, & id consilium. neque enim absimile est. Diuinam bonitatem ijs pecunias in crumena, cibaria in arcis auxisse. Dei tandem beneficio circa finem Septembris mensis coepit vis morbi remittere. Tanta calamitate perfuncti ciues maiore studio religionem colere coeperunt. multae ab ijs totius vitae confessiones exceptae; multarum rerum alienarum facta restitutio: concubinae duae ab amicis abstractae; curatumq. vt ab ijs bene dotatae honesto in matrimonio locarentur. Iuuitq. noua haec suscepta religio cum ad alia officia pietatis, tum ad Bacchanalium licentiam cohibendam: in primis verò ad quadraginta horarum supplicationem tribus postremis diebus maiore frequentia, pietateq. celebrandam. vicissimq. ipsa supplicatio recens suscepta religionis studium renouauit. nam cum proclive esset per eos dies inter lasciuientis iuuentutis licentiam ad prima relabi, si forte aliquorum animi iam commoti erant, indicta supplicatio ita repressit, & ad studia renouanda pietatis incitauit, vt incredibili frequentia templa calerent. Nam die Dominico, qui tridui illius primus fuit, plus octingenta capita ad sacram mensam accesere: vt carnipriuij, in Paschales dies mutati dicerentur. itaque laruati pauci, & rari ijs diebus per vrbem discurrebant. frigebatq omnino temporis lasciuia. Hos fructus ex calamitate diuina bonitas

elicuit.

elicuit. Inter multas, variasq. pacificationes una fuit insignis, & maximi momenti, & quam magnae auctoritatis viri, & aliqui etiam purpura insignes, tentatam perficere non potuerunt. haec diuina ope nostrorum interuentu confecta est. quae res tum parti vtrique, tum alijs etiam, qui Romae viuunt, & magnis viris magnum fructum tulit. Inter eos qui sacramenta frequentant in nostro templo, insignis fuit rusticani hominis pietas, vsque ad admirationem huius ciuitatis. ita assiduus erat in precibus: vt non diebus festis à templo posset aueli: nec nisi de Deo sermones alios haberet. hic mense Decembri Capuccinorum religionem est complexus. Magna veneratione fuit in hac vrbe P. Iacobus Ximenius N.P. Generali olim à secretis. quod multa ipsius in eam magnis in rebus extitissent merita. eius mortem luctu, beneuolentiaq. singulari cunctu paene ciues prosequuti sunt, praecipue Congregationis B. Virginis sodales. nam super cetera missae sacrae, quae & ij, qui sacerdotes sunt, ipsi fecerunt, & in alijs templis alij facienda curarunt. sub ipsis Natalicijs Christi ferijs ei sodalitas vniuersa communiter, magna populi frequentia parentauit. conuenit clerus vniuersus, sacris solenni cerimonia Archidiacono, duobusq. alijs canonicis cathedralis Ecclesiae operantibus. Interfuere Magistratus ciuitatis, nobilesq. permulti; magnus praeterea sacerdotum numerus priuatim sacra facientium. maiorem adhuc suae in religiosissimum virum voluntatis significationem edidissent, nisi nostra modestia prohiberentur.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Maceratense.

MACERATAE aliqui ab assidua peccandi consuetudine abducti: alij à constituta caede reuocati: dissidia etiam inter coniuges, & grauia, & periculosa composita: ipsi coniuges ad studium pie viuendi, & sacramentorum frequentationem adducti. Consilia etiam praeceptaq. vitae rectè instituendae eq. vitijs emergendi nonnullis tradita, qui ex remotis locis, eius rei tantum caussa, vt nos consulerent, huc venerunt. Inter viros primarios simultas intercesserat, & quidem grauibus ex caussis; vt nihil non mali timeretur. haec omnia vnius nostri sacerdotis opera Deo aspirante sedata: ac per eam occasionem alius praecipuae nobilitatis vir Societatem amare coepit, qui antea alienjore animo ab ea fuerat. Multa etiam male parta, quibus debebantur, restituta: & quidem pecuniae summa non contemnenda. alius, cui ad integram restituendam summam deerat facultas, decidit, vt per partes redderet, omnino quod non posset. Egregiae virtutis, ac diuinae praesentis opis argumentum in adolescente ex jis, qui apud nos sacramenta frequentant, perspectum est. hic procacem mulierem, quae ex alienis aedibus nocturno dolo ad ipsum cubantem adrepserat, magna constantia ab se abegit: diuinaq. gratia firmatus è Babylonico incendio illaesus euasit. Non omittendus est, ad parentum disciplinam, rei tristis euentus, diuinae animaduersionis documentum. quem is qui contigerat, maeroris plenus nostro

stro narrauit sacerdoti. solitus erat hic praua execrandi consuetudine per maledictum filio certum morbum imprecari. non eo solum morbo, sed filij etiam interitu maledica parentis iracundia punita est. Scholae fuere solito frequentiores. discipulis praemia magno concursu, ac iucundo ciuitatis spectaculo distributa. tota res elegantibus declamationibus ornata. Iudicium institutum de S. Athanasio: dictae accusationes, & defensiones magna eruditorum approbatione, & plausu. Duae sunt sodalitates, altera adolescentium, grandiorum altera. vtraque progreditur in studio colendae pietatis. Ex adolescentibus duo Societatem nostram iniuere, alij duo ad Capuccinos transiere. Quadraginta horarum supplicatio à grandioribus; postremis Bacchanalibus de more facta. iuuere frequentiam conciones aliquot ea de re à P. Prouinciali ante habitae, qui primus post institutam supplicationem sermonem habuit ad Populum, praesentibus Praetore, & magistratibus. Itum est subinde in vicina opida; & magno cum eorum fructu multorum confessiones auditae, & Christiana Doctrina explicata. Eugubium vsque excursum est: magnaq. ciuitatis voluntate, & studio exceptus catechismus; vt ad eum non pueri, puellaeq. tantum sed magistratus ipsi, cum clero, & maxima nobilium parte, magnaq. populi multitudine conuenerint. Quadragesima Sacerdos ex hoc Collegio concionum caussa Forum Sempronij missus tanto omnium studio auditus est; vt negarent passim omnes se talem in ea vrbe vnquam audiuisse. nimirum diuini spiritus infusio ita dicentis linguam rexit; & audientium mentes ad docilitatem temperauit; vt ex diuino illo consensu magni fierent

illi

illi motus animorum. Grauis erat inter Episcopum & Canonicos controuersia, valdeq. dissidebant inter se. ea tota ipsius auctoritate composita est. Vigebat in ea ciuitate, antiqua odia, inimicitiaeq. inter viros nobiles, alia decem, alia duodecim annorum: neque multorum & quidem grauium virorum auctoritate vnquam potuerunt sedari. cum interim, qui infensi essent inter se, Ecclesiae sacramentis priuarentur. omnia tandem Dei beneficio penitus extincta. Meretrices multae ad bonam frugem rediere, quarum aliae honeste nupserunt, aliae in monasteria se abdiderunt. Multi concubinas amandarunt, quas multos annos aluerant, assignata illis dote ad nubendum.

COLLEGIVM Recinetense.

CONCIONES Recineti Aduentu praesertim, frequentiam solito maiorem fecere ad nostrum templum: vt Natalibus Christi ferijs, praeter consuetudinem, plus mille ducenti ad Eucharistiam accesserint. Gratia inter multos magna cum omnium voluptate, reconciliata est. multae honestae familiae, sed egentes, in quibus virgines alebantur cum periculo, nostrorum opera magnis eleemosinis adiutae; virgines ipsae indumentis, & dote sunt instructae. Congregatio intermissam consuetudinem eleemosinas aegrotis egentibus quaerendi ex interuallo reuocauit. Profectiones docendis rudibus per vicos & castella circumiecta susceptae tres. Prima atque omnium fructuosissima cum Reuerendissimo Episcopo, dum suam obi

 ret

ret dioeceſim, profectus eſt ſacerdos unus. Incredibile eſt, quanti vbique concurſus facti ſint, tum ad concionum pabulum, tum ad ſacramenta confeſſionis praeſertim; vt non ſibi ſatisfaceret, qui non ſaltem ſemel ſacerdoti noſtro ſuae conſcientiae vulnera detegeret. multiq. aut plerique potius confeſſionem generalem peregere. proinde, vt omnibus ſatisfieret, neceſſitas eſt Epiſcopo allata diutius per loca ſingulæ commorandi, quo poſſent eorum, qui optabant, confeſſiones audiri. Duabus reliquis ingentes ex catechiſmo fructus reportati; cum quocunque noſtri veniebant, certatim ad eos excipiendos, retinendoſq. obuiam prodirent. atque ad ea loca in quibus ſubinde ſubſiſterent, ex circumiectis locis, opidiſq. puerorum, atq. omnium aetatum agmina ad catechiſmum audiendum conuenirent.

PRO-

PROVINCIA SICILIA.



IN Prouincia Sicilia domicilijs sexdecim socij versantur septem, & quadringenti. In domo professa Panormitana sex, & quadraginta, sacerdotes viginti duo, cum coadiutoribus viginti quatuor. In Collegio Mamertino tres, & octoginta: viginti quinque sacerdotes, scholastici fratres tres, & triginta, reliqui coadiutores. Sed è sacerdotum, scholasticorumq. numero tredecim diuersarum artium sunt Professores, Theologiae duo, Conscientiae quaestionum vnus, Tres Philosophiae, Hebraicae linguae vnus, Rhetoricae vnus, Humanitatis vnus, & quatuor Grammaticae. In Panormitano quadraginta quinque, sacerdotes duodecim, quorum è numero vnus Theologiam, alter conscientiae casus, Philosophiam duo, quinctus humanitatem docuerè: sexdecim praeterea studijs occupati, humanitatis quidem vndecim, cum academiae eorum eodem & praefecto, & magistro; grammaticas verò in schola

Digitized by Google

la explicandae quatuor ; vt docentium numerus ad decem perueniat. hi coadiutores habuere decem septem. In Catinensi viginti duo, nouem sacerdotes, magistri tres, coadiutores decem. In Syracusano vndeuiginti, septem sacerdotes, tres magistri, coadiutores nouem. Totidem, licet dispari distributione, in Calataieronensi, sacerdotes enim octo numerantur, totidem coadiutores cum tribus magistris. In Collegijs Biuonensi, Drepanitano, & Montis Regalis septeni deni, eadem prope distributione, sacerdotes in singulis seni, septenue, cum binis magistris, reliquis coadiutoribus. In Rhegino quatuordecim, sex sacerdotes, totidem coadiutores, cum duobus magistris. par omnino numerus, & distributio in Mineensi, & Marsalensi. In Melitensi duodecim, quinq. sacerdotes, quinque coadiutores, magistri duo. In domo probationis Mamertina triginta duo, tres sacerdotes, coadiutores quatuor, nouicij viginti quinque. In Panormitana altera probationis domo vnus, & triginta, sacerdotes quinque, tres coadiutores, nouicij viginti tres. In residentia Calatanixettae, quinque, cum fratribus tribus sacerdotes duo. Prouincia tota octo morte amissi, octo item, & viginti in Societatem admissi.

PANORMITANA. professorum domus.

IN Panormitana professorum domo obijt extremum diem P. Franciscus Perronius Siculus prid. Cal. Ian. annum agebat sextum, & sexagesimum : triginta septem annis ante sacerdos venerat

rat ad Societatem: assidua confessionibus audiendis patientia; & studio praecipuo iuuandi Mauros, eosq. catechismo imbuendi: sed in primis egregia in confirmandis morientibus industria: vt cum in eo genere, praeter ceteros excelleret, vnus fere ad id munus adciretur: multiq. se beatè arbitrarentur morituros, si inter eius manus exhalare animam sibi darentur. nunc ipsum caelitum ductu illuc iter iniisse credimus, quo tam multos suis precibus, pinq. operâ directos ipse antea praemiserat. Iam ceterorum labores, exercitationesq. eaedem fuere, quae superioribus annis: fructus non dissimiles. & quidem concionum egregia multorum in primis liberalitas comprobauit. nam, praeter magnam pecuniae summam singulis concionibus in pauperum vsum corrogatam, aurei semel trecenti ad feminarum perditae vitae in coenobio degentium, aliorumq. inopium sublenandam collecti sunt, larga quidem donorum benignitas; sed studium in multis benè faciendi longè maius, vt si res iusti momenti expendatur, longè plus ponderis in dandi animo inesse sentias, quam in eorum pretio, quae dantur. Egregium id luculenter pauperrimae virginis factum declarauit: nam cum in concione sacerdos noster inopis feminae populo commendasset egestatem, praecipueq. petisset, vt ei lectum vel durent, vel ad tempus commodarent, tanto beneficentiae amore virgo inops succensa est, vt se ipsam vno, quem habebat lectulo priuarit; suisq. ipsa humeris, vt egenti illi feminae daretur, ad templum comportarit. sanè vidua illa, quae duo minuta conjecit in gazophylatium, grauiore testimonio laudata est: sed vtra plus praestiterit, diuini sit iudicij. haec certè virgo non minus, quam

vidua illa sibi detraxit, & plus contulit ad aedificationem. Neque interim aliarum operarum industria cessavit. virgines quinque nostris usae confessariis, caelestis sibi sponsi nuptias quaesiere. restituta in feminarum coenobio vetus disciplina, quae non nihil à suis finibus deerraverat. Quadragenarum horarum supplicationes extremis Bacchanalibus ad compescendam dierum licentiam hic iam ante institutae incredibili frequentia hoc etiã anno repetitae. Sodalicia duo sub B. Virginis tutela instituta sunt. Clericorum unum, qui valetudinaria, carcerem, triremes obeant, confessiones q. paenitentium excipiant: alterum opificum, qui praeter studia pietatis, ad sua etiam ex christiana disciplina exercenda opificia instituuntur. Huic, quasi vimen adnascens, iuniorum oratorium est additum, quod nescias, utrum magis sui sodalicij tirocinium, an religiosorum seminarium esse dixeris. multa praeterea, operarum industria, & gravia mala prohibita. unus à diuturna septem annorum concubinae consuetudine abstractus, reconciliati coniuges; quos inter annorum tredecim divortium intercesserat. Paratae homini insidiae erant insidiae, quibus haud dubie intra horae spatium interijsset: factum est divina ope, ea ut evaderet. Multae, & quidem inter Principes viros sedatae discordiae. Alij etiam ejs, à quibus aut vulnerati, aut ignominia affecti erant, offensa condonarunt. alia in opido ciues, ac militiae Praefectus reconciliati. In coenobio religiosorum ingens turba sedata, magna cum laude Societatis: gratiae actae patribus tum ab eius loci Praefecto, tum ab illorum Praeside Provinciali, clara etiam cum Prorege testificatione de

de nostri ordinis in homines officijs: cum diceret, Nescire se, quae sit hominum vita in ijs ciuitatibus, à quibus procul est nostra Societas. Non est silentio praetereunda grauis, & periculosa daemonis fallacia, quam veteratoria arte, longa malorum tela, ne obuiam iretur texuisset. Insinuauerat se callidus omnium malorum architectus in pueri, ac sororis miri candoris, ac simplicitatis puellae familiaritatem. ac primum Turcae hominis specie, magna corporis mole, truculbus oculis visendum se praebuit: post etiam diu, noctuq. importunus eorum sese aspectui coepit obijcere: feritatem aspectus festiuis sermonibus, cachinnis, iocisq. ludibundus mitigabat: magni spem thesauri, cuius se custodem diceret, dolis praetendebat. biennium ferme tenuit ea consuetudo, cum vicinorum iam celebratus sermonibus, vrbe tota peacrebuit: exasq. multis tota res explorata: qui quidem nihil ipsi viderent, vocem tantum quasi felis è sola missam audiebant. Quis esset interrogatus, Turcae, animam esse respondebat, qui Zambri viuus appellaretur. duos liberos habuisse; qui iam essent extincti: quibus essent similimi pueri illi, quorum formam adamaret. ingentesq. opes, quas diu abditas custodiret, velle ijs indicare. Quae cum satis essent idonea per se decipiendis hominum mentibus illecebra cupiditatis, tum seurrilia quoque, dicta spargendo ad remouendam periculi suspitionem, incautos fraudi reddebat opportuniores. Et iam iocosi huius Zambri nomen erat omnium sermone celebre: vt ad nostrorum quoque aures peruenerit. Quid hiscè cuniculis, & ambagibus hostiles peterent insidiae, satis apparebat: Igitur pro concione noster monet fatuos, Zambrim illum,

cuius nomen notum esset cruciuti, vnam esse è spiritibus infernis: nihil aliud, nisi innocentium puerorum, vnaq. quam possit plurimorum struere perniciem. rem exemplo probat similis euenti: quod nostris non ita pridem diuini verbi caussa Siciliae loca peragrantibus compertum esse testaretur. Argyrinae matronam esse nobilem, cuius famulam obiecta larua daemon pellexerat, vt heram ad suum colloquium, familiaritatemq. inuitaret: se, illi eruditas opes demonstraturum. matrona licet nugas reiecerat initio, à famula tamen saepius sollicitata, & à marito potestate facta, cum spectro illo vnacum ancilla venit in colloquium: idque saepius repetitur, donec constituta iam familiaritate, diebus aliquot elapsis, larualis illa, & funesta vmbra matronae locum indicat, vbi fodiatur: thesaurum haud dubie repertum iri. spei plena femina, muliebri credulitate laeta, dicta exequitur. Vix dum ad locum venit designatum, cum terra hiatu facto dehiscens in barathrum trahit mulierem, absorpsissetq. penitus, nisi in ipso periculo mulier confestim Iesum inclamasset. ad diuinum Iesu nomen terrae stetit labes: hiatus tamen voiens mediam mulierem inhausit; quam cum multi accurrentes extrahere niterentur, quasi diabolicis manibus tenerentur, non ante potuere, quam monuit puella virgo, Mariam Virginem vt inuocarent. quo salutari nomine inuocato, paena sepulta mulier, sandaliis amissis, extrahitur; sed minime incolumis: eam enim in poenam leuitatis malignus spiritus insedit. Haec fere, alioqui deteriores fructus è diabolica parcipi familiaritate. proinde malam à nefario illo Zambri pestem immineo: quam nisi caueant, multi magno sua cum malo breui

lo breui sentient. Haec ingenti horrore audientium narrata ciuitatem in eam mentem impulerunt; vt de remedio nascenti malo adhibendo cogitandum esse existimarent. Interfuit concioni Marchionissa Hieracij, haec rem totam Marchioni coniugi, totius Regni Praefidi narrauit. Praefidis, ac sacri Quaestoris iussu sacerdotes nostro puer, puellaq. sistuntur. Eorum sermone vera esse, quae in concione dicta erant, deprehenditur: diabolicas nimirum insidias subesse: admouentur exorcismi: contumacem petulanter in ludum trahit. Quaestor, nostro suadente, cunctis nefarij spiritus colloquio interdixit. puerum, puellamq; quod vnum & maximum perfugium supererat, culparum confessione, & sacra synaxi iubet expiari. cum id iam tertio fecissent; fractae veteratoris vires elanguerunt; iocique & ridicula in vlulatus, & gemitus verterunt: tantaq; malarum illusionum diminutio facta est: vt qui antea à consuetudine quotidiana, congressuq. familiari non posset abduci: is nunc vix decimoquinto quoque die exaudiatur sperandum, vt morbis, quae medicamentae lauationem habent, continuata integram reddant sanitatem: sic iisdem remedijs etiam hanc minimam molestiam fugatum iri. Haec aliaq. permulta, quae per se nota sunt, à nostris in Panormitanos profecta. Ipsa porrò Ciuitas vetere suo erga Societatem studio Professorum domum ita prosequitur, vt quibus semper nobiscum certauit officijs, suam iisdem benenolentiam perpetuare nitatur ardentius. Aes alienum proximis annis contractum, aureis mille, quos nobilis matrona testamento logauit, ex parte dissolutum est. Siciliae Praeses, ac Regij patrimonij curatores quassatae triremis alumnum

nobis eleemosinae nomine dederunt; ex quo trecenti aureis in donesticos sumptus sunt redacti. Matronae duae templi apparatum auxerunt. ut enim est proximis literis significatum, altera sacrum vestem auxit impendio non modico, altera tres argenteos lychnos mille aureorum impensa faciendos curauit. Haec in urbe. Ciminum opidum in interiore Siculia missi sacerdotes duo non exiguus, & ex ipso opidi quo venerunt, & ex itinere manipulos in horreum Domini congesserunt. Nam cum ex itineris lassitudine Melismeleum opidum non longe dominum diuertissent, a Dynastis perhumaniter excepti sunt. Erat in eius familia seruus ex Turcarum gente mancipium, sed nostris sacris iampridem imbuta. haec sine quod praeseruido esset ingenio, sine diritate pressa seruitutis, herae imperium tam aduerso ferebat animo, vt Stygijs agitata intemperijs, malo sese daemoni deuouerit: ac veneno sibi mortem arcessere quam primum constituerit, monitis omnium reiectis, qui illam ad animi tranquillitatem hortarentur. Haec dum furiose secum versat animo, subindeq. nouae cogitationes iram excitant, Dei benignitate factum est, vt ex ipso morbo ei medicina nasceretur. tristes enim illae curae, & tradelis desperatio horrendum illi visum obiecere. videt per quietem tartareum hostem in se irruentem; vt ipsum in aeternas supplicia, vna cum altera femina, quam vinctam, & flammis horribiliter circundatam ostendebat, primo quoque tempore pertraheret. hic terror mulieri mentem restituit. & commodum postero die nostri eo diuerterant. Animi aegra mulier, aduentu meorum recreata, vltro confessionis ipsa sibi medicinum exquisiuit. ne te reprim & tumultuario tan-

ta

ne res transigeretur, sacerdos illam opportunis hortationibus, idoneisq. documentis erudijt, atque ad integre, & cum animi sui vtilitate peccata detegenda satis instruxit: biduoq. vterque sacerdos ibi commorati, omnem nobilium hospitum familiam, ac bonam vrbanorum partem peccatorum confessione, & Eucharistiae perceptione expiarunt. In ijs quidam, qui nescio qua superstitione vsus, multis mortalibus in fraudem inductis, praedam ingentem diabolo praeparauerat. is nostrorum concione vna commotus, nefariam exercitus artem nudis genibus, multis cum lacrymis totius vitae confessionem peregit. Ciminnam cum venissent, vices initio à sua consuetudine, atque à spiritualium rerum tractatione alieniores offenderunt, postmodum illorum excita oratione frequentissimi ad concionem, quae matutinis, ac pomeridianis horis habebatur, confluebant: eo fructu, vt à concione confitentium multitudini satisfieri non posset. Doctrinae Christianae capita tanta vrbanorum voluptate à pueris per vias decantata, vt vndique tum priuati, tum qui publicum personam gererent, ad voces canentium confluerent. Erat in multitudine qui maledico sermone religiosorum virorum vitam carperet petulantius: noster in catechismo cum de diuinae legis obseruatione verba faceret, nactus occasionem sermonem in vos, qui aliena facta, dictaq. reprehendunt, apte diuertit. dicentis orationem peccantis paenitentia excepit; idque tanta, ac tam manifesta significatione pietatis; vt omnibus esset admirationi. quae res alijs ad confessionem viam fecit. Curatum vt nonnulli maiore diligentia, pietateq. adirent sacramenta, omnes religionum metus multis annuli: religiosis

etiam viris, ac sacerdotibus in suarum rerum ignoratione lux allata. odia quoque inimicis remissa. feminae duae, quarum alterius filius, alterius frater interfectus erat, cum obstirmato diu animo perstitissent, tandem nostrorum suasu inimicis ignouerunt, & culpas confessione expiarunt: neglectam quoque quinq. ipsos menses rem diuinam frequentare iterum coeperunt. Vir nobilis infenso erat animo in multos; ac de illorum pernicie consilium iniuerat: ab eoq. se ne diaboli quidem metu deterreri posse contendebat. is horribili obiecto spectro, ita perculsus est, vt omnis illi audacia prorsus exciderit; senseritq. suo malo, facta diris potestate, tartareos non esse terrores contemnendos. In ea tamen mentis consternatione diuina ei lux affulget: consilium detestatur: deflet admissa scelera, & statim q. cogitatione illa se leuari sensit, si cum inimicis in gratiam rediret. & quoniam nonnullos è Societate impense oderat; hinc sibi mutandae vitae initium faciendum esse duxit: patres, qui eò venerant, magna gratia excepit; eosq. voluit apud se diuersari. tamq. Societatis vniuersae factus est amans; vt multa, eaq. non vulgaria suae benevolentiae signa dederit. atque, vt nostri intelligerent, ipsum colendae pietatis consilium serio suscepisse, eorum consilio libros omnes, qui inanis ipsum humanarum rerum amore, admirationeue teneret implicitum, ab se abiecit: studiosamq. diuinarum rerum meditationem, eleemosinarum, piarumq. exercitationum vsum, & sacramentorum frequentationem suscepit. eamq. viuendi rationem iniuit, cunctos vt ciues suos in sui trahat admirationem, & cum pijs nostris meditationibus sese excolendum praebuisset, primi illi terrores recurrentes

uentes magno illi erant impedimento. Sed hi quoque divina ope, patre, qui ipsum exercebat, cum ipso eodem in cubiculo orante, tandem sunt oppressi.

COLLEGIVM Panormitanum.

IN Collegio Panormitano Spiritualium & scholasticarum rerum fructus praeclare stetit. Dominicis diebus, tribus in templis pueris traditur Doctrina Christiana. Ad nosocomia quoque, & virginum coenobia habitae hortationes. Graue, dissidium inter duas nobiles piorum hominum sodalitates, ab indigna & atroci profectum iniuria, per nostros sedatum est. Ex vnius sodalicio virum primarium, indutum sacco cum arcula quaestoria die festo stipem corrogantem infimae conditionis homines duo ex altero sodalicio, item tecti saccis, in foro in magna hominum frequentia, insigni afficiunt ignominia: ad terram abiciunt faciem linteo tectam reuelant, pugnis inhumaniter contundunt. Vir non minus quam genere etiam Christiana pietate nobilis, tam indignam contumeliam Christi Iesu amori condonauit ille quidem: vegum sodalitas eam contumeliam ad se rata pertinere, Regni Praesidem adit: postulat, vt iniuriam illam viro primario, sodalitatiq. illatam vlciscatur. Praeses re cum sacerdote nostro communicata, de vtriusque partis consensu decernit: vt duo illi iniurioſi homuncioues eodem in loco, quo nobilem virum violarant, eadem frequentia palam ab ipso veniam petant; atque osculum poenitentiae indicium illius pedibus affigant. Ita ma-

gna

gna cum totius ciuitatis probatione. & magnum incendium restinctum, & fontes miseri grauis mali liberati. porrò is qui laesus erat, Christianae suae pietatis, & aequitatis fructum retulit non vulgare. Sed ad ea, quae sunt Collegij, ac Gymnasij propria veniamus. Additi hoc primum anno Theologiae professor, at Philosophiae magister alter, auxere etiam numerum, studiumq. discentium. Ex eo numero modestum adolescens prauae cuiusdam consuetudinem cum repudiasset, conuictu eius ab illo, colaphoq. in publico affectus, vt christianum, ac prium decuit adolescentem, eam rem silentio tulit. Alius ad comoediam spectandam ire iussus à patre, suae prudentia, pietateq. stultitiam patris compensauit, ludoq. diuertit. sed à parente, qui rem cognouerat, colaphis male multatus duplicem suae patientiae fructum ex priore, & posteriore parentis insanie innocentissimus puer reportauit. Sodalicium è nouo grandioribus superiore anno constitutum, cui à B. Mariae Purificatione nomen est, quos habeat in virtute progressus, docent ij, qui perfectae studio virtutis incēs ipsi etiam Christi consilia sequuntur. Benedictinis adscripti sunt tres: Societati sex. Die Iouis, qui proxime Cineralia antecedit, cum plurima esset vulgi licentia, & illustris comoedia daretur: Dominico pane refecti sunt omnes, diemq. reliquum in sodalicio librorum spiritualium lectione, precationibus, pijsq. colloquijs traduxerunt, id quod ijs fuit, & facilius, & conuenientius. quod commodum eo die celebraretur anniuersaria sodalitatis institutio. Expertiq. sunt multi magnis in rebus, periculisque grauissimis B. Virginis tutelam. Ex ijs vnus Ienuam mare iter faciens, aduersa coorta tempe-

tempestate, maximum vitae periculum adiit cum subinde magis, magisq. fluctus intumescerent, neque in duodecimum usque diem increbrescentium ventorum violentia remitteret: nautae arte diffisi iam animo conciderant, expectabaturq. proximus decumanus, qui si adueniset, nauim mersurus omnino putabatur. in eo discrimine constitutus adolescens maris stellam magna fide inuocauit. erat is duodecimus à tempestate orta dies Purificationi Sanctissimae Matris dicatus: quo tempore sodales quadragenarum horarum precationi insistebant, cui cum precationi, quod nauigatione praepeditus praesens interesse non posset; opera, & studio, quantum potuit, interfuit. abiens enim cereos in lumina ad supplicationis apparatum dedit. hunc diem sibi sensit salutarem. haud fide procul, in mari missas preces, cum ijs, quae à sodalibus in oratorio fundebantur, coniunctas caelestem à diuina matre opem impetrasse. Alius dum Cephaledium petit (Ciuitas haec Panormo distat sexaginta ferè milliaria) cymba qua vehebatur, haesit in sabulo: nautae, vt sunt ferme id genus homines praui ingenio, & peruicaci, Deum, caelitesq. execrantes, haerentem nauiculam incassum nitebantur euellere: ille B. Virginis implorato auxilio, nauigium non extrahit modo, sed Turcarum quoque manus persequentium euadit. magnam alius auri gemmarumq. copiam, dum interest sodalicio, furto amisit; quam furibus comprehensis, D. Virginis recuperauit auxilio. cuius etiam amore de sontibus paenas nullas repetijt. Fuit etiam, qui indicta sibi sabbatis diebus ab ouis, lacte, caseo abstinentia, primo à concepta religione, sabbato ad ciborum condimentum venenum submi-

nistratum

nistratum est non sentienti : quod cum praegustasset, Dei matris ope, & dolum sensit, & nullum ex eo gustatu damnum passus est. tantum à Sancta matre acceptum beneficium impunitate maleficio concessa compensauit. Et vt studiose pietatem colentium clementissima parens tuetur innocentiam, ita etiam negligentium nonnunquam clementi animaduersione coercet lenitatem : vt & stultitiae poenas luant, & ab ipsius praesenti ope illorum animus non deseratur. Nobilis adolescens, quoniam infrequens erat in sodalicio, à cetu reliquorum exemptus erat. is paucos post menses in letalem incidit morbum. accersito igitur sacerdote nostro, qui sodalibus praeerat, vitae noxas sacra confessione expianit : ac Dei matris patrocinio cuius natali die morbi atrocem vim sensit, octauo deinde extinctus est, paratum se in vtrunque, seu viuere, seu mori professus est. ex eoq. die patri spiritali ad extremum vsque spiritum in rebus omnibus dicto audiens fuit : veniaq. ab omnibus petita, sacramentis omnibus munitus, totum illud octo dierum spatium pijs meditationibus, precationibusq. traduxit : exclusis etiam, ne suas cogitationes interturbarent, domesticis, ac familiaribus. ita inter pias preces, quasi placidissimo somno consopitus, animam Deo reddidit : sic tarditatem, negligentiamq. pietatis extremo illo tempore contentione studij compensauit, vt vehementer eos, qui illi aderant, commouerit : simileq. sibi dari mortis genus diuinitus optarint. Ipsa mater, cui filius ob egregiam indolem, & in se obseruantiam esset carissimus, tanto filij bono permota, pacatissimo tum animo : Pater, inquit (haec ipsa eius verba sunt) quoniam depositum suum Deus repetijt, ita me ad eius conformo volun-

voluntatem; vt, si. commodaret iterum, iterum eius voluntatem antelatura sim meis optatis. eo. que, qui proxime sequutus est dies festus, cum tota familia, gratijs agendis ad sacram accessit Eucharistiam. Non minus illustris & piae plenus voluptatis alterius adolescentis fuit obitus; cui sanctissima Dei mater cogitationem, mentemq. religionis iniecerat. Huic mortifero morbo implicito nonus dies mortem attulit. sed vt primum lecto affictus est, statim serio de excessu vitae, deq. perpetuis caeli gaudijs cogitare coepit. patrem, qui illi erat à confessionibus, rogauit, quibus insidijs in summo vitae certamine animum daemon oppugnet: eundem, sodalesq. ceteros orauit; ne se in extremo illo articulo tam periculoso, pijs monitis confirmare, precibus subleuare graue ducerent. matri sollicite de ipsius curatione cogitanti, & loquenti: Quid medicamentis opus est, inquit, intra octauum diem morituro? quod ita euenit. & cùm tribus ante mortem diebus linguae vsu destitutus esset, sub ipsum mortis discrimen eum hortabatur sacerdos, vt ad plenariam culparum indulgentiam corde saltem Iesu, & Mariae nomen iteraret. conanti loquendi facultas restituitur. Iesum & Mariam identidem appellat; precesq. & hymnos, Salue Regina: O glorioſa Domina: Veni creator: pronuncians obdormiuit in Domino. Elatus est: prosequentibus sodalibus vniuersis, accensis funalibus, nouum spectaculum maximè probante Ciuitate. Adolescens fuit non modo parentibus obtemperans; sed etiam erga omnes ita mansuetus, ac mitis, vt ne verbo quidem vnquam quenquam laeserit. adeo in sua pietate studioſus, vt consuetas preces intermiserit nunquam. fama tanta pietate mortis obi-

tae,

tae; tantae virtutis exemplo complures excitatis adolescentes, vt eiusdem sodalicij vota conciperent. Iam in minori sodalicio non minor est pietas, vt ipsi fructus testantur. dedit Societati nostrae spectatae indolis adolescentes quatuor. Ex ijs vnus in suscepto consilio matris teneritudine retardatus, exequendi consilij diem ex die procrastinando ducebat. is graui tandem afflictus morbo, aduersisq. rebus tentatus ad se rediit; conceptamq. rursus diuinae vocationis flammam suscitauit. vt mater suo malo docta, filij votis cognitis, ipsius apud moderatores causſam egerit. Factus igitur voti compos, quo die cognouit patres suis votis annuisse, eo die morbo releuari coepit, vt appareret vim illam fuisse diuinam, quae euiculam à tramite aberrantem plagis in viam reuocaret.

DOMVS PROBATIONIS Panormitana.

TREDECIM summae spei adolescentes; atque in his aliquot, generis nobilitate insignes, admisit Panormitana Probationis Domus. si rei familiaris angustias spectes, nimis multos; sin inuentutis studia nimium paucos. fuere enim qui id contenderent ad triginta nouem. De illorum institutione studioq. suae cuiusq. virtutis, quae dici possent, illa quotidiana, & consuetudine iam triuiorum, trita sunt. vnum tantum, aut alterum insigne diuinae motionis documentum non erit alienum referre. Adolescenti nobili loco nato à patre vita functo perampla venerat haereditas, cum feudo Baroniae. erat ei iam inde à puero pari nobilitate

nobilitate desponsa puella ; erantq. iam de more sponsalia contracta , interim tamen dum maturior nuptijs expectatur aetas , puella in coenobio sacrarum virginum educabatur . haec diuino instinctu caelestis sponsi amore tacta , vitae contemptis illecebris, statuit illis claustris non excedere ; suamq. virginitatem Christo Iesu consecrare . illustre sponsae factum sponsus adolescens admiratus, cum ipse quoque per id tempus nostris praeceptoribus in Collegio Panormitano operam daret , indignum putauit cum sponsa sibi praeiuisset ad virtutem , non pari saltem animi magnitudine illius exemplum imitari. itaque , & ipse statuit ab ea , qua tunc imbuebatur disciplina non recedere ; parq. de se Deo O. M. sacrificium offerre . Rem subodorata mater vsitatis parentum armis , blandicijs , & lacrymis ab ea sententia adolescentis animum conatur auocare . contra ille sapientiore arte maternam artem superare; atque magno animo domi cor pus coepit atterere ; humi cubare , aut in sella nullo sibi detracto indumento totas noctes traducere , cibos aspernari , aliasq. in se asperitates exercere, quibus territa mater , quodcunque vitae genus supplicijs illis , quibus ipsius conteri vitam sentiebat , adolescenti filio praeoptaret . His rebus pie magis,quam opportune obitis, & Societatis desiderio , quo succendebatur in dies , pius adolescens in morbum incidit; cui nullum omnino remedium inueniretur , nisi si voti compos fieret . tot malis fracta , parens , dat tandem manus. potestatem facit adolescenti , bona sua cum venia,ad Christi Iesu castra transeundi . Hac impetrata venia facile ex morbo recreatur . sed qui matris apertum bellum in morbo superauerat , recreatus ex morbo occultis

lacessitur

laceſſitur inſidijs. religioſi viri ſubmiſſi, ei perſuadere nituntur, debere ipſum matri obtemperare. ſed fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. facile adoleſcenti fuit, hanc eludere velitationem. illi primo praelio reiecti rurſus alia adoriuntur. contendunt, vt menſium aliquot moram interponat. quam hebetia tela, & innoxia cordato adoleſcenti! nempe ſagittae paruulorum factae ſunt plagae eorum. Cum ne id quidem obtinere poſſent, illuc confugiunt: Matrem minantur ab ipſo indumenta amoturam. & hoc quoque ridiculum, & puerile. Quaſi verò, inquit ille, non poſſim nudus ad nudum Chriſtum profugere. victi demum moleſti eſſe deſiere. ille Dei tandem beneficio voti compos factus, caeleſtium donorum copiam nititur in dies augere. Iucundam habet laetamq. narrationem, quod in nouicio alio, vel duobus alijs potius factum eſt. Vir nobilis filium habebat in Societate, cuius magno tenebatur deſiderio; voluiſſetq. vt eum ad ſe reciperet, ipſum à ſua vocatione deficere. ſciebat adoleſcentem alium breui eſſe ad tirocinium venturum. hunc antiquae ſimplicitatis homo aggreditur, orat, vt cum admiſſus fuerit, filium ſuum moneat ſuis verbis, horteturq. vti miſſionem quaerat è Societate. Immo verò, inquit adoleſcens, Deum orabo, vt ille in ſuſcepto conſilio firmetur; & ei ſe comitem adiungat alter hic, qui à tuo latere non diſcedit. Omen ſequutus euentus, paucis poſt menſibus ſeſe alter Chriſto dedicat, ipſo patre filium ad tirocinium deducente. nam tanta fuit in adoleſcente vis animi, tanta cum pietate iuncta conſtantia, efficacitaſq. ad perſuadendum; vt quas precibus & lacrymis, qua rationum momentis patrem vel inuitum in ſuam ſententiam pertraxerit.

Ceterum

Ceterum quod ad illorum attinet in pietate studiu, & progressionem ad virtutem, haud modicus extitit fructus ex Patrum Ignatij, Xauerijq. rerum lectione. quippe praeter ceteras vtilitates, duo, qui in studio virtutum videbantur segniores, eorumq. ad cursum perfectionis industria languere, ita tantarum exemplo virtutum sunt excitati; vt dubitandum non sit, tam insignem in ijs morum cogitationumq. mutationem, Sanctorum Patrũ precibus à Deo esse impetratam. ac re ipsa compertum est, nostris plurimum ex vsu esse rerum nostrarum lectionem. Neque piorum operum ijs exercitatio defuit. Erat in Nosocomio incurabilium aegrotus; qui siue ab insita ingenio duritia, siue diuturni morbi taedio, & grauitate fatigatus, tantam animo conceperat acerbitatem, vt quasi stygio imbutus veneno, Deum ipsum odisse videretur: se ab ipso queri derelictum, morbi remedia respuere, aspernari sacerdotes, quique se ad confessionem hortarentur, contumaciter repellere: ipsum praefectum aegrotorum (& est vnus è principibus ciuitatis) auersari, contemnere; vt non magis corporis, quam animi morbo insanabili occupatus videretur. hunc omnes tanquam lymphatum, aut pestifero ictum sidere vitabant. hanc tam difficilem, desperatamq. prouinciam vecordis, ac fanatici hominis sanandi susscepit vnus è tironibus. Enimuerò nullum est animal ad domandum difficilius, quam obdurato homines ingenio: annosam quercum citius inflectas, quam vetus animo vitium depellas, nisi ros menti caelestis infundatur. aspirante verò Dei gratia, nihil est tam durum, nihil tam adamantinum, quod non emolliatur, & liquescat. Venerat ille miser ad summum peruicaciae, vltra

quod progredi vix erat: quo magis diuinae in eo miserationis argumenta elucerent. venit etiam momentum illud, quo ab omni aeternitate diuina prouidentia obduratum eius pectus emollire constituerat. ita diffidentibus ceteris diuina bonitas hanc mentem nouicio homini iniecit asperi illius ingenij pertractandi: me si à magno viro illius asperitas mitigaretur, id humanae aut doctrinae, aut solertiae tribueretur, ac diuinum in ea re opus minus eluceret. ergo hic insita ordini illi manfuetudine adit hominem; sedulaq. caritate se illius studiosum praebens, leni oratione ita demulcet; vt ille insaniam omnem in sui ipsius, suaeq. miseriae cognitionem conuerteret; adhibitoq. demum sacerdote, animi labes omnes expurgaret. Alius eodem in hospitali domo eorundem tironum opera totius actae vitae confessionem instituit, multis cum lacrymis: tantaq. pax animo, tranquillitasq. consequuta est; vt quam primum è tot corporis aerumnis egredi optaret. Neque circa decumbentes solum se boni tirones exercuere: sed etiam Dominicis diebus in nostro, aliisq. templis pueris, rudibusq. doctrinam christianam tradidere. Duxere etiam agmina per compita, vno è pueris crucem praeferente, alternas aliis preces concinentibus.

COLLEGIVM Mamertinum.

IN Mamertino Collegio è scholasticis xij. Cal. Mar. diem obijt extremum Laurentius Taccarius Messanensis, annos natus circiter viginti: è quibus in Societate quatuor transegerat, tanta cum

eum omnium probatione; vt in moleſta vnius anni phthiſi, qua conſumptus eſt, nemo eum vnquam audierit ingemiſcentem. E reliquorum, qui in proximis iuuandis infudarunt, opera hi fructus collecti. Bacchanalibus inter communem hominum laſciuiam quidam familiarem ſuum, ob indignae ſuſpicionem iniuriae, interfiere perſonatus conſtituerat. noſtri ſacerdotis oratione, qua in perſona, ceteraſq. eius temporis inſanias inuectus erat, facinus illud mente penitus abieçit. alter conſilium alterius interficiendi ob eandem ſuſpicionem, noſtrorum opera mutauit. Pater etiam filij necem interfecturi donauit. Fuere & catechiſmi fructus non exigui. Turca, Mahometanae ſectae peritiſſimus, à ceteris Mahometis ſectatoribus, qui Meſſanae liberi negotiantur, annua quingentorum aureorum ſtipendio ſuſtentabatur. hunc noſter ſacerdos ad Chriſtianae veritatis lucem agnoſcendam eſt aliquando adhortatus. ille ſuopte ingenio perſpicax, & ad omnem propenſus probitatem, monita non aſpernatus, eius rei cauſſa à noſtro ſacerdote, & preces ad Deum, & ſacrificia expetijt. annuit ſacerdos; datur opera ſedulo, donec ei lux caeleſtis impetrata eſt. quam ille non conniuenti mentis acie deſpexit. paucis enim à primo congreſſu diebus ſacerdotem noſtrum adit; catechiſmum ſimul, & baptiſmum flagitat. Igitur die Petro, & Paulo Apoſtolis dicato, ſolenni pompa, ac cerimonia, multa tormentorum diſploſione, muſicorum inſtrumentorum cantu, tubarumq. ſonitu, magna populi frequentia baptizatur. Stratego, & vno è iuratis patribus (honorum nomina ea ſunt) è ſacro fonte neophytum ſuſcipientibus. & nunc opificum parthenio ſodalicio adſcriptus laudabiliter, &

christiana cum pietate viuit: Maurus Catecumenus nobis instituendus traditus, nullis vnquam Domini, qui à fide catholica dudum ad Mahometis perfidiam defecerat, vel minis, vel denique verberibus adduci potuit, vt B. Virginis coronam globulorum precatoriam, quam à Patribus acceperat, deponeret. Haec de catecumenis. Nobilium sodalitas & pietate floret, & numero. nosocomia sedulo frequentant: nec desunt, qui vel aperto capite, vel submisso genu inseruiant aegrotis: vlcera exosculentur. Statutum praeterea sibi quisque diuinarum rerum commentationi tempus tribuunt; ac multi eam in rem, integram è matutinis horam impendunt. Non minor laus est adolescentium, quippe ea sunt pietate, ac virtute, vt freno potius, quam calcaribus indigeant. mirum est illorum studium in cilicijs, flagellis, ceterisq. edomandi corporis instrumentis flagitandis. id quod solenne est omnibus, eo praesertim tempore, quo se ad percipiendam eucharistiam comparant. in contemuendis illecebris, edomandisq. vitijs, quas quisque de se victorias tulerit, referre non est operae. vnius exemplum monstri habet admirationem. hic à vesana muliere improbe sollicitatus, obnixe Reginae Virginum tanto in discrimine opem implorauit. nec defuit Sanctissimae Patronae auxilium: quippe ne vllo sensu eius animus emolliretur, repente illi visa mulier horrenda specie spectrum in saeuum commutata, horrido, terribiliq. totius oris habitu, conuerso in angues crine, qualis in picturis esse solet furiarum. quo terrore ita omnis mollitudinis sensus, si quis citaretur, aufugit; vt non difficile illi fuerit, in suscepta constantia persistere; & graui oratione, pijsq. monitis mulieris intemperantiam

rantiam corrigere. Itum est mense Octobri in vicinos pagos magno paganorum bono. inuectus est Christianae doctrinae per Parochos diebus festis explicandae vsus. Sacerdotes duo cum graues inter se inimicitias exercerent; nocturnisq. insidijs alter alteri necem moliretur, Patrum suasu arma & odia deposuerunt. Mater susceptam aduersus filij interfectores, & caedis conscios actionem reliquit; veniaq. & missione ijs, qui ob eius criminis suspicionem in vincula coniecti erant, data, remissionem totius actionis publicis tabulis consignari voluit. Plures adulterio extricati: connubia maio iure sociata, facto diuortio, soluta sunt. à quorum vno coniux non iusta, facta solutione, cum sacrarum feminarum coenobium esset ingressa, alter ad Capucinorum ordinem se recepit. Multum alieni aeris legitimis dominis repensum. Quidam etiam publica praeconis voce fraudatos conuocauit omnes, vt singulis damnum aditum reficeret; ac pios praeterea in vsus grandem pecuniam legauit.

MAMERTINA PROBATIONIS Domus.

EX ijs, qui Mamertinam Probationis incoluere domum, Alexander Scotus Melitensis extremo tirocinij cursu ante diem viij. id. Mart. ad caelestem mercedem, si minus laboris, pietatis certe, & laborandi voluntatis consequendam emigrauit. annum agebat quartum circiter & vicesimum. ea & in morbo & in morte signa dedit pietatis, quae & praeclare actum cursum tirocinij, & spem futurae virtutis non exiguam indicarent: quippe qui

Digitized by Google

nulla morbi molestia fatigatus, non nisi de caelestibus rebus, deq. negligentiarum suarum impetranda venia sermones ſereret; mortemq. magni beneficij loco, vt eſt re vera, numeraret.

COLLEGIVM Catanenſe.

PRAECIPVVS Catanenſis Collegij ex diſſidentium reconciliatione fructus extitit. reconciliati animi duorum e prima nobilitate, alijq. non pauci: ſed illa in primis pacificatio inſignis fuit. Proceres erant Regni duo, magnorum opidorum vterq. Dynaſta potens, atque inter ſe conſanguinei. Orto inter eos diſſidio, alter alterum peſſime oderat; in mutuamq. perniciem ambo conſpiraverant: multisq; vltro, citroq. incommodis illatis, & acceptis, exaſperatis animis odij flamma in maius quotidie incendium erumpebat: trahebantq. in partes, & periculorum ſocietatem opidanorum ingentem multitudinem. Horum alter forte, vt ſit, varijs de rebus cum Sacerdote noſtro loquebatur; incidunt in harum diſcordiarum mentionem. orat tum pater, obſeratq. ne diutius tantas vir Chriſtianus ſouere pergeret inimicitias: ſed quam primum potius reſtincturus vellet. & hic quidem facile aſſenſus eſt: in alterius vero animo flectendo maior difficultas. acceptis denique quas dedit, conditionibus atque perſcriptis, expreſſa pacis voluntas eſt. Iactis his quibuſcunque concordiae fundamentis, pater, vltro, citroq. commeando, eo rem deduxit, vt dies colloquio diceretur. quo die congreſſi eductis ex opidis centenis ſinguli armatis, iiſq. vtrinq. pari

ſpatio

ſpatio ſubmotis, in medio parvolo in loco venerunt in amplexum; colloquiumq. in tertiam horam protraxerunt. miſſis deinde viciſſim muneribus ſuæ nobilitate dignis, omnem ex animo iam diſſenſionis memoriam videntur abiecisse. Ita quæ quinquennio toto per viros amplissimos, Dynaſtasque totius Siciliæ facile Principem tentatum confici non potuit; id Dei beneficio, ſuæ ſenectæ iam animi obſtinatione, ſuæ religionis reverentia, per privatum demum Sacerdotem brevi tempore confectum eſt. Ceterum parvam haniam beneficentia multa non parvum eſt ſacra ſupellex. Mulieri præterea, nuius parum tuta erat pudicitia, quod propter inopiam nubere non poſſet, dos ad honeſtas nuptias conquiſita. Aeris alieni nomine in carcerem coniectis noſtrorum opera miſſis impetratum.

COLLEGIVM Syracuſanum.

SYRACVSIS Petrus Amicus Syracuſanus nuper xvi. cal. Febru. vitæ ſanctæ & innocuæ annos natus ſexagintaſeptem, e quibus triginta ſex exegerat in Societate, magno ſuæ ipſius cōtemptionis exemplo, & Collegij vtilitate; cui per eos annos magno fuit adiumento, in angusta præſertim ſemper re familiari. Annui fructus, qui nobis è frumenti portorio ſolvebantur, annis ſuperioribus annonæ caritate diminuti, hoc primum anno in aliud diuius & honeſtius vectigal commutati: vt merito dici poſſit, annum hunc huius conſtituendi Collegij initium tuliſſe. qua in re Ciuitatis benevolentiam egregiam experti ſumus. Hanc Ciuitatis libera-

listetem pia femina, nostro ordini apprime dedita cumulauit. praedium mille sexcentorum aureorum Collegio donauit, parua sibi ex eo ad vitae vsum pecunia retenta. Nobilium sodalicium clariora dat in dies indicia pietatis. voluntariam in templo nostro corporis diuerberationem suscepere. frequentes carceres, & Nosocomium inuisunt: neque solum aegrotos pijs sublenant officijs: sed cum essent hospitalium domorum redditus deteriores facti, ac paene pessundati; rationem, qua sublenarentur, inuenere. dissidentium inimicitias componunt: à turpi, flagitioso aq. vita malieres ad conuictum conuersarum traducunt: quarum integritas versatur in discrimen, periculo consulunt: puellas vrbas matrimonio iungunt; aleam e tota fere vrbe sustulerunt: blasphemias etiam tollere aggrediuntur, quae omnia tanto animi ardore, tanta vrbis admiratione, ac tanta cum Societatis laude faciunt; vt fideles nostri plane dicantur esse adiutores. Cetus opificum stipem ad pauperum inopiam corrogat sublenandam: cibum, adiuncti nostris, vinctis ad carcerem comportant. Paenitentiae sacris diebus praefectus Sacerdos in proximum vicum, cui nomen est Buccheri, confessionum magnum numerum excepit. Sodalicium, cui ab Annunciatione B. Virginis nomen est, instituit, magna studia pietatis excitauit. In aede Principe quadragenarum horarum supplicationem habuere tanta populi frequentia, tantoq. sensu pietatis; vt in singulos annos extremae maximi iouinj hebdomada eandem religionem altro decreuerint. Mulieres ibi duae turpe vitae genus reliquerunt. Cum in concione Sacerdos acrius in eos inuectus esset, qui de aliorum fama detrahere non verentur; tanta in eo genere est rerum facta-

mata-

mutatio; vt si quem de alijs audiant obloquentem, eum confestim de Praedicatoris dictis admoneant.

COLLEGIVM Calataieronense.

CALATAIERONE in carcere praeter multorum auditas confessiones, ac restincta odia, maleficus quidam grassator insignis confessionem insperato quodam sensu pietatis obiuit, nec minore animi ardore, quam totius admiratione ciuitatis coepit sacramenta frequentare. Vinctis sodalicij nobiliores fratres sedulo ministrarunt, & quidem extremis Bacchanalibus, piorum eleemosinis instructo conuiuio, solito maiore apparatu miseros recrearunt. Iidem sodales aegrum, ac depositum hominem in via cum offendissent, sublatum in humeros populo spectante in Nosocomium detulere. Magna Giuitatis benenolentia, & liberalitas exitit ergà eleemosinae nomine semel nobis ipsa ciuitas aureos centum quinquaginta misit. Excurrere Sacerdotes quatuor ad vicina opida: e quibus laetos laborum fuorum manipulos reportarunt. Excepti vbique primum magna opidanorum gratulatione: diuinos homines sibi de caelo demissos laetabantur. ingens fuit confessionum fructus, vitae totius paene omnes excepiae. In eis vir triginta natus annos, aut eo grandior pater familias ad Sacerdotem accidens, clamauit suae vnius, aut certe potissimum salutis caussa tales homines ea diuina prouidentia venisse: nunquam se per tot annos confessionis sacramentum obiisse: tres in magno dubitationis aestu dies fluctuasse, deberet ne se nostris

indi-

indicare: ad vltimum meliorem sententiam statuisse: mutuum, vt alias vitae rationem explicaret. quod cum magno sensu pietatis peregisset, eam instituit viuendi rationem, quam populares omnes admirentur. Et quoniam aeris alieni conscientia tenebatur, vt posset vis satisfacere, quibus debebat, fructuosa se possessione fraude abdicauit. Qui erant in carcere animi, confessione expiati; reuocabiliati inter se aliqui, ac caelesti pane saepius etiam corporis cibo recreati. meretrices à profundo meretoriae libidinis gurgite in continentiae portum reductae non paucae. multi nouum ordinem ad bonestiorem vitam, moresq. traducti. religiosarum quorundam, clericorumq. vita in melius commutata; vbi praesertim sacramenta rite ministrandi, eademq. cum fructu obeundi rationem docti sunt. Doctrinae Christianae vsus inductus: multa tum optimatum, tum aliorum hominum sedata dissidia. Discordia inueterauerat inter duarum sacrarum aedium cultores, tanto pernicioser, quanto in ordine sanctiore; de quadam iurisdictione, quarum alteram clerici, alteram religiosi viri tuebantur: inueterauerat ea controuersia ipsos annos quinquaginta, vt multa saepe incommoda, multae, & graues inde offensiones orirentur. haec omnia vnius hominis opera sedata; atque vtrique parti satisfactum: compositionis conditiones in publicas tabulas relatae. Quibus rebus excitati certatim viri foeminaeq. sponte profitebantur, quantum quisque conferret, ad Collegium in eis opibus Societati erigendum. Accidit vt cum omnibus iam salutatis, ex apido, in quo aliquandiu moratus erat e nostris vnus emigraret; vir primarius cum lacrymis obtestaretur, ne cum ceteris iter ad caelum capessere dedignaretur.

suo

suo discessu in imo se tartari barathro desereret. biennium se iam inferis addictum emergere nunquam potuisse. rogatus à patre quid id esset mali: mulieris consuetudine respondit, solui se nunquam potuisse. nunc se eam ad templum adduxisse: rogare, & obtestari, vt antequam discedat, vtriusque animi saluti consulat. substitit tantisper Sacerdos, dum generali confessione audita, eorum animi statum honesta tutaq. ratione componeret. mulier honestissima in domo tuto collocata: vir ei & dotem daturum, & ad quotidianum victum suppeditaturum spopondit.

COLLEGIVM Montis Regalis.

INSIGNEM Montis Regalis Collegio suo funere fecit hunc annum vir aeque prudentiae, ac magnae sanctimoniae laude conspicuus P. *Iulius Fatius, domo Neapolitanus, breui, sed vehementi quinque dierum morbo consumptus. quo simul ac correptus est, sibi esse moriendum sensit; praedixitq. non se e lecto viuum exscensurum. tertio, quam eum morbus inuasit, die (nam ante vi morbi aestuante non potuerat) confessionem generalem instituit eius, quam in Societate egerat aetatis. qua peracta petijt à confessario, vt libellum quem de iuuandis morientibus conscripserat & Mortorium ei nomen indiderat, identidem sibi recitare ne grauaretur. Inde cum eum Archiepiscopus, ipsius valde studiosus, audiisset; petijt indulgentiae consequendae caussa, sibi de ipsius manu sacrosanctum viaticum ministrari. hanc enim Archiepiscopus facultatem,*

dato

dato diplomate, habet à Summo Pontifice; plenariam ijs, quibus ille sua manu sacram praebet Eucharistiam, conferendi indulgentiam. Sacro suncto eleo: gratias egit patribus miro sensu pietatis: reliquum tempus in lectione sui Mortorij audiendo, Christi crucifixi imagine contemplanda, pijsq; colloquijs magna cum animi sui voluptate traduxit: illa ad extremum usque spiritum subinde verba iterans: Inter bracchia Domini mei, & viuere volo, & mori cupio. nunquam dicebat MEI. quin magno illud affectu iteraret saepius. Ita Non. Ian. post quartam noctis horam placidissime laetissima illa anima emigrauit e corpore anno aetatis suae sexagesimo tertio, quadragesimo annis ante venerat ad Societatem, superstite adhuc optimo parente nostro P. Ignatio. à quo studiorum caussa missus est in Lusitaniam. Inde cum venisset in Italiam, Romae aliquandiu nouicijs praefuit instituendis. Ienuense postea Collegium multa cum laude rexit. Tres Prouincias, Siciliam, Venetam, Neapolitanam administrauit. P. N. Euerardo Praeposito Generali fuit à secretis. Demum multa iam senectute, & laboribus fractus in hoc Collegium se receperat. cuius etiam susceperat administrationem: multumq; & spiritualem disciplinam, & rem domesticam promouit. Erat ei familiare & iucundum in sermone de diuinis rebus colloqui. cuius rei caussa comiter admodum locum aliquem ex sacris litteris ponere solebat, vnde sermo nasceretur, & quisque magna cum voluptate, quid sentiret exponeret. hoc se acroamate magis multo, quam vlla, aut symphoniae, aut organorum harmonia delectari asserebat. librum ediderat iampridem de Mortificatione: cuius ille in se cultor fuit egregius. Admirabilis

mirabili fuit affectu pietatis erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ac B. Virginem de cuius laudibus etiam extrema iam aetate librum conscripsit; qui mysteria continet dierum Sanctissimae Matri dicatorum, quem facultate iam à P. Praeposito Generali impetrata, breui speramus in lucem exiturum. Habet hoc Collegium insigne, multarum virtutum hominis multis in rebus, magnisq. muneribus exercitati monumentum. Postero, quam obijt, die Archiepiscopus in aede nostra, pro illius anima salutare obtulit sacrificium, venere una ciues eius amantissimi, cum Clero vniuerso, Seminarijq. alumnis: qui nobiscum una, & funus celebrarunt & funebrem psalmodiam solita cerimonia decantarunt. Ceterum quod ad aliorum attinet operam, multarum, & non leuium pacificationum nostri auctores fuere, caedium pericula sustulerunt. Mulieres duae turpem infamiae notam sibi inuicem altera alteri imposuerat: mulierbri procacitate congressae consertis manibus grauiter se leserant. Quo magis genus est imbecillum, eo saeuit iracundius, & in duarum nitedularum discordijs componendis laborandum fuit. diceres Achillem cum Agamemnone esse reconciliandum, ita obstinato animo earum altera in pristinam existimationem restituere alteram recusabat. victa tandem est muliebris peruicacia, illaq. ad se redijt; ac multis praesentibus ab altera, vt sibi per Deum ignosceret postulauit. hic de mulierum pugna reuectus triumphus. In ijs, qui beneficos se nobis praebuere, est praeter ceteros matronae vnius perspecta liberalitas: haec coronatos sexaginta quinq. ad Sacrae Eucharistiae Tabernaculū Neapoli comparandum, atque huc transferendum dedit.

dit. Sed omnium maxime Illustrissimi Antistis benignitas enituit, qui ducentos aureos ad proximas aedes scholis satis idoneas, Collegio adiungendas dono dedit. & si illius beneficentia, multis spectata iam annis, notior est, quam egeat memoriae renouatione.

COLLEGIVM Bibonense.

BIBONE Collegio in aliud domicilium translato, non salubriorem nobis modo sedem, sed commodiorem etiam toti Ciuitati locum nacti sumus; cum in priore domicilio nullius vnquam tuta valetudo fuerit. & huc, quo commigrauimus, maior paenitentium numerus, maior ad concionem populi frequentia conueniat. auctior etiam sit discipulorum numerus. In vrbe solita cum fructu Societatis ministeria praestita. Excurrere in vicina opida nonnulli. qui praeter illa, quae quotidiana sunt, & vsitata, sodalicia quoqua varijs in locis discipulorum, opificum, & nobilium virorum instituerunt. optandum vt illa suum cursum teneant, & feliciter progrediantur. Mulier profligatae pernicaciae à marito discesserat; & vt animo suo satisfaceret, contempto etiam corporis periculo, nihil aliud nisi licentiam, & voluptariam vitam cogitabat. ab vno e nostris patribus in ea peregrinatione metu diuini iudicij, aeternorumq. supplicio rum proposito, ita perculsa est; vt facta totius vitae confessione, nouam viuendi rationem instituerit.

COL.

Digitized by Google

COLLEGIVM Drepanitanum.

DREPANI Marianus Mongiardinus, vir clarus, & locuples, vt proximis litteris est scriptum, altero à suo in Societatem ingressu mense, praematuro cursu per itineris compendia ad brauium supernae vocationis consequendum properauit. Is, & si nullis laboribus in Societate perfunctus, aliqs tamen eam opportunitatem praebuit, vt quod ille morte occupatus minus potuit, ipsi suppleuerint. Collegio enim decem aureorum millia legauit, vna cum domo, quae quinque millibus aestimatur, in eam & loci natura opportuniorem; & aedium laxitate commodiorem. Collegij sedes translata est, ita maiorem huius inuandae Ciuitatis opportunitatem Societas habebit. & iam duo Ciuitatis Principes, propter quorum odia in duas nefasti factiones Ciuitas discesserat, ad pristinam concordiam, beneuolentiamq. reuocati sunt. Missi nostrae Societatis instituto ex hoc Collegio Sacerdotes duo cum fratre vno Salomitum, honestum cum primis, & clarum Siciliae oppidum, quorundam nobilium ciuium rogatu. hoc oppidum nulli nostrorum vnquam antea adierant; nullus e Societate Praedicator in eo auditus erat. ita aliqui nostros expetierant, contra aliqui dissentiebant. His subito mutata voluntate cum alterius certare officijs coeperunt erga nos. Apud eos sesquimensem commorati sunt. extitiq. fructus operae, quantus anno vno ex bene constituto aliquo Collegio percipi solet. Pranae consuetudines vetustatae iam corroboratae

tae funditus excisae sunt, vicissimq. bonae insitae. Sanctimoniales ad seueriorem disciplinam reuocatae. Certae religionis professus ad coenobium, vnde adulterinis priuilegij litteris excesserat, se retulit. Clerici ad confessiones audiendas doctrina idonea instructi. Mulier antipitis famae, cuius forma non pauci capiebantur, in matrimonio collocata. Alea edicto publico foris aleatorijs interdicta, & immoderata ludendi consuetudo ea ratione repressa. aleator vrbe tota famosus ita medullitus infixum ludendi studium tenebat; vt plebeio, & seurrili carmine se post obitum e suis ossibus talos, & tesseras faciendas curaturum cantitaret, is audito Sacerdote nostro, cum pro concione in aleam inueheretur ardentius, ita detestatus est vitae sordes vniuersas, vt multis cum lacrymis coram omni populo voti se religione obstrinxerit, abstinendi prorsus in posterum ab omni ludo. constantia illi à Deo optanda est. lites diremptae multae, & graues discordiae sedatae, impeditae caedes, aditae publicae custodiae, Nosocomia, doctrinae Christianae introducta institutio. Sanctissimi Sacramenti Sodalicium instauratum. institutum alterum ad humanda pauperum cadauera: tertium ad iuuandam pauperum inopiam, atque ad eos subleuandos, qui carcere tenetur. Omnes denique ex eo opido nostrorum concionibus ad salutarem peccatorum expiationem, sanctamq. Synaxim accessere. plurimae verò vitae totius confessiones explicatae. Bachanalibus, quo tempore sibi lasciuia liberius indulget, publicis supplicationibus magna totius opidi frequentia quadragenarum horarum preces obitae. Et cum per id tempus militum cohors in illud praesidium venisset, offensi milites rei nouitate,

mili-

militari licentia vinus carpebant, quod Bacchanalia in sanctam hebdomadam verterent. Sed cum ex iis aliqui interfuissent concioni, qua sacrae processi indicebantur, ita ut religio probata, ut auctores eius suscipiendae commilitonibus fuerint, quid plura? cohors universa confessionis, & Eucharistiae Sacramentis communita, magna tamen Ciuitatis probatione, & laetitia una cum Duce militari agmine templum ingressi horam suam obiere. Petiere deinde opidani, ut solenni quadragesima dierum iuuanio concionem nostri haberé, ne graue duceretur, eamq. ob rem, quem ipsi concionum causa arcessunt, suo conspectu donatum dimittere cogitabant, hanc indignam homini immerenti iniuriam fieri nostri nulla ratione permisere. Suoq. munere, & tempore perfuncti, magno sui relicto desiderio, Drepanum redière, aliquibus aliquot milliaria prosequentibus, & nunc magno ipsi quoque studio exercendi apud se Collegij tenentur.

COLLEGIVM Rheginum.

COLLEGIVM Rheginum, vastatum, ac deformatum incendijs, barbarico Turcarum furore, quanquam instaurata aedium parte, templiq. altaribus excitatis, publicum tamen adhuc testatur cladem. In magnis rei familiaris angustijs praeclara non defuere diuinae prouidentiae documenta. Noua quaedam vina, quae Scaphis publicis Rhegium deferebantur, cum in Turcarum piratarum manus incidissent, effusa omnia periere praeter nostra. Ciuium voluntate vtimur bene-

nola, & pro facultate etiam liberali, qui quamquam & ipsi communi afflicti clade, tamen & eleemosynis non nihil nos iuuerunt, & areae tantum nobis conceſſerunt, quod ad Gymnaſium paullo explicandum latius ſatis eſſet. Conciones Dominicis, feſtisq. diebus, & altera Grammaticae Schola, iam inde ab vrbis incendio intermiſſae, magna cum Ciuitatis voluptate reſtitutae. Capita doctrinae Chriſtianae feſtis diebus pomeridiano tempore, ipſo praeſente Archiepiſcopo explicari populo coepta. ea à pueris, puellisq. memoriae mandantur. eorum, qui hoc genere inſtituuntur numerus peruenit ad quingentos. Multorum reconciliata diſſidia, multaeq. noſtrorum opera remiſſae ſunt offenſae. Eſt item (Chriſto laus) noſtrae operae fructus, quod in alijs qui à nobis ad pietatem inſtituuntur, non raro fieri videmus. Vidua mulier à noſtris edocta pietatem, violenti amatoris, ac longe ſe ſpſa valentioris, ſola diuinae matris fiducia, praeſentiq. ope manus effugit. Eadem in ſumma annonae caritate eiuſdem Virginis auxilium iterum in re perſpicua perſenſit. nam cum biduum iam pane caruiſſet, ſuburbanumq. B. Mariae templum, ad cuius illa reſpexerat tutelam, adiret, binos recentes panes in via, praeſens ſamis remedium inuenit.

COLLEGIVM Marſalenſe.

MARSALAE prope incredibilis non ſolum ex concionibus, ſacris lectionibus, & admirabili Sacramentorum frequentia, verum etiam

eriam ex Doctrina Christiana perceptus est fructus: adeo sanctum opus, ne summa quidem aestate intermissum. Pater in Societate perantiquus, ornatusq. litteris non leue suae sanctitatis edebat specimen, dum post crucis vexillum ad Christianam Doctrinam puerorum cogebat multitudinem. Ciues omnes, in primis verò Collegij fundatorem Societatis nostrae studiosissimos experimur: ac nostrorum laboribus, & culturae, Deo duce, suus respondet prouentus animorum. Tribus in Sacrarum Virginum Coenobijs nostrorum hortationibus renouata disciplina, sacris Virginibus confessione, maxima ex parte vitae totius expiatis, ad haec puellae aliquot, quae in Monialium Claustris ad nuptias educabãtur, caelestium rerum amore incensae, nullas alias, quàm cum caelesti Sponso Christo nuptias celebrare statuerunt. Mulier, quae veneno sibi mortem inferre constituerat, hac amentia, alijsq. diaboli laqueis liberata. Mazaram vrbem, non ita longè dissitam, Episcopi sedem huius oras, nostri profecti Sacerdotes, concionibus tantum omnium ciuium, Episcopi in primis, & Magistratuum studium erga Societatem excitarunt; vt de Collegio apud se constituendo agitent consilia. Sed omnem aliarum rerum laetitiam, celebritatemq. superauit solennis illa, celeberrimaq. pompa, qua Sanctorum Martyrum reliquiae ex vrbe huc ad nos transmissae, Ciuitatem hanc nouo ornamento fecerunt sanctiorem. Ciues, & priuatim, pro se, quisque pia quadam aemulatione, qua pecuniam conferendo, qua rebus occurrendo, supplicationem quam augustissimam reddere nitebantur, & cõmuniter ciuitas uniuersa flammis, ac funalibus, luminibusq. tum diurnis, tum nocturnis curandis, cete-

risq. paranda vrbs, quàm celebritatem illustrio-rem, insignioremq. redderent, omnium expectatio-nem superauit. Collegij in primis fundatoris non antea ignota, nunc verò maximè perspecta pietas, & liberalitas illustris fuit, qui non alios duntaxat diues, sed se ipsum etiam superare cupiens est: ne-que solum praesens interesse, suppeditare insum-pturn, sed etiam rebus omnibus praeesse voluit. Huc desiderata est industria nostrorum rei illustran-dae. Siquidem breue drama rei, temporiq. con-gruens sacrae pompae apparatum omnem illustra-uit, triumphali curru, quo sacra pignora vehebun-tur, exornatum. Ergo hoc rerum apparatu octa-ual. Augusti celebri pompa sacrae reliquiae ad no-strum templum allatae, Mazarense Antistite pro sequente, qui quanquam non satis firmis viribus, totum tamen vtam, qua ducta est supplicatio, pedi peregit. Postero die, qui fuit S. Martinae Magda-lenae sacer, idem Mazarensis, & idem Marsa-lensis Episcopus Pontificio ritu rem diuinam fecit in aede nostra. confessi sunt, ac pane caelesti cibati plerimi plenariae indulgentiae à Summo Pon-tifice consequendae causa. Haec paucis de tota illius hidui celebritate. Ex priore Collegij domicili-lio, in quod primum excepti nostri sunt in nouum longè commodius iij. id. Nouemb. commigrarunt. Idem Episcopus nouam domum, tubiculaq. singula perhumaniter obiit, lustrauitq.

MINENSE COLLEGIVM, & Sedes Calatanixettae.

MINEO missi aliqui ad proximos opida-nos fructus laborum collegerunt. Magnum con-

confessionum numerum exceperunt: Sanctimonialium in primis, quae ad religiosiorem observantiam sunt revocatae. audiit vero plurimi de tota vita obitae de more quadragenarium precem, piaculis sudium praeferente populo, multitudine frequenti. Mulier quae singulis noctibus uxorabatur à daemone, caelestis agni effigie e collo suspensa, lustrali aqua cubiculo aspersa, cruce ceruicali appesita, in primis verò facta confessione peccatorum liberata. Virorum ac feminarum pariabina, quae vitae turpitudine suis ciuibus offensioni erant, indignam amicitiae consuetudinem cum honesta matrimonij coniunctione commutarunt. In vno eorum opidorum, quae lustrabantur, templum aras sacrarum vsui parum idoneum, nec satis dignum opidi nobilitate. Excitati ciues concione vna cum opidi Praefecto, ad templum alterum commodius extruendum, die postera mille quingenos aureos contulerunt: spensaneq. se se obligarunt, iactis fundamentis, eam quisque pro se pecuniam duplicaturos. Calatauixettae e tribus fratribus desideratus est vnus Paulus Stranus ex diaecesi Catinensi, faber cementarius, quinquagesimum aetatis annum excessisse videbatur, trigesimum agebat in Societate: ea religione, ac pietate, vt non minus animorum, quam domiciliorum aedificationi profuerit. Ceterum strenue aedes Collegij exaedificantur. E confessionibus, Doctrina Christiana, qui fructus colligantur, ingens eorum numerus declarat, qui confluunt in dies. Concionum fructus extitit illa praeter ceteros. Sacerdos concionem de salutaris sacrificij praestantia habuerat, eo ipso die tenera adhuc matre familias aetate, primi puerperij doloribus coepit vrgeri, tanta partus difficultate,

ut iam alias vita ex extremum esset adducta discrimen. alias pater hoc precibus, meritis praesentia concessum, primo adductis rem dimittam precibus cum rogat sacerdotem ut ipse exorabat ut prorsus sanitatem ei Deum det. fuisse enim parum existimat, domum redit. compertum illa ipsa hora, qua Sacrificium Christi Corpus conficeretur filium incolumem peperisse.

COLLEGIVM Melitense.

EX NOVO Melitensi Collegio Pater vitam ex amissam Leonardus Capanus, prius in Brutiis 10. id. Mart. ad meliorem vitam evocatus. Sedulus confessionum fuit auditor, & in eo ministerio industria non vulgari: tanta morum facilitate, animiq. demissione; ut nemo non illius consuetudinem admirarit. Hunc sequutus est sub finem anni viu. cal. Ian. Paulus Moschata, rei familiaris administer, phthisi consumptus, qui mira patientia ferrum candens ulceri, quod in pectore habebat, admotum sustinuit immotus, ut ne ingemuerit quidem. Speramus utrumque suorum laborum praemia iam consequutum. E sedibus alienis hoc primum anno in proprias recens extructas est demigratum, quibus extruendis Thomae Gargalli Episcopi benignitas fuit in primis maxima. quippe qui breui temporis spatio haud paruam Collegij partem magnificentissime exaedificauit. Reuerendissimi Episcopi liberalitati Illustrium S. Ioannis Equitum respondet humanitas, & multum nostrae Societati cupiunt, faueniq. quod non officijs verborum tantum, sed

Digitized by Google

sed etiam re ipsa persaepe declararunt; difficultates domesticas, nediumq. constructionem suis eleemosinis subleuando. Creseit in dies numerus nostram aedem concionum; & Sacramentorum caussa frequentantium. multiq. generali facta confessione, ad meliorem se vitae frugem retulere, Famosa meretrix ad sanctimoniam, pudoremq. reuocata est. concubinam alius emisit, atque vterque meliorem viuendi rationem iniit. Miserum coniugem vxor noctu strangulare adorta est, quo securior amatore suo potiretur: iacuit ille per horam exanimatus, quo tempore pulcherrimam sibi columbam miro candore collucentem sibi narrauit esse visam; quae se bono esse animo iuberet, quoniam apud Societatis Sacerdotem conscientiae labes eluisset. ita solo ipsius attactu vitam sibi redditam. hanc ille salutarem columbam Deiparam fuisse Virginem sensu quodam intimo interpretabatur: cui quotidie certas preces, hymnosq. persoluere solenne habuisset. Doctrina Christiana pueris traditur, praesente interdum Reuerendissimo Episcopo, atque opus promouente. nec raro etiam Illustris Equitum adest cetus; quorum praesentia puerorum crescit alacritas. Aes mala fide partum, non modica summa restitutum. Adiutus adolescens, qui varijs daemonum terroribus, visisq. agitabatur: modo vitulorum mugitus, modo alias aliarum bestiarum voces audiebat. ei sese interdum noctis tenebris tenebrarum princeps obiecebat: nocturnam quietem interturbabat: vexabat, pugnis, plagisq. acriter caedebat. is tamen cum apud nos sacris mysterijs animum confirmasset, cereamq. caelestis agni effigiem e collo suspendisset, fraudes veteratoris elusit, viresq. debilitauit, ac fregit.

Digitized by Google

Proxima Quadragesima Sacerdos vnus e nostris vicinum in opidum se contulit, non parua suæ opidanorum vtilitate. Piorum hominum sodalitates, quæ iamdiu exoleuerant, in pristinam pietatem frequentiamq. restituit. confessiones quamplurimas excepit.

PROVINCIA MEDIOLANENSIS.



ENSENTVR in Prouincia Mediolanensi socij octo, & octoginta supra ducentos. Mediolani in domo professa tres, & quadraginta. In Collegio ad Breram octoginta sex: In Collegio Ienuensi duo de triginta: In Taurinensi viginti duo: In Vercellensi quindecim: sexdecim in Nouocomensi. Aronae in Domo Probationis vnus & triginta: In Domo Probationis altera ad Ienuam superiore anno instituta viginti sex: In Collegio Montis Regalis hoc anno inchoato nouem: In Residentia Cremonensi quatuor: octo in Missionibus Pedemontanis. vita functi tres: eorum locum expleuere quindecim.

Digitized by Google

DOMVS PROFESSA Mediolanensis.

OBIIT *Mediolani in domo professa* P. *Ioannes Castagnarius Taurinensis*: *Parma, vbi aliquot annis Rector fuerat, huc mutandi caeli causſa profectus. iam ante periculoſa contracta phthyſi, qua tandem poſt longum patientiae exemplum conſumptus eſt. Qui in hac Domini vinea laborarunt, praeter vſitata, & communia, illa praeſtiterunt. Meretrices quatuor à flagitioſa vita ad matrimonium traductae ſunt. Puellae, cuius pudicitia in diſcrimen verſabatur, corrogatis eleemoſinis proſpectum eſt. Diſſidia grauia, & periculoſa inter fratres, & propinquos multa ſublata: gratiaq. inter eos reconciliata. Vir nobilis morti proximus ita videbatur in pertinaci quadam iracundia obſtinatus; vt e familiaribus nemo ipſum aut de confeſſione interpellare, aut de inſtanti periculo auderet admonere, & quod perniciem maiorem afferebat, ne Paſchae quidem ſacro tempore Sacramentis animum purgauerat. Id cum reſciſſet e noſtris Sacerdotibus vnus, nil cunctandum ratus, hominem mature conuenit; eaq., qua tali tempore opus eſt efficacia, caritateq.; ſui admonet periculi. vt ille magno edito ſenſu paenitudinis, ad extremum diem tuto obeundum, Sacramentis rite communitus, ſe pie ſancteq. comparauerit. Quo tempore huius more Ciuitatis Bacchanalia ad primam Dominicam diem. Quadrageſimae trahuntur, per eos omnes hebdomadae dies, à Dominica Quinquageſimae Sacerdos e noſtris quotidie*

tidie sub vesperam sermonem de spiritali militia habuit ad concionem; ad quem audiendum magna populi frequentia confluxit. Eadem frequentia conuenere, cum per Quadragesimam ter quaque hebdomada in nostro templo Dominicae Passionis capita explicarentur. Ad ornatum templi accessere tum admirabili artificio, & elegantia crux; tum alia multa, quae mille aureis aestimantur.

COLLEGIVM Mediolanense.

MEDIOLANI in Collegio vixit P. Gaspar Lambertenghus, bona vtique confectus senectute. agebat enim annum septuagesimū: quartum exegerat, & vicesimum in Societate, tanta cum admiratione virtutis; vt sero stadium ingressus, celeritate tamen & contentione, multorum cursum anteuertarit. Tiranum illi patria fuit, apidum in Valle Telina satis nobile, in quo ille, cum diuitijs, & nobilitate floreret, occupato ol vanR hetis totius vallis dominatu, ac religionis libertate introducta, maluit inter catholicos in alieno solo exsulare, quàm cum summa rerum affluentia in patria, haeresibus fedata cū animi periculo princeps esse. ita vlam praediorum suorū parte diuendita (neque enim omnia vendi potuerunt; cum legibus Rhetorum, distractis rebus omnibus vertere solum non liceat) pecuniaq; redacta, cum filiola, quam vnicam habebat, patria quam occultissime, relicta, Mediolanum se contulit. hic nouis coemptis praedijs domicilium sibi constituit. filiam in Monasterio erudiendam primum, deinde honestissimo

simo matrimonio collocauit. Interim in nostrorum dedit se consuetudinem. qua sensim factum est, diuinis subinde igniculis in eius animum immissis, vt etiam ad nostri amplectendi studium institutis iam grandi natu excitaretur. &, vt erat matrimonio viduatus, sacris initiatus, & Sacerdotij ordine ornatus, in nostram Societatem adscribitur annos natus sex, & quadraginta. atque homo ita aetatis se ad legum, institutorum, aliarumq. nostrarum consuetudinum obseruantiam accommodauit; vt si tenera iam olim aetate ad nostram se viuendi rationem conformasset. quae coemerat praedia, ex quibus mille circiter aurei percipiebantur annui, Collegio attribuit. & cum virtutum omnium studiosissimus, tum verò humilitatis, & paupertatis cultor fuit egregius. vestes ab alijs attritas nouis, ac recentibus praeoptabat; nec nisi iussus nouas vnquam induebat. Quae Societati bona dedit, non modo nunquam imuisere, quamuis saepius rogatus: sed ne verbis quidem vnquam voluit commemorare. Sui verò commodi ita non fuit amator, vt nullam non amplecteretur occasionem incommodandi sibi, nullum vnquam dari sibi passus est cubiculi adiutorem, aut ad pauimentum verrendum, aut ad sternendum, componendumue lectum. quin etiam aut cubicula incommoda, & ab alijs neglecta sibi eligebat; aut si in aliquod paullo commodius immitteretur, ne vnus tantum vacuaret commodum, contubernalem sibi adiungendum deposcebat. & cum tanta sit in his locis frigorum asperitas, vt cum maximis Germaniae frigoribus conferri possint, ignem in cubiculū sibi inferri, ne extrema quidem aetate vnquam est passus. sed ad communem focum ea modestia assidebat, vt cuiuscunque aduenienti

uenientis primus assurgeret. erga caelites Sanctorum. caelitum reliquias veneratione tanta fuit; vt templum nullum esset, nulla aedicula in tanta, & tam ampla Ciuitate, in qua sacrum aliquod pignus eiusmodi conseruaretur; quam non ille, & deserpte sciret; & statis temporibus venerabundus adiret. Mirum erat videre, quo studio, quanta. festinatione ad confessiones audiendas, praesertim pauperum properaret. quod diceret, diuitibus expectandi moram non obesse: pauperibus magno esse plerumque detrimento. itaque eius poenitentiaria sella in templo diebus festis semper erat pauperibus circumsepta. Erat ei solenne diebus festis suburbanum templum ad rudes Christianam doctrinam docendos adire. neque vnquam vlla imbrium, aut hyemis asperitate potuit ab eo munere retardari. itaque agresses, audita eius morte, praelata cruce ad eius funus honestandum, vrbem ingressi, templum nostrum agmine petierunt. Ita communi multorum desiderio vir omnium iudicio probatissimus, & qui senectutem per tot laudes traduxerat, tumulatus. Scholae florent vt cum maxime. & quo minus in dies frequentia augeatur, locorum pro multitudine angustiae sunt impedimento. E Partheniis non pauci varias religiones susceperc: tres nostrae Societati adiunxere sese.

COLLEGIVM Ienuense.

IENVAE mulieres duae à turpi quaestu abductae sunt, sic inter duas nobiles familias, quae

in

in aperta odia proruperat, & iam spectabat ad arma, una cum armis, positis odijs, composita. Multorum etiam inopia collectis eleemosinis subleuata. Vicus duobus ab vrbe milliarijs distat, incolarum multitudine, & nobilium aedificiorum magnificentia in primis frequens. Huc vitandi aestus caussa se recipit nobilitas aestiuo tempore. ibidem e nostris Sacerdotes duo per idem tempus commorati, quasi suburbani Collegij operas praestiterunt: vt ne ijs deesset, qui nostrorum consuetudine assueti, etiam inter amenitatem rusticandi, studio colendae pietatis tenerentur. neque nobilibus solum Sacramentorum administratione profuerunt, sed multitudini quoque vicanorum, qui frequentes ad doctrinae Christianae explicationem mira alacritate confluxerunt. Ceterum in magnis rei familiaris angustijs, egregie constitit diuina prouidentia, & piorum liberalitas erga nos. multae enim collatae eleemosinae magnis nos difficultatibus expediuerunt.

NOVA DOMVS PROBAtionis ad Ienuam.

BENE posita superiore anno huius nouae probationis ad Ienuam initia laetos admodum Dei beneficio processus habuere. iacta enim prima nostrae institutionis fundamenta in solida, firmaq. sensim surgent aedificia. Nouicij, praeter domesticam religiosae disciplinae institutionem, foris etiam de more, consuetis experimentis exercentur: in nosocomio maxime incurabilium, in quo post praestita quotidiana ministeria, aegrotos

iam

Digitized by Google

iam curatis corporibus quietos doctrinam Christianam edocent. tantaq. est eorum in ministerijs assiduitas, tanta caritas, tantum de salute aegrotantium studium; vt pijs monitis tum singulos, tum multos communiter hortando, magnam vniuersae multitudini morum attulerint mutationem. multi generali confessione expiati. In ijs miles, qui quindecim iam annos omni Sacramentorum genere abstinuerat; mirisq. modis ne conscientiae vlcera attingeret, à daemone terrebatur. pertinaci tamen tironis nostri caritate victus impedimentorum omnium vincula perrupit: totiusq. vitae peccata Sacerdoti detexit. Idem inuicto animo peregrinationum difficultates superarunt, paupertatem, inediam, itinerum asperitates, traiectiones fluminum, imbrium, hospitiorumq. incommoda, cum praesertim aliquando tecto excluderentur, probra insuper, irrisionesq. pertulerunt; vt fieri necesse est in locis eiusmodi exemplorum insolentibus. Doctrinae Christianae explicationem in circumiectis pagis superiore anno institutam mirabiliter hoc anno prouexerunt: Scholis in vicis singulis constitutis: creatisq. ad eas regendas moderatoribus, & administris. idque tanta cum omnium voluptate; vt quo die creandi essent, omnes ad eam rem coacti sacra sese prius communione, mutuisq. amplexibus, quasi caelesti vinculo colligarent; ac sese ad tam Deo gratum ministerium communiter excitarent. Tanta de scholis hisce opinio est excitata, tantusq. discendae doctrinae iam vsus inoleuit; vt, cum in vico ex his praecipuo diebus festis ludorum causa certum in locum conuenirent, eam frequentiam catechismi concio totam exhauserit. Die quodam nouicij duo, dum domum redeunt, catechismo

[illegible]

praebeant sedem : extructa etiam vel instaurata potius nostro fundatori domus, viginti circiter passibus à nostra dissita, duorum millium aureorum impensa. haec primae probationi commodum praebebit vsum. Distat aliquantum à via publica nostra domus: ad quam clivo passum, plus minus centum, inter hortos vicinorum est ascensu. erat ante cenosum lubricumq. diverticulum, vir nobilis centum aureorum impensa glarea, sabuloq. sternendum, solidandumq. curauit. & nunc commodus est ad nos accessus. & cum à re domestica suppellectiliq. vt sit in noua domo, maligne instructi essemus; id noster Fundator cũ resciisset, e sua domo, aliundeq. quae desiderabantur ad nos apportanda curauit. ita hac benignitatis accessione abunde, nobis domesticum totum complenit instrumentum.

COLLEGIVM Nouocomense.

DILIGENTIA Pastoris auxit hoc anno nostris Nouocomensibus laborem. si quidem cum edixisset Episcopus, vt audiendarum confessionum nulli potestas esset, qui non accurrato ipsius Praesulis, aliorumq. doctorum virorum iudicio probaretur; nostriq. si vellent, lege exciperentur: pertinere tamen ad Societatis existimationem iudicarunt, examinis potius aleam subire, quam inuidioso vti priuilegio. ne, quod spectatae doctrinae dabatur, gratiae dari videretur. itaq. P. Rector omnium primus, tum reliqui deinceps Sacerdotes interrogati, omnium iudicio probati sunt. Huius examinis fama, quae nostris curam attulisse vide-

terum illa cessamus contemnere, ut multi Sanctorum ab illo munere in omne tempus abstinere, periculumque repulsae periculum tentare, qua factum est, ut confessariorum numero immunes, multo quam amari plures ad non adeundum, & ex iis multo, qui alienare animum à nobis erant. Multa privatorem nostri inter cives contenderis sedandum: ac quo factum est, ut magna pace, tranquillitate, nunc civium fruamur. passimque de nobis haec involucris opinio: cum inter aliquos aliquantulum, vel simultas animum, ad eam sedandam nostrorum operam esse adhibendam. Episcopus ipsa nostrae Societatis amantissimus, nostrorum operam multis in rebus utitur, ad canendas in primario templo habendas, ad Monialium coenobia iuuanda, vel sermonibus habendis, vel ipsarum confessionibus audiendis. Ipso triduo ante cineralia quadraginta horarum supplicatio in nostro templo habita, nova quadam admiratione pietatis affecit ciuitatem. Sodales vtriusq. Congregationis nobilium ciuium & scholasticorum ita operas inter se partiti sunt; vt nulla hora ab ipsarum frequentia vacua transierit. Reuerendissimus Episcopus, & Praetor vrbis cum maxima nobilitatis parte toto illo triduo eadem nostrum frequentarunt. habitae sunt per eos dies conciones ad tempus accommodatae, de morte, de extremo iudicio, ac de poenis inferni, Ciuitate vniuersa rem maxime probante: Quadragesimae vero diebus singulis, Episcopi rogatu, in aede principe, Episcopo, & magna populi frequentia audiente. Monasterium vicus est ad Larium situs Nouocomo distans millariis fere viginti quinque. Huc rogatu viri nobilis missi Sacerdotes duo, confessionibus audiendis, Christiana doctrina edocenda, dissiden-

sidentium animis recandis, multum ei populo profuerunt. aliter quoque eorum tar quaque hebdomada matutinis horis concionem habuit: pomeridianis de passione Domini magno populi concursu verba fecit. Haedenus de rebus sacris. Scholae nunquam antea, nunc maxime florent nobilitate, frequentia, & vero fructu pietatis. Et quidem hoc anno primum, praeter commemorata sodalicia duo, ex ea iuuentute, quae scholas nostras frequentat, praecipuus quidam coetus selectus est adolescentium eorum, qui eximia spe futurae virtutis, ardentiore studio tenentur pietatis. hi certis legibus ab alijs secreti in Oratorium canonicum, a quo ipsorum coetui nomen est inditum. Spauamus hinc fructus in dies meliores. Quod ad rem familiarem attinet: Sacerdos e nostris Nouocomensis ciuis, fratrem habet ijs opibus, facultatibusq. instructus, quae satis sint ad honestae familiae splendorem cum dignitate retinendum. Ei Societatem ingressus praediorum, quae ex paterna haereditate possedebat, permisit vsum fructum tantis per; dum de illis aliud statueretur hac lege, vt quot annis certum vectigal pauperibus persolueret. quae res speciem quandam locationis habere visa est: tenuis ea condicio aliquot annos, donec noster ijs se bonis plane abdicauit: eaq. omnia Nouocomensi Collegio attribuit. Hanc rem frater vsufructuarius, quia ea praedia spe iam praeceperat, vt suis vsibus peropportuna; aliq. cognati, ad quos haereditario iure deuoluenda putabantur, iniquo animo tulere, magnis criminationibus fratris impietatem, ac nostrorum auaritiam traducere, de nobis obloqui, calumniari, aperte denique se nobis inimicos profiteri coeperunt: magnamq. ciuitatis partem

suis querimonijs excitarunt contra nos : vt nullus per eos dies frequentior vrbe tota sermo haberetur. cum tamen non deessent honesti viri, qui nostra iura tuerentur, eorumq. criminationibus aduersarentur : sese in circulos, conuenticulaq. ciuium insererent ; atque ijs de rebus sermones de industria inijcerent ; vt aequitate causae probata, aduersatiorum iniuriam refellerent. Denique permissu R. P. N. Generalis, petente id maxime vsufructuario de tota controuersia ita decidendum esse statuere ; vt quatuor millibus aureis ea praedia, quae iam Collegio addicta erant, quaeq. octo circiter millibus aureorum aestimabantur ; vsufructuario redimere liceret. Placuit condicio vniuersae ciuitati. illi auita praedia in sua familia retinuerunt ; & nos dispendio non mediocri, magna molestia, & simul cupiditatis suspicione liberati sumus : honestamque familiam à nobis, & si nulla nostra culpa, abalienatam, cum magna totius probatione ciuitatis amicam retinuimus. Ex eo pretio vectigal annuum ducentorum octoginta aureorum emptum est : & eo prouentu auctum Collegium.

DOMVS PROBATIONIS Aronensis.

ARONAE felicem vitae cursum absoluit P. Emmanuel de Sa, vir excellentis doctrinae, & pari laude pietatis, omniq. virtutum genere inter illustres nostrae Societatis viros in primis eminens. ipsis primis adhuc Societatis incunabulis in eam ascitus, eos processus ad omnem pietatem habuit ; vt vere primicias spiritus habuisse ; atq. ab

ipso

Digitized by Google

ipso omnium nostrum Parente Ignatio pietatem exsuxisse appareret. ac, si quemadmodum corporum, ita etiam animorum effigies expressae seruarentur, dignus sane fuit, cuius exemplum nostrae Societati ad omnem posteritatem proderetur. Patria fuit Lusitanus: at primis illis temporibus, quibus nostri eo venerunt, tenera adhuc aetate in eorum numerum, felici matris omine exceptus. nam cum Conimbricam, vnde tantum nostrarum nomen in Lusitaniam se diffuderat, studiorum causa mitteretur: Vade fili, mater ait, atque ita studia cole, vt prospera cuncta de te audiam: maxime illud velim: te ad Apostolorum familiam esse aggregatum. Apostolos autem à nouo spiritus feruore in orbem inuehendo, nostro communi totius Lusitaniae appellatione intelligebat. eum postremum cum matre congressum, colloquiumq. habuit. In Societate admissus ad studia, nondum firmatis legibus Societatis, neque tam distributè in singulas haras descripta disciplina, incertum est, vtrum plus temporis precationi, an studiorum commentationi tribueret. magna fuit illi semper cum Deo coniunctio, magnus diuinarum rerum sensus: fuitq. semper erga diuinam matrem praesertim suauitemq. Iesum, & eius incunabula affectu singulari. quin saepius ex non obscuris coniecturis putatur prima praesertim aetate caelesti viso diuina vtriusque praesentia, specieq. recreatus: hiq. de illo sermones circumlati. ex quo factum est, vt nihil ei promptius esset, quam aut diuina cogitare, aut diuinis de rebus verba facere. hanc illo consuetudinem in omni vita summa aequabilitate semper tenuit, vt etiam extremis vitae diebus, cum grauissimo confectus morbo langueret, hanc sibi Deum

sine interpellatione omnibus opportunissimum gratulatur. Philosophiam publicè docuit in Lusitania, florenti adhuc iuventa, ac paene puber; vt aliqui scholam ingressi, vt sit magistrandi cupidine, quorum ille Magistrorum more vltimus venerat, eum ad sedendum in suis subsellijs inuitarent, rati ipsum esse auditorem, nec locum in fratrum subsellijs habiturum. Post in Hispania Illustrissimi Francisci Borgiae tunc Gandiae Ducis, postea Societatis Praepositi Generalis in Philosophia Magister fuit. In Italiam missus Romae primis Romani Collegij initijs Theologiam ac sacros libros annos multos reuerenter enarrauit. Extant ipsius Doctrinae, diligentiaeq. monumentum insuleum in quatuor Euangelia ex antiquorum Patrum interpretatione scholia. multos item annos concsiones habuit in nostro templo, magna auditorum frequentia, magna item opinione sanctitatis. cum quae diceret magis ex assidua cum Deo consuetudine, quam ex librorum lectione, quos tamen studiosè euoluebat, hausta videretur. eius oratio ita nè omni quidem erat ornamento, vt tamen succo pleno pietatis delectaret. ita quibusdam locis subaspera, & negligens; vt hoc ipso quod artificiosam distinctionis negligeret, probaretur, insito semper spiritui quodam lepore condita; iucundis salibus, seu pietate redundantibus aspersa: subtilis interdum, & elegans, & ipsa inimitabili inconcinnitate elegantior. Actio, quae à dictione non dissideret, nè omni elegantia, & communi vsitataq. consuetudine exorbitans, tarda interdum, & insistens, languida, remissa: interdum vehemens, & quodam animi ardore incitata: eadem saepe ex abrupto repressa, & sedata: vt plus interdum in silentio, quàm eorum conuiuarum, ac si

quo-

quadam corporis fulgore, quam in amplissimorum ponderibus aut gestus, aut vocis vehementia poneretur. nihil ad nervum, nihil ad praescriptum magistrorum: sed eo ipso delectabiles, quod omnia prorsus artificio vacarent. denique non ille insons, sed contra omnem formam eloquentiae eloquentissimus. tota in oratione severus, & quasi ab humanis sensibus abstractus, severitatem tamen pietatis, & sententiarum gravitatem spiritali quadam hilaritate sensim temperabat. ut eodem tempore, & animos audientium percelleret, & spirituali quadam gaudio exhilararet, in primis verò alte admodum sensa pietatis imprimeret. Scimus fuisse, qui ex illius oratione assurgentes; ut à vinculis continere se non possent, quin ad divina meditanda se confererent. Roma in hanc Provinciam Mediolanum missus ad eius Seminarij instituendi fundamenta, doctrinæ, & sanctionibus Societatis omnem illustravit. deinde nonnulla in rerum varietate decursio civiter excelso Romam reparijt: ubique aliquot menses annos Laureti. Loreto vix sus Ianuam vicesse, qua ille in Civitate cum multi ad eum consilij causa concurrerent, tanta frequentia fatigatus, studio valitudinis sese, quasi mortem sibi praesagiret, immunere, in hanc sedem, quasi ex alto in portum se recepit. His quod sibi vitae superesset, statuit in illustrandis pagis, rudibus Christianam doctrinam docendis, confessionibus audiendis insumere. abstinuitq. ex eo tempore, suggestu, & concione, simplici rusticorum turbae delectatus, quas per vicos, & castella, in templis male sartis, ex agresti sella, sermone rudi ad pietatem edocebat: pueros, adultosq. Christianae vitae rudimentis imbuebat; eorum etiam confessiones

excipiebat; cum tamen in Aromensi templo ordinarius, assiduusq. confessionum esset auditor. Ad eam iam pervenerat aetatem, quam si annorum speciem numerum, extremam dixeris: sin corporis vigorem, integritatem virium, firmamq. valetudinem, vix dum ingressus primam senectutem crederes. nihil sibi peculiare, nullum obsequium, nullum auxilium impendi velle, quae ad corporis, cubiculive cultum pertinent, omnia per se obire, aliorum vero delatam operam cum gratiae significatione recusare; quod pedes, manusq. commodè sibi obsequentes esse diceret. Mandare litteris quaedam instituerat ex sacris litteris in Alphabeticum indicem digesta; cum eum duplex oppressit tertiana, ex qua cum aliquando leuari visus esset, eadem rursus ingrauescens, post quartum mensem in quartanam senibus letalem conuersa, quinto demum mense hominem extinxit. In ipso morbo liuor grauis aestu febrium conflictaretur; nunquam tamen omisit solennes, quotidianasq. preces persoluere, Missae sacrificium offerre, donec praesidum auctoritate abstinere iussus est. Missae sacrificio prohibitus incredibile dictu est, quantopere diuinae rei interesse cuperet: vt ipso Christi Domini natali die, qui sextus fuit ante eius obitum, enixe contenderit, vt audiendi sacri caussa in templum deferretur. Sed his omnibus frustratus votis, vno se illo solatio sustentabat, quam posset frequentissime Dominici corporis cibo recreari. quem tamen nunquàm nisi semel, & tum quidem victus precibus e lecto sumpsit: quin tertio ante obitum die, cum ad eum deferretur, e lecto desiliit, diuinam Christi praesentium reueritus. Persaepe, & magno cum sensu voluptatis de interitu suo loquebatur: protestabaturq.

turq. subinde se perlibenter mori. omnibus denique munitus Sacramentis III. cal. Ianuar. e vita emigrauit, aetatis suae anno septuagesimo quinto. Ferunt obitum suum ante praedixisse; quod ei sedisendum P. Ignatius obiecisset. Sed nihil praeterea exprimi ab ipso potuisse, cum tamen sub ipsum obitum, secundum nomen Iesu, quod subinde inuocabat, quaedam alia submurmuraret, quae expresse intelligi non possent. Compositis igitur in crucem brachijs, fixis in signum crucifixi oculis, placidissime spiritum extremum exhalauit. eius funus magno concursu ciuitatis, & pia quadam reuerentia celebratum est. Sed iam ad eorum, qui viuunt labores veniamus. Multarum pudicitiae consultum est, & nuptarum & nubilium. hae periculo prohibitae, illae ex incendio extractae. Curatum praeterea ne Bacchanalium diebus (noua omnino res, & admirabilis) virgines choreis, & saltationibus interfint. &, cum mercede conducti cythoristae puellas inuitarent, aut nullae assensere, aut perpaucae. itaque arte, industriaq. frigente, risui veteris ludibrioq. fuere: quare magna ex parte licentiae, lasciuiaeq. pennae sunt recisae. odiorum flammae in multorum animis restinctae: & conglutinata pax: inter duos praecipue viros primarios: quorum vterque se ab altero offensum querebatur. Factum est igitur, vt quod fuit difficilius, is, qui offensam accepisset grauiorem, alterum vtro ipse reuenire de pace compellaret; constantiaq. euinceret; vt ille aduersarij Christianum admiratus animum, tandem flecteretur: magnoq. vtriusq. familiae bono, & amicorum laetitia vterque in gratiam rediret. In propinquo vico rusticus nobilem virum insigni contumelia affecerat.

erat id tum per se graue, & plenum iracundiae, tum multo grauius, odiosusq. ob indignitatem hominis, à quo iniuria profecta erat. itaque nihil erat viro nobili deliberatius, quam vt illam iniuriam vlcisceretur. quod sine magno alterius, aut vtriusque detrimento esse non poterat. id ne fieret, e nostris vnus obstinatum viri nobilis animum persuasionibus, precibus, obtestationibusq. per diuinum amorem tandem perpulit, vt omnem rustico homini iniuriam remitteret. Tres sunt hic sodalitates, discipulorum vna, altera virorum, vtrique seruus additus: tertia piscatorum paene dilapsa, hoc anno magno cum ipsorum bono restituta frequentatur. sentiunt enim multo sibi esse vtilius, & ad animi salutem, & ad vitae suae statum, festos dies pijs hisce occupationibus traducere, quam per ebrietates & lasciuiam totius hebdomadae luculum, computationibus, alea, voluptatibusq. consumere. Neque nonicij fuere otiosi; vicos, aliaq. loca circumiecta, circumferentes catechismum obierunt. Sed est operae pretium, quando iam venimus ad eos, rem narrare rari omnino exempli, & magna digna admiratione, & cur Deo gratiae agamur immortales. Adolescens nobilis erat à nobis alienior: quod sollicitus pater eo consilio ad hanc vrbem miserat, & in nostram tradiderat disciplinam, vt non modo in scholis litteris erudiretur, sed etiam diebus festis in congregatione cum alijs ad pietatem informaretur. ita nullum ei, aut perexiguum ad liberè vagandum tempus superabat. Erat adolescenti assiduitas illa permolesta: domestica tamen disciplina probe institutus; ingenuo gentis pudore, & paterna vitius reuerentia sibi ipse imperabat, vt volens nolens nobiscum versaretur. Is ipso Pentecostes die

in

in altum plane mutatus, coepit eam, quam antea grauem putabat, amare disciplinam: conuersisq. cogitationibus, eorum quos vitabat consuetudinem requirere: sensim demum, diuino spiritu animum ciente, religionis nostrae subit cogitatio. qui, cum ereuisset igniculus in flammam, voti tandem compos factus est. Pater, re cognita, & si initio inexpectato nuncio perculsus est, quod illud vnicum suae familiae germen haberet; tamen qua erat, & pietate, & prudentia diuinae contra ire voluntati non est ausus. sed cum sapiens filij factum, & vitae suae statum attentius vexaret animo; sensit se quoque ad pulchram filij imitationem inuitari. Erat is Iuretos. magna apud suos ciues existimatione: & forte aliquanto ante coniuge orbatus: filiam, quam vnicam habebat, honesto matrimonio coniunxerat. re igitur apud animum suum deliberata, diligenterq. etiam atque etiam perpensa, statuit se quoque vna cum rebus suis omnibus Societati addicere. Sacris igitur initiatus ipso Pentecostes die, qui dies prior anno filio initium diuinae lucis fuerat, primum caeleste obtulit sacrificium: eoq. die nobiscum vna cibum sumpsit. cum inter mensam filium audiret de Sacerdotij dignitate declamantem. & nunc vterque Dei beneficio in eadem familia, eadem disciplina ad religionem, & pietatem informatur.

COLLEGIVM Vercellense.

AVCTVS est numerus nostrorum in Vercellensi Collegio, quandecim fuerunt: sex Sacerdotes,

cerdotes, Magistri puerorum duo, reliqui coadiutores. Scholae nobilitate, & numero celebrantur. Duos inter primarios ciues nostrorum opera sublata simultas est, quam viri graues aliquot tollere conati, non potuerant. Vir primae nobilitatis rem nostram aureis bis mille, & quingentis fecit auctiorem. Reliqua visitata, quae licet non ponantur, nemini tamen ignota esse possunt.

COLLEGIVM Taurinense.

IN Collegio Taurinensi laboratum est rei familiaris angustia. sed incommodum bona omnium valetudine compensatum est. duo tantum leui tentati morbo, vnus paullo difficiliore conflictatus: sed caeli mutandi causa huc Mediolano missus. Admissi in Societatem duo: multis, qui id optabant, exclusis: quod non omnibus fieri possit satis. Auctum est templum nouo sacrario, & sacello mille aureorum impensa: celebratur à prima nobilitate. Eius hi fructus fuere. lites multae diremptae, inimicitiae sublatae, contractus iniusti rescissi, foenebris pecunia redhibita, multorum libidines repressae. Virgines aliquot adiutae, collectisq. eleemosinis, honesto matrimonio coniunctae: vna praesenti periculo, eoq. maiore, quod specie pietatis tegebatur, in tempore erepta. Miles Dei in primis amans, diligensq. cultor pietatis, iampridem in nostro templo Sacramenta frequentat. hic ab altero eiusdem ordinis iuuene, sed vt apparet homine petulante, & insano, qua causa ignoratur, saepius ad certamen prouocatus, cum causam se cum illo habere

habere nullam sciret; prudenter, constanterq. integra tamen dignitate militari, insaniam hominis repudiauit. quin etiam veterana quadam auctoritate vesano homini suadere instituit, ab ea mente vt desisteret; seq. conuerteret ad meliora. sed homini surdo fabulam narrauit. nam furiosus ille ita instanter in eum irruit, districto gladio, vt nisi hic se defenderet ab inimico transfoderetur. Pius miles, idemq. generosus, & strenuus, cum alia ratione suae incolumitati consulere non posset, stricto gladio librate, & ex arte vibrato, furentis ferociam repressit: mox impetu facto in aduersum gladium ei extrahit e manu: afflictumq. ad terram, genu pectori impresso, pugioneq. iugulo admoto, minatur se confossurum, nisi Dei arceatur reuerentia. Iniecit illi daemon in mentem, vt testem suae victoriae leue aliquod vulnus homini imponeret: sed ne hac quidem macula voluit tam Christiani facinoris pulchritudinem fedare. monet interim tamen hominem suam ipse stultitiam agnoscat, diuinam in se animaduersionem exhorrescat: quod viuus ex eo certamine euadat, id ipsum Deo in primis, quem super omnia vereri debeat, & suae moderationi referat acceptum. adiecit etiam, vt de confessione facienda peccatorum, quam ille aliquot annos omiserat, saltem agendarum Deo gratiarum caussa consilium iniret. Tam longa inter damnum accepti dedecoris, & mortem in oculis versantem, ab armato aduersario, & victore adhortatio afflicto homini molesta esse non debuit: opportunior certe fuit, quam vt in tali esset occasione expectandum. sed pudenti, & moderato victori magno stetit clementia sua. nam dum prostrato aduersario ad officium hortando tempus terit; eiq. parcit: non par-

sit

sit ille conseruatori suo: sed pudore amissae dignitatis efferatus, mordicus illi dexteram apprehendit. &, vt erat veneno rabido incensus, vulnus tanta illi inflixit acerbitate, vt longa curatione, postea opus fuerit, prorsus vt in periculum venerit amittendae dexterae. nequaquam tamen veterani hoc dolore irritatus, durius quidquam in eum consuluit: tantum quaestus est, quod se amicum hominem, & cui vitam ipsam deberet, nimium tractasset inhumaniter. ita male ab ipso multatus ab se dimisit exarmatum, cassam contumaciam, & inanem ferociam deplorantem. Non cessauit interim dum curaretur, eum à quo laesus esset per internuncios ad peccatorum confessionem, atque ad gratiae reconciliationem inuitare. quibus ille victus officijs caritatis, & praesentis suo malo doctus, tandem acquieuit: supplexq. & cum lacrymis veniam petijt; melioraq. de se in posterum promisit. Scholae bene frequentem, & lectam habent iuuentutem, eq. prima nobilitate. Drama dederunt ineunte anno Magorum aduentum ad Christi incunabula, magna ciuium ac totius nobilitatis frequentia: in primis verò Serenissimi Ducis praesentia nobilitatum, qui vt nihil ad omnem excellentiam desiderari posset, praeter insignem apparatum ipsius dignum maiestate, voluit etiam ex Principibus filijs tres, & in ijs natu maximum annorum vndecim partes agere. qui vt Regali prosapia geniti, magnorum Regum soboles, regiè educati, ea elegantia, & spirituum viuacitate egerunt vt magnitudine indolis aetatis captum superarint. Ad scholas item pertinent sodalicia Virgini dicata, è quibus cum alterum à R. P. Generali Romanae primariae Congregationi esset aggregatum quo die pri-

primum diploma publice propositum est, multiplici versu, emblematoq. diem illum celebrarunt: vt non parietes modo Sacelli, sed atrium quoque Gymnasij varijs carminibus, multiplicique pictura ornarentur. quae res sua nouitate, & copia vniuersam paene ad spectaculum pertraxit ciuitatem, & illo die sodales omnes ad diuinam Christi mensam accesserunt. Ipsum autem sodalicium vestendo peristromate ornatius, & sacra suppellectili sacrum est auctius. Haec in vrbe. Groliascum opidum est Taurinis distans passuum tribus millibus, in eo per Quadragesimam Dominicis diebus ex hoc Collegio concones habuit Sacerdos vnus magna multorum vtilitate. nam hebdomada maiore tantus eorum numerus nostro Sacerdoti confiteri voluerunt, vt necesse habuerit dies cum noctibus coniungere: multae alieni aeris restitutiones factae sunt, multorum coercitae libidines: auctae, & amplificatae sodalitates nonnullae: noua tum virorum, tum feminarum ad catechismi scholam conseruandam instituta: animorum reconciliationes factae permultae. insignes fuere tres. Fratres germani duo, viri militares, dissidebant inter se. hi audita concione de Passione Domini, positis odijs, templo in templo in mutuos amplexus, & oscula venere; temploq. egressi inuicem se ad mensam inuitarunt: in qua mutuis obsequijs alter alterum vincere studebat. Horum exemplo eodem die reconciliati duo alij, alter centurio, vexillifer alter, virtutque autem vir primarius. Ingentis toti opido pacis initium hae duae reconciliationes fuere. nam secundum hosce, reliqui omnes, qui cum aliquo simultatem habebant, horum exemplo cum aduersarijs in gratiam redire contenderunt. reconciliata

liata vulgarium dissidia tertia paullo nobilior pacificatio sequuta. duo restabant viri locupletes; qui neque sua sponte animum inflectere, nec de pacificatione interpellati, quidquam de contumaci odio remittere statuerant. nihil intentatum noster Sacerdos reliquit, vt illos ad concordiam reduceret. q̃ quidem eo die in sua obstinata peristitere contumacia: postridie vero, & hi sanis consilijs se obtemperantes praebuere: summaq. cum totius opidi gratulatione palam in templo reconciliati. tantaq. fuit illorum dierum publica laetitia; vt passim faterentur omnes, nunquam ipsorum memoria, tanta cum pace, communiq. gaudio Pascha in opido illo esse celebratum. Denique quotidianis per hebdomadam sacram adhortationibus, & supplicationibus habitis, vix dici potest, quantum populi pietas, ac religio sit aucta. quam ad extremum cumulauit repetita ad Sacellum Montis Regalis peregrinatio.

MISSIONES IN VALLES Pedemontanas.

IN eo Alpium tractu, qui citeriorem Galliam ab vlteriore dirimit, inter montium altitudines pagi sunt opidis, vicisq. referti; quae valles Redemontis seu Pedemontanae vulgo nominantur. hae ad Serenissimi Sabaudiae Ducis ditionem pertinent. in eas multis iam annis ex vlteriore Galliae haeresis infusa, una cum Caluiniana impietate, ab insita diabolico dogmati malitia, nouae religionis nomine, retinendi Euangelij, Euangelicaeq. libertatis specie, venenum quoque seditionis, ac re-

bellionis

bellionis induxit: itaque eos populos non modo à fide catholica, sed etiam à sui Ducis imperio subtraxit. Hos superiore anno Sabaudiae Dux bello domitos in potestatem redegit. Vitii defectionis veniam ea lege impetrarunt, ut catholica religio ubique restitueretur. Hoc Ducis studio cognito, Iulius Caesar Ricardus Archiepiscopus Bariensis, qui in Sabaudia Nuntij Apostolici munere fungitur, haud aspernandam occasionem rati, Summum Pontificem de statu illorum tractuum, & Ducis voluntate certiorem facit, magnam se offerre opportunitatem rei bene gerendae: si aliquot è Societate viri docti eò proficiscantur, qui nascentem in dies latius Caluinianam pestem reprimant, & labentem, aut iam paene collapsam rem catholicam restituant. Probauit Summus Pontifex consilium, oblatq. in eam expeditionem postulauit. missi nostrorum paucitate non plus sex; & cum ijs aliquot e Franciscana familia Capucini. Eorum aduentu, aliqua tandem ijs locis serenitas affulsit, & dies catholicis, qui reliqui erant, illuxere clariores. Magna statim factarum mutatio rerum, qui antea ab haereticis premerentur, hoc accepto subsidio doctorum virorum, facti alacriores, animos erigerent. Nostri quatuor illinc orti tres, tres partiti inter se prouincias obiuerunt; Vallem Lucernam, Vallem Suranam, Carabrum, & Valgranam. Haec pagorum nomina.

MISSIO IN VALLEM Lucernam.

LVCERNA vallis ab opido ne cognomine, an à fluuio nomen sortita, in ea est Alpium

perire, qui Delphinatum attingant. Multi in ea catholici supersunt adhuc. Hi illi ad dexteram ab opido Lucerna in meridiem euntibus Angroniae vallis tota planè haeresibus corrupta, estq. prima haereseon sedes iam inde ab eo tempore, quo pestis haec in Alpes penetrauit: sed in Lucernam missi Sacerdotes duo concionibus, hortationibus, audiendis confessionibus, quotidiano Missae sacrificio, solemnibus q. supplicationibus catholicos non modo in auita religione confirmarunt, sed ad maiorem quoque pietatis cultum assumendum excitarunt. Sed prima omnium cura fuit catechismi. Pueri tum vbique in locis, tum praecipue in opido Lucerna diligenter Doctrina Christiana instituti. Quotidie sub vesperam puerorum agmina pias eorum rudimentorum cantiones concinentium vexillo praeeunte ducuntur ad templum: decantantur pro conuersione haereticorum litaniae; litanias breuis excipit hortatio ad opidanorum multitudinem, puerorum excitam pietate. Matutino tempore, diuina re peratis, iubet Sacerdos vnumquemque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam ad exterminandas haereses ex ijs finibus, religionemq. augendam pronunciare. Haec quotidiana, & vsitata. In conciunibus aliquanto plus est operae. nam nec quotidianae esse possunt, nec, praeter paucos catholicos, facile est è rebellibus aliquem adducere. Inuitarunt quidem haereticos ad concionem: sed seuera ministrorum comminatione prohibentur. quippe impostores nequissimi, male sibi conscij, & sua imperitia diffisi, quod doctrinae constantia non possunt, seueritate, & impudentia auctoritatem, & imperium in suos nituntur retinere. itaque caeci ipsi, vt alios ijsdem tenebris contineant, ad

lucem

lucem intuendam miseros accedere non sinunt. Nostri hoc consilio frustrati, rem aliam adorti sunt. Adeunt ipsi haereticorum conciones; fraudesq. ipsorum, impostura sq. redarguunt; prava dogmata confutant; & quatiescunque se se dat occasio, tum priuatim, tum publicè illorum agitatur inconstantia. Eorum alter tribus cum ministris congressus ita luculentis sacrae scripturae testimonijs (cuius vnius auctoritatem illi recipiunt) ostendit extra Romanam Ecclesiam salutem consequi neminem posse; vt conuicti obmutuerint; confusiq. discesserint. Aliquando ab inuitis voces veritatis testes expresserunt. quendam enim, & quidem obstinatae vesaniae ministrum eò redegerunt, vt in magno suorum conuentu fateretur; iam inde ab Apostolis in Ecclesia Romana continuari Pontificum successionem. vtinam hic verae lucis radius obtrusus inuito, mentis oculos ad maiorem, clariorem q. lucem intuendam recludat. nae ille si hoc teneat, nec obstinata caecitate ab se lucem auertat, iniectus erit is homini scrupulus; vt sperandum sit, eum à Regno Dei non abesse. Alius hebetior & obstinatior: qui rogatus, quo sacrae scripturae testimonio asseueret duo esse tantum sacramenta, haesit attonitus: atque vniuerso grege haereticorum audiente, verum hominem se doctiorem, quem nominauit, consulendum esse respondit, is autem eius pater est, idem & fidei, & claustralis religionis desertor. his praeclaris auctoribus illorum stat doctrina. Sed nihil est quod magis sceleratos impostores cruciet, quam cum Geneuensis catechismi manifesta mendacia, repugnantiaeq. redarguuntur. ita miseri maiore dolore suis ipsorum armis iugulantur: atque hac ratione facilius, quam subtili argumenta-

tione ingenia crassa cognoscuntur, ita fit, vt nonnulli ministrorum suorum perspecta lenitate, incipiant iam de illorum doctrina dubitare. Quadraginta circiter homines adulti ab eis ad Ecclesiam Catholicam se receperunt: vt difficilia sunt arduarum rerum initia, numero non contemnendo. Est enim incredibile quae machinae à turba ministrorum, ad nostros impediendos conatus adhibeantur. Ii vero, nona perspecta luce, palam profitentur, se nunc demum quieto esse animo: nempe pascua salubrioris doctrinae degustarunt. In eis matrona, cuius ante paucos annos vir Caluiniani dogmatis magister fuerat, hanc lucem veritatis est intuita. & vt antea inter Caluinistas prudentiae, ac probitatis laude magna existimatione fuit; sic nunc vera pietate, & sacramentorum frequentatione nulla catholicarum feminarum est inferior; magno haereticorum dolore, & inuidia: vt cum ei aliquando opprobratum esset, quod à reformata (ita ipsi loquuntur) veterem ad religionem transisset; respondit dolori sibi esse non id ante fecisse. Ministri interim disputationibus profligati; ipsorum versutia detecta, & confutata imperitia, audacia pro sapientia vrgentur. In concionibus, & circulis nos conuicijs proscindunt: coram etiam asperè, contumelioseq. appellant: eorumq. exemplo sermoneq. plebs exasperata, non probris modo, & execrationibus, sed vt est Caluiniana religio furiosa, plagis etiam, & lapidibus in nos coorta egit saepius in fugam. Nam cum vetusta catholicorum templa Serenissimi Principis iussu nostri repetetent: mulieres ipsae incitatae procella eos lapidum auertere conatae sunt. Enimuero insana res, & furiosa muliebre praelium aduersus duos imbelles

belles Sacerdotes, doctrina tantum & litteris armatos. sed licet rabiosè viderentur furere, non tamen fuere tam Amazones, nostrorum vt irritos redderent conatus. nec tamen ex ea pugna nostri immunes discesserunt. nam licet saxa muliebri librata manu ictus haberent imbecillos, eorum alter non leuiter in crure ictus laesus est. vir catholicus in ea turba, qui patribus sese comitem adiunxerat, parum comiter coniectu lapidis in caput salutatus, praelio saucius excessit. Hactenus muliebria certamina. illa duriora. arma obiecta. hastae, sclopi saepius à viris intentati. nostri sapientes loco cedere. id tamen semper maturè facere non licuit. Certamen cum ministro susceperat è nostris vnus; eiusq. in concione errata confutabat. hic miser contorquere sese, discruciari, vt quae palam docuerat, tueretur. sed cum cuncta, quae diceret, redarguerentur, quo magis laqueos vitare nitebatur, eo se arctius in eos induebat; nec quidquam impiger aduersarius de ingenij subtilitate remittebat. miser, qui aduersus tantam ingenij vim, ne in bona quidem causa stare posset in acie, quid faceret in mala? non illi doctrina, non ingenij acumen suppetebat, vt se ex ea difficultate expediret. ergo quasi Gordij nodum soluturus rem excogitat ingeniosam. ad sibi nota confugit ebrietatis argumenta. circunfusam multitudinem verbis atrocibus in nostrum incitat. illi rustico furore incitati concionatoris sui dedecus praeclare vindicant. calcibus, ac pugnis nostrum circumsistunt, pulsant, impellunt, lacerant, ingerunt iurgia, conuitiaq. non tamen vltra scipionem saeuitum est, cuius ictu grauiter vulneratus, diebus aliquot capiti medicinam fecit. aegre tandem ex eorum manibus, lumbos egregie dolatus,

elabitur. minister suo sapienti commento victor triumphauit. Enimuero parum ciuile factum, & plusquam censoria animaduersione dignum visum est. Missus igitur Ducis iussu Senator cum summa potestate, primum acutum illum ministrum seditiosum disputatorem statim in exilium eiecit, deinde in delinquentes ceteros coepit inquirere: vt eos dignis supplicijs afficeret. Ministri interea, quod rem agi serio viderent, consilia coquebant inter se: quae quo sint eruptura, post videbimus. Speramus tamen, si quid moliantur, eos contra stimulum calcitraturos; & meliori causae diuinum numen fauturum.

MISSIO IN VALLEM Scuranam.

SCVRANA vallis Gallicae olim ditionis: sed vna cum Salustijs in potestatem Ducis Sabaudiae venit. ab oriente Pedemontem spectat. ab occidente Prouinciam. tenditur in longitudinem uiginti milliarijs, in latitudinē, qua maxime mille; qua minime, quingentos passus aperitur. eius diuiditur longitudo fluuio, à quo vallis nomen habet. qui eam & irrigatione fertilem, & flexuum varietate reddit peramenam. regio tota vicis, ac villis modico spatio inter se dissitis admodum frequens. vtrinq. celsa montium iuga, sed maxime feraecia se tollunt. Raccellonetam vsque pertinet, qui locus est in confinio Prouinciae: estq. vna ex tribus vijs, per quas intratur ex Gallia in Pedemontem. tota vniuersa in dioeceſi Taurinensis Archiepiscopatus. sed quam ipsos quadraginta annos Episcopus nullus perspiciendi

ejendi causſa adiuit. quod in haereticis Dynaſtae, ditione eſſet, & parum tuta religionis maieſtas inter haereſes. epida habet principua dua, haeraſibus maxime infecta. Demontium totius orae caput & Fuſionam nulla alia re, niſi haereſeon colluuione nobilem. Fuit enim iam multis annis omnis impietatis receptaculum, quam diabulus iampridem nidum ſibi delegit. omnis prauitatis. in ea olim perfida quaedam venefi corum ſecta conſedit, quos Gazaeos nominarunt, ab uſq. Fuſionenſes quoque infami namine Gazaci dicti ſunt. Huc poſt Gazaeos haeretici Valdenſes penetrarunt. hos adhuc patrio ſermone Vandes nominant. Valdenſes ignota barbararum, ſed ea quoque praua, & perueſſa haereticorum ſecta ſequuta eadem haec labula petiit. Hi omnes poſtmodum effuſo primum Lutheraniſmo, poſtea Caluiniſmo, vt venena minora maioribus uincuntur, in vnam multarum haereſeon colluuionem conuenere: monſtroſaq; ex multarum pecudum membris chimaera vna facta eſt. ad extremum poſt tam ſedam metamorphoſim, eam quam reformatam, ſi diuis placet, religionem vocant, tenuere. magnumq. ſibi circa finitima loca religionis, & doctrinae nomen comparurunt. ita opidum per ſe obſcurum, malarum exundationc ſectarum, per omnes montanos tractus ad infamem nominis venit claritudinem: vt apoſtatae omnes Fuſionam in has montium latebras, tanquam ad aſylum confugerent. huc etiam execrandae haereticorum caenae, & concionum cauſſa, ex circumiectis locis frequentes conuenirent, quod magnum eſſet horum miniſtrorum nomen, aſſetq. in his montibus Fuſſiona altera Geneua. incredibile dictu eſt, quam infanda piacula committerentur.

terentur. & quid mirum in tam occultis latebris, tam remotis à potestate magistratuum, in tanta sacrilegarum sectarum confusione, summa proposita impunitate, omnia quae cuilibet in mentem venirent, scelera committi? Non ita multo ante, malos dies clauserat Sacerdos annorum prope centum, qui catholicus ne fuerit, an hæreticus, nihil ad rem. Sexaginta tamen annos, aut eo plures curionem egerat in eo tractu; tam ampla potestate, vt Fustionensium Papa diceretur: sed maiore adhuc, quam Papa potestate vtebatur: omnes cuiuscunque diœcesis essent, quocunque scelere, aut etiam Ecclesiastica censura tenerentur, absoluebat: corrigendae vitae compensandi damna tum illatae fraudis, tum violatae existimationis officium suscipiebat. matrimonio affines, & cognatos quocunq. gradu coniungebat: legitime coniunctos, orto inter eos dissidio seiungebat, cum alterum ostio uno, alterum ostio altero, nouo omnino cerimonia, & Pontificalibus libris ignota dimitteret. homo hæreticis quamuis à Papa alienis, in primis carus. eorum cadauera in cœmeterio catholicorum sepelivi permittebat. illis denique in rebus omnibus obsequebatur. Hic erat rerum status in Sturana. religionis arx, & Theologicae doctrinae sedes haec Fustiona. infanda scelera, nulla pietas, cultus nullus, summa Dei oblivio: catholici non multi, catholicaeq. religionis tantum obscura vestigia. Ad hanc praeterea illud etiam accedebat incommodi. incolarum ingenia mobilia, eadem dura & agrestia. montani homines, & ipsa montium altitudine à commercio, consuetudineque, atque ab humanitate, communiq. more alieni. in vtranque partem bonam, malamue quocunque trahuntur, perfatiles.

Huc

Nondum ceterae adornantur Missiones, antequam plane de tota re statueretur, missi Sacerdotes duo. Maturandae verò profectionis, & totius rei praecipitandae illa caussa fuit. Gentis Praetor, qui Demontij residet, vir egregie pius, crebris vrgebat litteris, vt quamprimum aliqui eo mitterentur: haereticos illius oras ad catholicam fidem inclinare: facili momento impelli posse: & iam multos fidem dediße, redituros ad Ecclesiam, si sint, qui se doceant: non esse occasionem differendam: quae se opportunam, Quadragesima ineunte, ostendebat. missus eo P. Rector Taurinensis, Sacerdote vno comite. eorum aduentum odorati haeretici primarij, rumorem spargunt in vulgus, Inquisitorem aduentare: quo nihil odiosius apud haereticos, ita quo die Patres Demontium venerunt, haeretici omnes Factionam ad conuentus paragendos conueniunt. agunt de re communi: statuuntq. de ea, quam tenerent religione, nihil innouare. ad id iureiurando se obstringunt omnes, haereticigenae, additis praesertim pertinacioribus vinis, facilioru studia nō modo retardata, sed metu etiā reuocata, abductaq. à consilio iam ante inito. itaque quod inuito Praetori visum erat facillimum, diabolico astu ad Patrum aduentum compertum est esse difficillimum. Patres nihilominus blandè cum ijs agere: in eorum se cetus inferere, singulorum domos adire: alios in publico aggredi, singulos alloqui, hortari: persistunt illi in sua contumacia, timore satraparum. Praetor contra grauiter vrgere, seuere datam fidem exigere: metu metum discutere. quippe didicerat experientia apud montanos homines rusticos, & hebetes, validiora esse argumenta, quae metus incuteret, quam quae subtilis ratio suaderet. quippe qui non nisi

plagis

plagis excitati sapiunt. Inter haec dubijs adhuc inter utrumque metum animis Dux ex peregrinatione, quam ad Montem Regalem obiuerat, remeabat. Ex itinere Sturnam vallem inuisit. adeunt ad illum haereticorum primarij: ac reliquorum nomine legationem obeunt. Narrant ante annos septem ea se conditione in fidem venisse: vt integrum esset, quam quisque vellet, religionem sequi: nunc se metu adigi ad Romanam. postulant vt data fides praestetur. Dux bono eos animo esse iubet: ad nullam rem ipsos adactum iri, quae non ad eorum pertineat salutem: Ambiguum responsum homines non acutissimi ex suo sensu interpretati, laeti discedunt: rem sibi in tuto esse persuasi. sed post Ducis discessum, quae vera esset illius sententia edocti à Praetore, primo tergiuersari; post audaciam remittere; ad extremum manus dare. ita viginti dierum spatio Demonij centum & decem, Fustionae octoginta, priuatim primum, post etiam publice in Ecclesia haeresim abiurarunt. atque hi tam laeto animo catholicam fidem amplexi sunt: vt certatim è circumiectis montibus homines sibi notos quaererent, atque ad Patres haeresis abiurandae, & catholicae fidei imbibendae caussa adducerent. & fuit, qui ex ijs sexaginta homines vnus deduceret. hi omnes magno Patrum labore instructi, Ecclesiae aggregati, & sacramento poenitentiae expiati. Excurrere Patres eiusdem vallis opida alias & concionibus, alijsq; Societatis ministerijs catholicos confirmarunt: haereticos quatuor, qui inter catholicos viuebant, ad Ecclesiam reduxerunt. Incunte mensa Maio, quod diutius Rectori abesse à Collegio non liceret, rediere. Interim Missionum consilium iam maturuerat. Profecti in vallem

Stu-

Sturanam Sacerdotes duo. Fustionae, loco haeresibus omnium contaminatissimo, consedere: vt eam maleficiorum omnium sentinam perpurgarent. & quod residuum esset impietatis exhaurirent. Sed prouinciam multo difficiliorem inuenerunt, quam initio sibi persuaserant. Nam post discessum Taurinensium, qui sese ad fidem catholicam adiunxerant, ab insita animo leuitate, & mentis stupore, ad priora rediere. neque vllius vnquam rei tam se paenitere affirmabant, quam quod in Romanae fidem Ecclesiae nomen dedissent. &, vt fieri solet in conuentu agrestium, & plebeiorum, qui ferocius loquebantur, sapientiores; qui se stultius iactabant, fortiores habebantur. Eorum vnus rosarium, quod à Patribus acceperat, ad terram allisit, pedibus protriuit. ita nouis Sacerdotibus labor duplicatus: vt vtrique, & qui persuasi aliquando fuerant, & qui in sua peruicacia perstiterant essent reuocandi. Neutri igitur ijs aures dabant, ab omnibus repudiabantur: diris deuouebantur: quemcunque adirent, fores occludebantur. ipsi sacra, diuinaq. mysteria, sacraeq. cerimoniae irridebantur. millies se mortem obituros incolae protestabantur, quam vt Missae interessent sacrificio. Denique, aduersus duos inermes Sacerdotes, nulla potestate armatos, in quibus nihil formidandum esse cernerent, ferociores in dies cooriebantur. & quasi mortalium omnium fortissimi, quam quisque poterat superbissime, contumeliosissimeq. loquebatur. vix catholici perpauci continebantur in officio. sed iuuit ad sanam ijs mentem inserendam, eadem doctrina, qua paucos ante menses Demontianus Praetor illorum animos perculerat: metus nempe incussus potestatis. ita rusticum pecus edocetur, adiguntur

melius

melius initio: post, edocti veritatem, continentur. Archiepiscopus Taurinensis per id tempus suam obibat dioecesim. inter has difficultates huc se contulit. Demontium venit. edicit ut haretici omnes, & qui in haeresim relapsi essent, ad suum sistant se tribunal: exilio, & bonorum proscriptione proposita ijs, qui parere neglexissent: accitis etiã aliquibus per viatorem: eorum tamen nullum asperius compellat tantum paterna benevolentia, ad catholicam amplectendam, retinendamq. fidem adhortatus. & Demontij quidem facile transactum est. omnes enim praeter duos, Simonem & Lauram ad Ecclesiae Catholicae sinum confugere. hi duo quod Caluiniani catechismi stultitias optime, tenerent, vsq. catholicam religionem apud imperitam agrestium plebeculam gloriosissime oppugnarent, sapientissimi sibi esse videbantur. quare ne, in Romanam fidem consentirent, clam cesserant ex opido: latueruntq. aliquandiu. sed cum in eos Archiepiscopus esset sententiam laturus, eorum amici triduum interponi postularunt, tantisper dum adessent ipsi: affuerunt tandem: abiurataq. Caluiniana perfidia, catholicam religionem susceperunt. Inde itum Fustionam: eademq. proposita edicta, tum spiritus illi, quamdiu metus abfuit, feroces, praesenti metu pauidi elanguerunt; positaq. contumacia se praebuerunt obsequentes. quin nostros, in quos antea omnia inhumanitatis, & asperitatis genera exercuerant, supplices tum adiere: demisse orarunt, vt sui patrocinium susciperent: saltem ne se apud Archiepiscopum criminarentur, si minus defendere liberet: omnes igitur, qui proxime defciuerant, ad catholicam fidem rediere, tribus exceptis, quibus satius fuit solum vertere, quam pravitatem.

tatem. His paenitentiae nomine à Praesule illud tantum iniunctum, ter vt in anno, in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini ad sacramenta accederent. In his quoque instituendis nostrorum labor impensus. Et quonam Archiepiscopus, quos ad fidem reuocauerat, caelesti voluit pane reficere, & Confirmationis sacramento communire: eorum etiam excipiendis confessionibus insudatum. triginta supra centum ij fuere. Ac ne rursus religio Neophytis esset contemptui, solitaq. leuitate mutaretur, Antistes in discessu, dato diplomate, nostris potestatem fecit constituendi commissarium, quem vellent, qui nouas contineret in officio, ac si quis interim in defectionis suspitionem incideret, in eum clam inquireret; & de ijs, quae comperta essent, Archiepiscopum per litteras certiorem faceret; ac si opus esset, vinctum Taurinum transmitteret. idque nostros voluit denunciare concioni. his munimentis armata grauior erit auctoritas, quae prius inermis apud imperitos nulla erat. Nostri adhuc ijsdem in locis persistebant; catholicosq. tum veteres, tum nouos concionibus, catecheſibus, familiaribusq. sermonibus instruebant, confirmabantq. duas instituere sodalitates, Rosarij vnam, disciplinantium alteram. quae res ad imperitos in fide, pietateq. retinendos, multum valet. & quoniam ad vexilla comparanda deerat pecunia, & collaticia à tenuibus hominibus non facile comparabatur, nostri ex attributo sibi commeatu tantum detraxerunt, quantum ad eum sumptum opus fuit, nequa mora optimo consilio interponeretur. Eo comparato ad vetustos reuocandos catholicae religionis ritus, supplicationes aliquot ad circumiecta oppido sacella habuerunt. Iidem operam dederunt,

vt

vt quo die, anniuersario ritu, Eucharistiae sacra celebrantur, pompa, qua augustissimum Christi Corpus circumfertur, quam maximo apparatu, cerimoniaq. pro loci copia, & hominum facultate traduceretur. id quod factum est magna veterum catholicorum voluptate, & aduenarum haereticorum dolore. Neque in catholica religione excolenda doctrina, & institutionibus tantum nostri homines inuigilarunt, sed alia quoque industria, eandem augere studuerunt. Decciderat ex arbore homo inops, & catholicus: eoq. casu crus alterum confregerat. quae res homini quotidiano labore suam familiam alenti magnam attulit calamitatem. nostri miseratione permoti, medico persuaserunt, vt pauperi pro Christi amore gratis manum admoueret. cetera, quae illi opus esset, ipsi ostiatim emendicando compararunt. quae opidani pro sua quisque facultate, vel ipsi haeretici, benigne contulerunt. Iidem cum ad arae frontem ornandam stromate Ecclesia egeret, corrogata pecunia faciendum curarunt. Cum Natalitiae Christi feriae aduentarent, nostri pro concione nouos catholicos de imposita ijs ab Antistite Sacramentorum lege saepius commonuerunt: hortatiq. sunt ad illa quam maxima pietate obeunda. nec defuere ad persuadendum efficacissimae Praetoris minae. Siquidem hoc genus non minus fustuario, quam doctrinae monitis corrigitur. sed diuina bonitate factum est, vt omnes paucis admodum exceptis, obtemperauerint. Speramus sensim, vt est rude genus, & magis abactum imperitia, quam prauitate, veris monitis, salutaribusq. institutis veram imbibituros pietatem. vt quod initio iussi faciunt, paullatim sua sponte sint facturi. siquidem horum exemplo, & nostrorum

strorum adhortationibus catholici antiqui excitati permulti, quod nouum fuit in his locis, ad confessionem, atq. ad sacram mensam accesserunt. Ad totius certe gentis disciplinam, ad teneram aetatem imbuendam, atque ad reprimendam haeresim ne serpat, magnum haec instituta momentum attulere. tartarei certe incendij caminus, qui Fustionae succensus, perniciosas undique pestiferae doctrinae flammas effundebat, nunc iam minus fumat: ac si nondum est plane oppressus, ita tamen est repressus, vt de illo actum iam esse iudicetur. Diuinae bonitati laudes. Cum haec maxime agerentur, eorum Sacerdotum alter Taurinum euocatus, vt ad Indicam expeditionem sese comparet, cumq. nauis conscendendae caussa Ienuam se conferret, ex itinere nouellas hasce plantas peramanter saluauit: multaq. ad eos confirmandos de sua tam longinqua peregrinatione eius fidei propagandae caussa, quam ipsi de nouo sequerentur, disputauit. neque esse inanem eam religionem existimandam, cuius caussa ab homine, quem ipsi virum, & integerrimum experti essent, & non indoctum, tam incommoda, longinqua ac perpetua peregrinatio susciparetur. tanta beneuolentia ab omnibus exceptus est, vt abeuntem etiam cum lacrymis tanquam carissimum parentem prosequerentur. Haec Fustionae.

MISSIO CARALLIENSIS.

CARALLIVM opidum est in vallis Macrae faucibus, Dragonerio distans passuum millibus centum. Locus omnium huius oraе minime deprauatus: sed tamen vicinorum contagione

non

non nihil, vt dedere tempora, communibus gentis vitijs infectus. nam, & haereses, & veneficia, aliaeq. pravitates, quae solent haeresibus comitari, huc se infuderunt. in primis verò, quod vbique passim reperitur, religionis, & Sacramentorum negligentia. Huc missus est Sacerdos cum comite ad catholicorum animos in fide confirmandos, vitiaq. extirpanda, inserendumq. cultum pietatis. vt hoc quasi praesidio firmato gradum faceret in vallem reliquam, partesq. graviùs affectas curandas aggrederetur. concionas diebus festis magno populi conversu celebratae: doctrina christiana quotidie explicata, de ea etiam erecta schola, vt salutare institutum deinceps suo cursu possit progredi. curatum etiam, vt lychnus ardens ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum penderet perpetuo. eiusq. rei causa sodalitas fundata, cui nomen est à Christi Corpore. Persuasum est Parocho, vt singulorum capitum, qui eius curae sunt commissi, Codicem conficiat, quo facilius eos scire possit, qui Christiani hominis desint officia. Habiti ad Sacerdotes sermones de ratione administrandi sacramenta, poenitentiae praesertim, de caussis ad conscientiam spectantibus. Factae reconciliationes animorum maximi momenti. Induas diuisum opidum erat factiones, quae fiebat vt rixae inter eos quotidie orirentur: caedesq. persaepe patrarentur. Data est opera, vt vtriusque factionis Principes in gratiam redirent: vnde toti opido magna secuta est tranquillitas, ac per eam occasionem adducti multi ad confessionem; ad quos contagio dissidiorum pertinebat; ac propterea multis annis sacramentis abstinuerant. Haeretici errorem abiurarunt: alij qui se catholicos profitebantur in animo

haeresim

haereſim fouebant, ſimulationem in veram religionem conuertere. Demum diuino factum beneficio, vt Carallij nulli reliqui iam ſint haeretici; catholiciq. omnes tum antiqui, tum recentes ſtudioſe pietatem colant. ita Natalicia Chriſti Domini magna pietate, & Sacramentorum frequentia ſunt celebrata. Eſt apud eos diſciplinantium, quos vocant, oratorium. ad eos diebus feſtis breues habentur de pietate ſermones. eorum crebro confeſſiones audiuntur. Scholarum quoque diſcipuli, alijq. qui huius rei cauſſa huc ventitant, frequenti confeſſione expiantur. multi ab inueterata peccandi conſuetudine abducti, ſublata adulteria, ſuperſtitiones, magiae, diuinationes, maleficiaq. alia. Denique diuino tandem beneficio, diligenti cura, & docilium ingeniorum bonitate, eo res deducta eſt, vt catholica fides hic, & cultus pietatis bene iam conſtituta eſſe videantur. Deo laus.

MISSIO VALGRANENSIS.

VALGRANVM opidum Salluſtiorum, in ſubalpina valle, vnde etiam toti orae nomen inditum, valde fuit initio à noſtrorum conſuetudine alienum; multumq. ijs obſtitit, ne reciperentur. multi in eo ſunt haeretici, nec tamen omnes. noſtris in primis maxime aduerſabatur Monialis vtriuſque rei, & fidei, & clauſtri violatrix. haec magnae inter Caluiniſtas auctoritatis, audacia pluſquã virili noſtros acceſſu opidi arcebat. Sed ea Sereniſſ. Ducis mandato faceſſere iuſſa, conſtantia, & patientia noſtri tandẽ obduratã aduerſariorum pertinacem obſtinationem: in opidumq. recepti,

concionibus, disputationibus q. haereticorum infamias ita confutarunt, vt multi de suo dogmate veniant in dubium. Primordia tantum rei benegerendae sunt instituta; & quasi iacta fundamenta, verum, non deerit ne huic quidem populo diuina lux; primusq. gradus ad salutem his hominibus est de ea, quam fixam adhuc habuerunt animo, opinione dubitare. Ad fidem adhuc reuocati quatuor numero est, vt se dant initia non contemnendus. In his matrona, quae à prima aetate Caluini imbuta veneno, ita subtiliter illius praua dogmata callebat omnia, multis vt erroris magistram se praeberet: haec cum consanguinea diuini spiritus radio percussa tanta diuinae gratiae copia perfusa est, vt & inter confitendum, & communicandum lachrymarum multitudine Sacerdoti quoque lacrymas eliceret. eadem à propinquis ac familiaribus tanto animi sensu errati, damnaq. prauae doctrinae vlti illati veniam petijt, vt illos quoque ad fletum commoueret. Haec adhuc Valgrani facta erant: euocantur in dies meliora. Haec quoque summa Pedemontanae missionis, quam multo speramus vberiorem fore, si quod Deus annuat, pax inter Sabaudiae Ducem, & Franciae Regem aliquando sanciatur.

RESTITVTVM MONTIS Regalis Collegium.

MONTIS Regalis vrbs est Allobrogum in primis nobilis, ac magni nominis, vulgo Mondeuicum appellant. In ea non ita multis annis ante florentissima fuit Academia disciplinarum om-

Digitized by Google

omnium, quae Taurini nunc est, Taurinum triginta circiter ante annos ab Emmanuele Philiberto, tum Sabaudiae Duce, & Caroli Emmanuelis, qui nunc Sabaudiam amplo tenet imperio, patre, Monte Regali in veterem sedem quasi postliminio restituta. Habuit quoque per eo tempora Societatis Collegium. Ciuitas nostri semper amantissima, & ad omnem propensa pietatem. Verum translata inde Academia, placuit eidem Serenissimo Philiberto Taurinense Collegium fundare: per idamq; tempus obseruata loci opportunitate vrbem Montem Regalem arce, ac firmis operibus munire, incurrere ea munimenta in nostras aedes, magnamq; earum partem occuparunt. qua nostri extrusi numerum primum imminuere; deinde aliis incommodis Collegium omnino deserere magno cum totius Ciuitatis, nostroq; dolore coacti sunt. ex eo tempore, & Sereniß. Carolus Emmanuel, qui Philiberto Patri successerat, & ipsa Ciuitas, & Societatis patres, qui ciuium probitatem adamarent, semper in votis habuere Collegium nostrorum, si quomodo possent, in ea Ciuitate restituere; qui non modo ciuitati commodis praesto essent: sed in vicinas quoquo subalpinae Italiae valles excurrerent, ad serpentem quotidie, latiusq. manantem haeresum pestem reprimendam. Eius rei causa Octobri mense anni M. D. XCV. pauci de nostris eò se contulerunt, qui ciuibus nostri ordinis amantissimis, concionibus, confessionibus, aliisq. Societatis ministeriis solatio essent tantisper, dum alij sequerentur. Est in vico non longe ab vrbe posito, cui item Vico nomen est, aedes B. Virginis magna religione, & miraculorum magnitudine tota paene Italia iam celebris. huic religionis causa ex remotissimis locis mortales

quotidie magno confluunt numero. Ad eam aedem parvo in hospitio, duo nostri Sacerdotes ex eo numero cum fratre uno confessionibus aduentantium excipiendis commorantur. neque illis dies ab assiduo labore vnquam vacui praeteriere: tanta est quotidie eam religiosam aedem petentium multitudo. In ea diebus festis eorum alter toto fere anno conciones habuit: in templo altero eiusdem vici quotidie Christianam doctrinam explicarunt, tanta diligentia, tantaq. tenerae aetatis attentione; vt nullus tum in eo vico puer, puellaue reperiatur; quae non praecipua nostrae fidei capita percalleat. cum interim & in vrbe, principi in templo à Sacerdote alio ex ijs, qui in vrbe sunt, conciones habeantur. Inuisit B. Virginis aedem hanc religiosa suscepta peregrinatione Serenissimus Carolus Emmanuel Dux Martio mense exeunte. qui cum primum ad religiosissimae aedis conspectum sub noctem venisset, confestim venerabundus ex equo desilijt; ac pedes via bene longa, & lutosa reliquum iter confecit: multaq. nocte ad aedem peruenit, hora circiter quarta post occasum Solis. Eo in itinere forte incidit in quendam e nostris patribus illuc iter facientem: cum eo totum iter pijs de B. Virgine sermonibus, deq. sanctissimae Matris in homines beneficijs innumeris traduxit. Aedem ingressus horam circiter magna reuerentia precationi dedit. inde nocte concubia se recepit. Postero die apud nostrum Sacerdotem confessus, Eucharistiae percepta, nouies ex loci religione sacram aedem circumijt, Episcopo cum Clero prosequente. quam religionem post meridiem iterum, ac tertio repetijt: donaq. tanto digna Principe, templo dedit. Vrbem ingressu nostri Sacerdotis interfuit

con-

Digitized by Google

concioni. postmodum de Collegio restituendo agere coepit. per ampla ad eam rem coempta domus, loco peropportuno; pecunia ad emendam aliam templo extruendo assignata: vectigal millenorum, ac quingenorum aureorum in singulos annos alendis nostris constitutum. His rebus transactis Taurinum rediit. Superuenere inde socij alij, qui speciem Collegij praeberent, ad decem omnino: magistri iuuentutis duo, tres coadiutores; Sacerdotes reliqui: erantq. propediem alij venturi; qui iustum numerum explerent. hos ad calendas vsque Augusti ciuium eleemosinae aluerunt. ex Cal. Augusti nostris redditibus sustentari coepti sunt. Collegium interim libris, domesticoq. instrumento ex reliquijs veteris Collegij satis erat instructum. Mense Iulio ineunte Sereniſſimus Dux cum Sereniſſima Coniuge; quinque filijs, ac familia vniuersa, sacrae eiusdem aedis inuisendae causſa, Montem Regalem repetijt: atque ab vrbe ad aedem vsque ipse cum vniuerso comitatu pedes peregrinantium more cum baculis itinerarijs iter illud emensus est. pueri, & ipsi cum bacillis non quidem viã totam pedites, sed milliarij quadrantem peregerunt. Sereniſſima Mater, quod ventrem ferret, sella gestatoria perlata est. omnes nostris Sacerdotibus confessi caelesti pane refecti sunt; ac diebus nouem solita religione sacellum nono circumitu obiuerunt: quo tempore primum lapidem templo magnifice extruendo in fundamenta iecerunt; eodemq. die mille pauperibus epulum dederunt, tres in classes distributis, seorsim viris à feminis, tertio loco pueris, puellisque: quibus pro sexu & aetate Sereniſſimi Principes ad mensam ministrarunt: tres item e nostris Sacerdotibus singuli singulis mensis

solita precatione benedixerunt. & haec in oculis vicinorum haereticorum gesta sunt: nec dubium, quin tam illustria Christianae pietatis documenta ipsorum animos adasserint. divina bonitas, quae tantum divinae suae gratiae Serenissimorum Principum mentibus infudit, ipsorum voluntatem ad maiora pietatis studia in dies excitabit. omnibus rite perfectis, in urbem cum redissent, nostrum domicilium Ducis impensa paulo ante coemptum inuiserunt. excepti sunt latina oratione, & paucis verbis; quod multos scribere & tempus, & nostrorum hominum paucitas non finit. Ceterū quod ad opera pietatis attinet, nostrorum in hanc urbem aduentu, seu reditu potius, & se semper pietas optime fretit; tamen divina mysteria frequentius usurpari coepta sunt, ac totius vitae confessiones exceptae tam multae, vt si huius rei cauſſa in hanc urbem venissemus, operae pretium constaret. In principi templo, ex quo venimus, tota anno concionantur ex nostri Sacerdos, qui quam fuerit efficax, & ciuitati gratus cum illa testantur, multae eiectae concubinae, multae à flagitiosa ad honestam viuendi consuetudinem traductae; magna denique urbe tota facta mutatio morum: tum illud in primis, quod cum insequentem Quadragesimam Theologum ad concionem ex alia familia conduxissent, perspecta nostrarum militate concionum, nostris inconsultis publico consilio decreuerant, vt noster etiam per illud tempus suas persequeretur conciones, altero omisso. sed profuit constantia nostri Sacerdotis, ne tanta immerenti homini fieret iniuria. qui nullis precibus vnquam permisit, vt hanc illa contumelia indignus, loco moueretur. hoc tantum ciuium precibus dedit, vt certis

vertis bebdomadae diebus, sub vesperam sermonem haberet in templo, quibus diebus de morte disputauit. auditus est magna frequentia. Habitae sunt per idē tempus Episcopi iussu piae ad Moniales hortationes. Tres sub tutela Virginis institutae sunt nouae sodalitates; vitorū vna, quae exemplo eius, quae sub nomine S. Pauli Taurini iampridem erecta, pauperum curam gerit: feminarum altera nihilum, quae & exercendae in pauperes pietati, & Christianae doctrinae puellis tradendae inuigilant: tertia adolescentium, qui illa eadem, quae ceteri solent discipuli exercent. Veteres aliquot iam ante institutae desuetudine ac negligentia paene solutae, ad pristinam disciplinam frequentiamq. reuocatae. Grauia, periculosaq. dissidia compressa, caedes etiam prohibitae. Femina e periculo erepta, quam diabolus bonum se simulans decepe-rat. Fuerat haec aliquando sollicita cultrix pietatis: sed eam amentita pietate malus adaritur. peccata confiteri, bene confiteri, & digne Christi Corpori caniungi longe optimum esse concedebat: at indigne diuina mysteria edere, piaculum immane, hanc ratiocinationem anus cum pro sua sapientia dissoluere nequiret; rata praesertim ea sibi non-nunquam diuinitus, sacris mysterijs abstinuit aliquot annos. interim assiduum conscientiae angorem quo poterat modo, stulta decoquebat. Animaduertit curio Paschae tempore hanc ad sacram mensam ceteris quam soleret, non accedere. compellat miseram; intelligit conscientiae stimulis prohiberi. eam ad nostrum adduxit Sacerdotem; ab ipso curandam, si qua morbo medicina sit. daemon tanto acrius suos stimulos acuere, vt eam iam ex desperatione ad laqueum impellerent, nisi diuina ope

audiuit, & daemonis fallacias edocta, meliorem ex eo tempore mentem susceperisset.

RESIDENTIA CREMONENSIS.

CREMONAE Sacerdotes duo, cum duobus fratribus degunt, eorum alter in primaria aede post Pentecosten conciones habere coepit. res omnino inusitata, & nouae in hac urbe; tum quod eo tempore calores ingrauescunt: tum quod maxima nobilium pars ex urbe excedit rusticatum. auditus tamen est frequenti concione, vt & in Aduentum, & in insequentis anni Quadragesimam in eodem templo alium ad conciones non elugerint. Idem diebus festis sub vesperam in nostro oratorio de rebus spiritualibus sermones habuit ad conuentum hominum sane frequentem. Sacerdos alter in eodem templo quaestiones explicauit conscientiae, audientibus non modo Clericis, sed etiam ex laicis permultis. ea ratione à foenebri quaestu abducti plures contractus in certo mercium genere vitiosus non à mercatoribus solum, sed passim ab omnibus fiebat. is detecta fraude non modo sublatus est totus: sed curatum etiam, vt Ecclesiastico iure inter excepta lege crimina soli Antistiti cognoscenda referrentur, alij praeterea contractus iniustè rescissi. Data etiam opera, vt decretum publicè factum contra immunitatem Ecclesiae reuocaretur. Illigabuntur aliqui excommunicationis censura, neque animaduertebant: malesq. sequuti auctores in errore persistebant. nunc docti veritatem, errorem abiecerunt. Dum nostri de more carcerem inuisunt;

missunt; miserosq. & afflictos consolantur; sontem qui capitalis damnatum confirmabant. Inter haec virum nobilem officij caussa ingressum conspicatus reus, nostrum Sacerdotem admonet, à se vnicum ipsius filium esse interfectum. eiusq. caedis alterum omnino insontem insimulatum carcere teneri. proinde nostrum rogat Sacerdotem cum viro nobili vt agat, sibi det veniam. quod vir nobilis non libenti modo fecit animo, verum etiam perhumaniter complexus reum, hortatus est vt forti animo eam susti-neat fortunam: veniam se illi à Deo precaturum. Hac vtique percussoris confessione insontis alterius incolumitati consultum, liberq. vinculis emissus est. Habitae sunt conciones ad omnia paene sacrarum virginum coenobia. & quidem in vno ita eius, quâ professae erant, paupertatis amore sunt incensae; vt omnia, quae priuatim quaeque possideret, in medium conferrent: nihilq. proprium vlla sibi reti-neret. harum exemplum aliorum deinde coenobio-rum aliquae sequutae sunt. Inducta in varijs vr-bis templis tradendae Christianae doctrinae con-suetudo pueris, rudibusq., in nostro quoque orato-rio nobiliorum filijs. Quo studio alij religiosi exci-tati in partem operis ita ipsi quoque successerunt, vt e triuijs, & compitis desidem multitudinem vna cum pueris ad sua templa eiusdem rei caussa cor-rogarent. Iudaeus miraculis permotus B. Virgi-nis Montis Regalis, Christianam religionem est amplexus, à nostrisq. eruditus magno apparatu sacrum baptisma suscepit. alius catechismo instrue-batur: eum breui speramus eiusdem beneficij com-potem futurum. Christo laus.

PRO-

PROVINCIA VENETA.



SOCII trecenti triginta nouem in Prouincia Veneta, duodecim domicilia numerantur. In Domo professa Veneta, triginta nouem, Sacerdotes vnus, & viginti cum sexdecim coadiutoribus, & nouicijs duobus versantur. In Collegio Patauino quinquaginta septem: quindecim Sacerdotes, non Sacerdotes quadraginta duo. E Sacerdotibus quatuor superiorum studiorum Magistri, Theologiae tres, Philosophiae vnus: ex vtroque numero quatuordecim, in theologiae, totidem in philosophiae studijs versantur. reliqui sexdecim sunt coadiutores. In Veronensi duo de viginti: nouem Sacerdotes, totidem non Sacerdotes. In Brixiensi triginta vnus: quatuordecim Sacerdotes, septemdecim non Sacerdotes. In Mantuano viginti quatuor: Sacerdotes duodecim, totidem non Sacerdotes. In Placentino sexdecim. In Mutinensi tredecim. In Ferrariensi viginti tres: triginta in Bononiensi. In Parmensi sexdecim. In Foroliuiensi quatuordecim. In Domo Probationis Nouellariae nouicij sunt triginta duo, si ij numerentur, qui duo semper Venetijs esse solent: veterani

anti Sacerdotes nouem. His accedunt Sacerdotes septem, cum duobus fratribus; ex Galliae naufragio huc appulsi. qui omnes quinquaginta trium explent numerum. In Residentia Inolensi ad Forum Cornelij Sacerdotes duo, cum fratribus duobus. In Cretensi missione Sacerdos vnus; cum comite vno. ex quibus omnibus Sacerdotum summa colligitur omnino centum & quadraginta quatuor, coadiutorum quinque supra centum; scholasticorum diuersarum facultatum vnius & quadraginta: minarum studiorum Magistri septem, & viginti. Ex toto numero desiderati septem: admissi in Societatem quatuordecim.

DOMVS PROFESSA Veneta.

VENETIIS praeter vsitata, & solennia actum cum viris locupletibus, vt inopes multi, qui soluendo non essent, dato aere, carcere liberarentur: Excurrere in vicinam dioecesim Sacerdotes duo; lustratisq. opidis aliquibus, doctrinae Christianae scholas aliquot instituerunt. & praeter alia multa vilitatis plenissima, concubinatus aliquot cum matrimonio curarunt commutandos.

COLLEGIVM Patauinum.

IN Patauino Collegio phthisi consumptus est Carolus Tancardus natione Anglus: illuc Viennae Austriae missus, si forte eius caeli benitate, & prae

stantium

stantium arte medicorum desperatae eius valetudini opis aliquid afferri posset. sed intima tabe corpus depascente, dolorum quidem acerbitatem adolescens optimus inuicta patientia superauit: morbi verò vim, remedia iam nulla admittentem superare nullo modo potuit. nam ad ceteras saeuientium febrium asperitates etiam illud accessit, vt extremo vitae tempore vigini ipsos dies noctesq. continentes perpetua insomnia laborarit. praestanti ingenio adolescens philosophiae studia percurrerat; cum sextum iam annum humanitatis litteras doceret, infesto morbo correptus quamdiu Patauij decubuit, quotidie solitus fuit sanctas animas omnes, quas nostra Societas caelo dedit, orare, vt prose Deo gratias agerent, quod in Societate moreretur: doloresq. quos grauissimos patiebatur, ad felicem Ecclesiae statum impetrandum Deo sollicitus offerre. Eius iacturam fecit leuiorem praeclare indolis adolescens e maiorum sodalitate Virgini dicata ad numerum nostrorum aggregatus. Sodalitas porrò iuniorum nonnullam & ipsa spem futuri fructus facit. Eius alumnus e praecipua nobilitate adolescens ab homine tenui in publico, ignotus, virga percussus, cum ira acceptae iniuriae subiisset animum, & facile posset ignominiam delere; alter errore cognito sibi timeret: omnem tamen offensam libens iniurioso homini remisit; memor, vt ipse postea narrabat, eorum, quae in sodalicio didicerat, non vtique in hisce excolendis arenae semina mandantur. Idem parentem à nostrorum consuetudine alienam, neque ita multum antea studio pietatis deditam, domesticosq. omnes ad nostros confessionis causa adduxit. Ceterum in re spirituali promouenda datur opera diligenter,

vt

vt pro se quisque suo muneri satisfaciat. sed ea & usitata sunt, & per se nota. illud huius anni proprium. Vigintiquatuor e nostris in duodecim urbis parecias bini in singulas distributi Dominicis diebus pueros, adultosq. rudiores Christianae doctrinae rudimenta toto anno docuerunt. Adiutae praeterea multum sacrae Virgines; pijsq. sermonibus, statis temporibus habitis ad studium pietatis assumendum incitatae. Earum duodecim coenobia diuini verbi pabulo refecta: multarum etiam Episcopi rogatu confessiones auditae. Est praeterea in ipso temporis articulo homini misero, ac pedem prope intra ipsa inferorum limina ponenti opportunum allatum auxilium. Is ipso Sanctissimo resurgentis Christi die, nescio qua desperatione, actus animi, malo daemone haud dubie impellente, vt se vita priuaret ventrem sibi, atque intestina, ferro violarat. sed vt sunt homines in aliena, quam in propria pernicie fortiores, desperationis aestus non ita illum Catonem fecit, vt non doloris acerbitate victus mitigaret iracundiam: diuina scilicet clementia hominem in poenitentiae tempus reseruante. Eo die igitur exanimatus non est, tanta tamen fuit animo contumacia, tam pertinax in sua desperatione proteruia: vt ad omnem de sua salute sermonem, stupenti similis, ac sensus experti obsurdesceret: non toto illo die rogatus à Parocho, nō ab alijs religiosis viris adhibitis, obdurata illa obstinatione moueri potuit, vt vel signo aliquo se saluum esse velle declararet, vel ipsa ad animum saltem penetrare sineret, quae dicerentur. ita summa erat omnium de ipsius salute desperatio: & indigna nonnulla vulgo de illo ferebantur: tetra ipsum sponsione cum inferno hoste de sua salute pepigisse.

gi, se. Adit hominem pestifero die non vocatus e nostris Sacerdotibus vnus. nihilo quam alij humanus excipitur. blande alloquitur: oppressum moerore animum conatur allenare: haeret ille tacitus in sua contumacia. Sed quia res erat proxima periculo; & modico temporis momento de toto agebatur esse, non animam desponder noster: perstitit in incepto. exprimit tandem ab aegroto patientiae, lenitate, & dominae clementiae praedicatione, vt quod prima linea esse solet in hoc genere, se valens audiret. Enimuero re tum compertum est: fidem esse ex auditu. audiendo enim sensim ad spem veniae erigitur. concepta spe veniae, quasi quodam veterno excitatus, & extrema suae salutis subsidia requisiuit; & multis cum lacrymis per confessionem culpis elutis, à nostro Sacerdote petit, ne se extremo illo tempore desereret. crebrae sanguinis vomitiones impedimento fuere. quo minus decimo viatico muniretur. quod proximum fuit, extrema se inunctione aduersus diabolicos, quibus petebatur, insultus muniri se impetrauit. ita toto reliquo illo die, qui supremus ei fuit, in studio veniae petendae, & animae salute à Deo impetrandae insumpto, non minus ipse spei plenus, quam eadem de se in alios opinione transfusa, inter nostri Sacerdotis manus expirauit. Haec ad animorum vtilitatem domi gesta. Noui templi aedificatio altius multo erecta, insumptis in eam hoc anno tribus millibus aureorum. in villa quoque suburbana aedicula constructa. accessere etiam ad rem familiarem aurei quingenti Vicentinae honestae feminae mihi testamento relicti. Foris acta non pauca. Excurrere per autumnales ferias aliqui regum Episcoporum in dioeceſim Patauinam, & Tarusinã, virginis

viginti omnino vicos peragrarunt, in plerisque, ac praecipue sex, tantae frequentiae, vt instar magnorum opidorum esse possint, tantum diuinarum rerum ardorem excitarunt; vt ad vnum omnes apud nostros peccata expiarint, atque ab ijs caelestia mysteria perceperint, in alijs si minus omnes; plerique certe eodem caelesti beneficio affecti. Clerum alicubi magnis inter se discordijs dissidentem reconciliarunt. alibi torpentem otio, & ex otio vitijs permultis, magno cum populi malo, scientem, ad studium suo statu dignum, occupationemq. capessendam induxerunt. Vicus fuit furtorum, aliorumq. flagitiorum multitudine infamis. in eo tanta religionis negligentia; vt sanctissimum ipsum religionis nomen ijs non nisi ipsius contemptio religionis notum faceret; & Christiani cultus in ipsa tantum Christianae pietatis proculcatione, vestigia cernerentur. Templum incultum, & squalidum; sordibus araneisq. referum: altare situ puluereq. turpem in modum sedatum: sacra suppellex sordida, & obsoleta. Parochus prope omnibus inuisus. ipsi homines, super cetera vitia tanta cum indignitate ad diuina accedebant: vt non ea colere, sed contumaciter eludere viderentur. Christianae legis, Christianaeq. disciplinae cognitio nulla. puerorum Christianis moribus imbuendorum consuetudo inaudita. Diebus festis ad Missae sacrum conuenientes, nondum peracto sacrificio, vniuersi se e templo eiiciebant, deserto cum Sacerdote sacrificio. si quando ad diuinam mensam accedebant, quod tamen perraro fiebat, à diuino ferculo surgentes, e vestigio foras se propripiebant. diceres non Christianorum hominum Ecclesiam, sed histrionum, Christianam religionem irridentium

tium, scenam te videre. Hanc strenui coloni syl-
uam excolendam susceperunt: & patientia, atque
assiduitate tot sentes repurgando, esse statuerunt.
itaque initio primores populi adire ostiatim, singu-
los ad concionem, & confessionem inuitare. templū
luce palam euerrere. altaria purgare, componere
ornare, maiora inde remedia adhibere. ne longum
faciam vndecim diebus, quibus totis ibi morati
sunt, concionibus vniuersam multitudinem, cate-
chesibus pueros imbuendo, confessionis, & Eucha-
ristiae Sacramentis ministrandis, tanta rerum mu-
tatio facta est; vt ad vitae nouum genus vniuer-
sus ille populus, tantopere à religione ante alienus,
renatus esse videatur. Eadem cum vtilitate simi-
liumq. atque adeo plurium interdum, & grauio-
rum correctione vitiorum. duobus alijs in locis, ad
sexdecim dies insudatum. In vico alio scholam be-
ne frequentem ludi magister regebat, seu corrum-
pebat potius. Terentij enim & lasciua Ouidij epi-
stolarum lectione tenera puerorum mentes, & nul-
lo adhuc lasciuiae sensu contacta imbuebat. remq.
totam voce, gestuq. tam artificiose effingebat; vt
non interpretem, sed eorum affectuum hystrionem
agere videretur: id quod ipsi eius auditores dicti-
tabant. is vno e nostris hortante respiscens, & li-
bros illos cum melioribus, & corruptam lasciuien-
temq cum emendata, & modesta interpretandi con
suetudine commutauit. Haec nostrorum opera
tam accidit omnibus grata: vt multi ex ijs, quos
adierunt vicos, publice ijs gratias agerent: alij
etiam ignari nostri instituti, pecuniam offerrent.
Nec defuere perspicua diuinae prouidentiae argu-
menta; quae vtiles, ac Deo gratos esse eorum la-
bores declararent. Venere sub vesperam in spi-

dum,

dum, cuius Parochus leui morbo manus languebat, ad eam adeunt, vt hospitio illius vtrentur. renunciare ille iubet: sibi non esse in animo quenquam hospitio excipere: nostri recta in Xenodochium. postridie hominem iterum conueniunt: rursus officiosis excusationibus, & verborum liberalitate dimittuntur. iubentur nihilominus per speciem officij ad certam diem redire. apparebat quaeri causam praesentis molestiae auertendae. Vix pedem domo extulerant, cum dextrae dolor Parocho coepit intendi, ac saeuis cruciatibus hominem torquere; eodemq. tempore acriore morsu animum vrgere conscientia; subitam eam dolorum accessionem ob neglectum erga tam opportunos hospites humanitatis officium sibi aduenisse. ergo duplici dolore, acriter exstimulatus, quasi à mente alienatus, primum eos cubiculo exegit, qui sibi auctores fuere nostros dimittendi. tum magnis clamoribus mandat confestim, vt nostri conquirantur. qui cum ad eum redijssent, mirum dictu, vix hominem plane salutauerant, cum omnis repente manus, animiq. dolor conquieuit: certaq. manus signa dedit iam receptae valetudinis. quibus benigne exceptis non iam manibus officijs, sed re plane satisfecit. Hoc ipso tempore Parochus certior fit, ipsius patrem hominem octogenarium venisse ad extremum. hoc nuncio perculsus, à nostris enixe contendit, vt pro salute patris preces facerent. facere illi sedulo. esse tibi postero die certi nuncij perferuntur; senem periculo perfunctum iam conualuisse: vt duplici prosperitate nostrorum hospitio se affectum esse laetaretur. haec summatim de Missionibus. Sacerdos ex hoc Collegio ad vrbem aliam in hoc tractu tertiae rei caussa profectus, virum eius ciuitatis primarium

rum de rebus vitæ peccatis admisit; cum. eius quare. à suis magna cum tropeatorum molestia, pia sunt munera sermonibus domicilia vexerat, reconciliauit. In eadem vrbe femina nobilis, & honesta eadem sacerdotis nocturnas. se in periculis vacuum se vere nobilis morbo, asseri P. Ignatio accidisse; vnusquisq. se valetudinem recipere, curabatur se, vt in amicis veri honorem asserretur Missae sacrificium: se vite reum hac Sacerdotis nostro, vt in alterius quique cognitionem venerit, vsitare voluisse.

COLLEGIVM Bononiense.

BONONIAE matrimonia aliqua vitae cum uxore, diem reintegrata fuit: dissensiones multis eiusmodi concordes reconciliauit: discordia peccatis reuocata: contractus aliquos illegitimos ad normam reuocati: multis peccatis occasiones ablatae: multis diem ad honestam emigrandi. veteres vitandi rationem: de multis, grauiorisq. rebus consulta sententiam diximus. Auctus est peccatorum numerus non mediocriter. & haereticis nonnulli ad Ecclesiae sinum reuocati. nec mirum in tanto diuersarum nationum ad hanc vrbem studiorum, causa concursu. scholae doctrinae Christianae, iampridem tabescentes quodammodo floruere. eas fouent viri nobiles, foeminaeq. qui decretis sibi manus detergerunt. nostri tamen modo has, modo illas adeuntes. errores in suscepto confessionis fructum retinere. Illustrissimus Cardinalis . . . . . nostrorum opera vsitur assidue. à nostro

stro numero duos sibi delegit; quorum alter sexta quaque feria concionem habeat in ipsius sacello; alter quaque hebdomada de conscientiae casibus habeat tractationem: idemq. conuentibus praesideat qui singulis mensibus de rebus ijsdem à Parochis habentur. Scholae item litterariae suum cursum tenent. illud tamen accessit hoc anno. diebus festis coeptum est pueros piarum exercitationum caussa ad scholas conuocare. Visa res est initio paullo difficilior: sensim tamen progrediendo ita mitigata, vt iam cum voluptate obeatur: quin si quando religiosus dies aliquis inciderit, à legis necessitate liber, aut alia quacunq. ratione feriatus, sponte ipsi conueniunt iniussi; & erigendis, ornandis oratorijs, altaribus, recitanda psalmodia in laudem Virginis, pijsq. alijs libellis lectitandis, cum congregationum sodalibus contendunt. haec puerorum consuetudo, conuentusq. ad Gymnasium festis diebus tantopere probatur ciuitati; vt alij nobiles adolescentuli per eos dies discipulis nostris adiuncti, ad easdem & ipsi conueniant exercitationes. Maior congregatio, cui à perseuerantia nomen est. solita celebritate, & pietatis studio frequentatur. ex ea aliqui consilium religionis ineundae susceperе, Charthusianorum vnus, Capucinorum alter sibi delegit institutum. ex omni frequentia eorum, qui nos colunt, duos praecipue delegimus, quos ad nostrum tirocinium mitteremus: ad studia vnum idoneum, spectatae virtutis, & ingenij adolescentem, alterum ad operam labore corporis praestandam.

COLLEGIVM Veronense.

VERONAE cum alij multi totius vitae peccata expiarunt, tum mulier praecipue eadem ratione ad honestè, pièq. viuendum, atque ad sacramentorum vsum à peccandi consuetudine traducta. Alius, qui falsis inductus criminationibus vxorem de medio tollere statuerat, ab eo scelere est reuocatus. Cuiusdam viri nobilis ipsius domi dum Sacerdos confessionem excipit; frater qui illi comes erat, interim cum vno e famulis, iniecto de rebus pijs sermone, comperit hominem anno toto ad diuina mysteria nunquam accessisse; quod se concepto aduersum inimicum odio teneri diceret. eum igitur ad ponendum odium, & ad sacra percipienda pijs monitis adduxit. Scholae solita frequentia, & nobilitate vigent. earum alumni aliqui varia religiosorum instituta, nostrum vnus sequutus est. quo minus plures sequerentur, impedimento loci, & rei familiaris angustiae fuere. Ad promouendam templi aedificationem collati sunt à pluribus eleemosinae nomine aurei nongenti. Duoq. viri nobiles sacella duo suum sibi quisque exornanda suscepere. Alius centum viginti numos aureos candelabris conficiendis testamento legauit. Duo Sacerdotes missi in Taruisinum dioecesim Iubileum promulgarunt, quod Aquileiensis Patriarcha in sua Prouinciali synodo ab Apostolica Sede impetrauerat. ac per eam occasionem concionibus, & paenitentiae Sacramento multum rem Christianam promouerunt. Eosdem etiam in eadem lustranda

standa dioeceſi comitos ſibi adiunxit Reuerendiſſimus Epiſcopus Viſitator Generalis. eorumq opera eſt vſus, & in explicandis difficilibus conſcientiae nodis, & illis expiandis, quorum cauſſae ad ipſius tribunal tantum pertinerent.

COLLEGIVM Parmenſe.

PARMAE duo e noſtris, alter Quadrageſima, Aduentu alter in aede primaria conciónatus eſt, magna Sereniſſimi Ducis, aliorumq. procerum probatione. Eorum alterius opera cum ingentibus eleemoſinis varia ſacra loca adiuta; tum praecipue curatum eſt, ne pauperes oſtiatim victum emendicare cogantur. Nonnulli ad arctiorem diuini cultus rationem ſe contulere. nam & aliqui bonae expectationis adoleſcentes hinc Nouellariam, ad domum probationis miſſi ſunt: & feminae nonnullae, noſtrorum vſae conſilio, ad coetum aliarum ſanctiſſima diſciplina viuentium, ipſarum abbatiae clauſtris ſe aggregarunt. Templi noſtri aedificatio quotidie creſcit. ad culmen imponendum bis mille aurei Senatus, populiq. liberalitate aſſignati. promiſſa inſuper, ſi opus fuerit, alia pecunia. Res quoque domeſtica non modico eſt aucta incremento. Prouentus quidam aliquot annis ante à nobili Corrigienſi teſtamento relicti erant: de ijs lis diu fuit cum Corrigienſi Dynaſta. ea tandem hoc anno compoſita eſt: atque ex aſſe illo toto beſſem percipere iam coepimus. Matrona nobilis domum in propinqua quodam vico, cum aliquot adiacentibus agris nobis attribuit, eadem

Digitized by Google

morti proxima centum aureos nobis numerari prae cepit : moriens q. pensiones ex annuo quingentorum aureorum censu in praesens, ac post fratrum suorum obitum mille aliorum nobis testamento legauit. eius corpus in nostro templo tumulatum est .

COLLEGIVM Placentinum.

PLACENTIAE nostri Quadragesimae tempore ad decem Monialium coenobia de diuinis rebus verba fecere . B. Virginis sodalitas fuit admodum frugifera . ex ea sodalis in patriam reuersus suo exemplo , efficacitateq. loquendi multos ad sacramentorum frequentiam excitauit . nouum etiam in honorem Christi matris instituit adolescentium , virorumq. sodalicium . quos etiam ad meditandi rationem pro modulo instruxit. Ex eadē Placentina sodalitate alius, cū fratrē illum, qui congregationi moderatur, de castimoniae praestantia disputantem audisset, amore excellentis virtutis subito exarsit ; req. mature deliberata , perpetuae continentiae voto se obstrinxit . Deus O. M. ad cumulandam caelestibus bonis piam animam, coeptae promoueat. Horum adolescentium duo Societatis nostrae, duo alij alter Dominicanorum , alter Capucinorum instituta sunt complexi .

COLLEGIVM Ferrarienſe.

FERRARIENSE Collegium varijs morbis vexatum est : quibus extincti sunt quatuor.

P. *An-*

Digitized by Google

P. Antonius Cella Mutinensis, qui multos annos bonas litteras docuerat, & complures egregia indole adolescentes Christo lucrifecerat, eademq. audiendis confessionibus, tractandisq. hominum animis, atque ad Deum adducendis dexteritate fuit. Tres praeterea fratres operarum domesticarum administri. in ijs Vincentius Fundius, singulari in primis probitate, & familiari diuturnoq. erga Patrem Benedictum Palmium obsequio tota paene Italia, satis notus. vir fuit admirabili vultus, ac totius oris, corporisq. compositione singularis specimen, modestiae. & in quo amabili quodam temperamento cum religiosa mansuetudine coniuncta esset liberalis ingenuitas. Summma semper fuit animi tranquillitate, industria ad res gerendas admirabili, atque omni religiosarum virtutum genere ornatus: vt vnum aliquem ex primis illis N. P. Ignatij comitibus, aut etiam ex lectissimo Christi discipulorũ coetu, videre te existimares. accedebat in loquendo modestia tanta, & suauitas, vt vel asperrimi ingenij duritiam emolliret. has, aliasq. egregias animi dotes multa cum Deo familiaritas, & intenta precandi consuetudo cumulabat. Reliqui duo quam vitam religiosè peregerant, eandem sanctissimo exitu concluserunt. Ceterum quod ad rem Christianam attinet, aedes nostra magna nobilitatis praesertim frequentia celebratur; crescitq. in dies confessionis, & Eucharistiae mysteria obeuntium numerus. Cathechesi verò rudibus vrbe tota imbuendis nostrorum labor impenditur. sed in aede, nostra maxime, quo pueri confluunt frequentissimi: & in ijs primariorum virorum filij non pauci. Adsuti qui in custodia publica tenentur, pecuniaq. corrogata illorum inopiae subuentum. circa Na-

ualer Christi sorte opportunis hortationibus instructi, sacramentis se communiuerunt. Haeretici duo e remotis finibus huc appulsi, prouecta vterque aetate, per vnum e nostris diuino beneficio Euangelicam edocti veritatem, Ecclesiae reconciliati, ad poenitentiae, & Eucharistiae Sacramenta, quae, tota vita nunquam vsurpauerant, admissi sunt. Hebreae puellae duae, diu Christianam fidem meditatae, nostris adnitentibus sacro lauacro sunt admotae. hae dum è parentum domo, qui plurimum opibus, & auctoritate valebant, elabuntur, praeclarum constantiae specimen dedere. Est operae pretium alterius earum nosse in suscepto, diuq. agitato consilio firmitatem. Haec libellum nacta historiam sanctarum Virginum continentem, octo ipsos annos, ciam suis, paenes se habuit; eumq. cum dabatur facultas, furtim lectitabat. ex eo tempore sit se fidei nostrae conceptum animo studium fouisse. interim Deum precibus occulte flagitabat, vt ad animi sui salutem sibi viam expediret: eius rei occasio Missae sacrificio Spiritui sancto occultè exorabat offerenda. tandem Spiritus sanctus viam illi aperiente, è paterna domo profugit ad Ecclesiam. Et quoniam adolescens nobilis, cuius, in deserenda parentum domo, auxilio vsa erat; eam se vocaturum accepturum, si se ad Christi legem transferret, ei pollicitus erat: antequam sacro baptismate ablueretur, admonita est, vt earum nuptiarum spem abiiceret; quod adolescens ille propinquorum impetio prohiberetur: magno animo respondit: se in vetere lege deserenda, vnum spectasse Christum Iesum, praterea neminem. digna sane vox; & non nisi diuini instinctu Spiritus e pectore prolata. Scholae vt ad eas veniamus, quotidie magis suis

laetan-

augentur incrementis. discipuli aeque litteris, ac pietatis studio proficiunt. eorum unus est in Societatem nostram cooptatus. aliorum vota in tempus opportunius dilata. Ceterum ciuium liberalitas erga nos egregia constitit in magna annonae caritate. nam cum Padi exundatione agri fede vastati maligne colonum culturae respondissent, non minus in magna frugum inopia liberales fuerunt; quam in magna rerum copia, & affluentia fuissent. itaque multo plures, quam pro tenuitate census Collegium homines commodè sustentauit. Deus O. M. pro infinita sua liberalitate, caelestium bonorum copia officiosae horum ciuium voluntates, meritasq. compenset.

COLLEGIVM Mutinense.

MISIT Mutinense Collegium ad nouiciorum disciplinam tres adolescentes, omen futurae perfectionis, numerum si spectes: boni vtique seminis fruges à diuina bonitate expectandae: &, vt in dies ad diuinum suum honorem vberiores efficiamus, orandus Deus. & sanè si vrbis modum spectes, copiosus satis est sacramenta obeuntium numerus. Est inter multos gratia resarta, quam variae discideranr offensiones. inter patrem praesertim & filium, magna cum totius ciuitatis approbatione. quippe grauia ex graui, & inueterata iam discordia mala timebantur. Aestate tota, & Aduentu Sacerdos ex nostris in Principi templo conciones habuit. cuius opera cum multa incommoda sublata, tum illud in primis. modus factus est aleae,

Digitized by Google

aleae; ne vltra certam pecuniae summam, & eam quae familijs grauis esse non posſit, cuiquam liceat ad ludum deponere. nam antea aliqui vsque eo immoderati fuerant, vt vniuersum patrimonium peſſundarent. clauſit ſupremum diem clariſſima Ludouica Bellincina, cuius egregia erga hoc Collegium liberalitas digna fuit, vt ipſa in numerum eorum referretur, qui inſigniter ſunt de Societate nostra meriti, haec praeter quam quod ante curauerat, vt filius, quem vnicum habuerat, haeredes nos relinqueret ex aſſe, vt alias ſignificatum est; ſuam ipſa quoque dotem e vita diſcedens nobis teſtamento reliquit. Neque verò magis eius mors noſtris fortunis fuit vtilis, quam vita totius ciuitatis diſciplinae, moribusq. profuerat.

COLLEGIVM Mantuanum.

MANTVA ab infami vita extractae mulieres duae matrimonio coniunctae ſunt. alia ex certo, & praeſenti iam periculo in tuto collocata. Inter multos, qui grauiſſime ſibi erant infenſi, redintegrata gratia: alienae pecuniae reſtitutiones factae nonnullae. Templo faſtigium impoſitum: atque ipſo Natali Chriſti die in ara Principi Miſſa celebrata. Quidam ab inimico grauiſſime vulneratus, vt mors illi immineret, Sacerdotem noſtrum accerſiuerat. inſtituenti confeſſionem horribile mali daemonis ſpectrum obijcitur; hominem à condonanda iniuria deterret; ac ne Sacerdoti peccata detegat, miſero ita fauces praecludit, vt vocem mittere nullo modo poſſet. terrefactus nutibus

nutibus, quod vnum potuit, se premi à diabolo significat. dat se Sacerdos in preces; ac cruce adhibita, lustraliq. aspersa aqua, infestum abigit satellitem. aeger ea leuatus oppressione, loquendi recepta potestate, rem omnem narrauit confessario, factaq. peccatorum expiatione, cum se totum ad Sacerdotis praescriptum composuisset, animam Deo reddidit.

RESIDENTIA IMOLENSIS ad Forum Cornelij.

IN Foro Cornelij vrbe non ampla, creuit vsque eo poenitentium numerus, vt Bononia propinqua Ciuitate, saepius tertius Sacerdos duobus, qui ibi residet, auxilio aduocandus fuerit. ac quibus temporibus maiores esse solent ad sacramenta concursus, à prima luce ad multam noctem continuanda fuerit opera audiendi. & cum multi multorum annorum, sexagintaquinque totius vitae peccata confessi sunt. sed praeter ceteros insignis fuit cuiusdam vitae mutatio: cuius mores ad modestiam compositi, nouaq. viuendi ratio, & admirationi, & voluptati est omnibus ijs, qui hominem antea nouerant. Mulieres aliquot à turpi quaestu abductae. Famosa meretrix vt melius suae securitati consuleret, in familiam conuictumq. earum se recepit, quae à flagitiosa ad piam, sanctamq. viuendi rationem conuersae, in clausiro vitam agunt. Doctrina Christiana explicatur: aegroti inuisuntur; aliaq. Societatis ministeria, quae alijs in locis exercentur. & in tam pusillo numero diebus festis antemeridianae non defuere conciones; & quidem magna cum ciuium probatione: qui se hoc

Digitized by Google

nouo pabuli genere delectari mirifice declarant, cum plana & familiari disputandi ratione se doceri sentiunt ea, quibus in dies ipsi fiunt meliores. multo id certe ad illorum vtilitatem est accommodatius, quam dicendi pompa, & magnus rerum apparatus. Frequenter de rebus ad conscientiam pertinentibus nostri consuluntur: quibus cum satisfaciant, magnam sibi, & doctrinae comparant, & probitatis existimationem. Reconciliata gratia duos inter nobiles. e quorum dissidio vtrique pernicies certa imminebat; ad quam auertendam vrbis Praefectus fuit adhibendus. neque enim minore vi, quam ipsius potestate malum depelli potuit, quo sublato facile fuit eos reuocare ad concordiam. Praesidis item auctoritate, nostrorum opera, adhibitis tamen viris primarijs duobus, grauis turba sedata est, quae à leuibus orta principijs, ita sensim excreuerat; vt à paucis ad multos sese funderet. eraiq. magnarum turbarum Seminarium futurum. Cautum est etiam, ne innocentis hominis vitae, quae parabantur insidiae procederent. Aucti annui redditus centum septuaginta aureorum in annos singulos, composita lite, quae de possessione quadam nobis cum alijs intercedebat. Ipsa ciuitas vniuersa egregiè erga nos animata, spem magnam facit futuri fructus. viriq. honestiores, canonici praesertim, magnopere nostris hisce officijs delectantur: nostrasq. res in dies augeri percupiunt, quo magis nostra in hac vrbe sedes firmetur. nostram enim operam, ciuibus otio diffluentibus, & factionibus inter se diuisis, magnam afferre sentiunt vtilitatem.

DOMVS

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS Nouellariae.

NOVELLARIAE diem suum obiit Adrianus Hud, formatus coadiutor, fabrilis artis bene peritus, & cum alijs virtutibus ornatus, tum assedui in suo opificio laboris tolerantissimus: etiam inclinata iam aetate, (agebat enim annum tertiũ, & quinquagesimum) & valetudine parum secunda. Hic quoque cum alia nostrae Societatis ministeria, tum doctrina Christiana feliciter progrediatur: vt aestate, & Autumno, quo tempore ad messem, & vindemiam pleriq. abesse solent, frequentiores puerorum greges, magna cum omnium admiratione, ad catechismum conuenirent. sed praecipue spectaculo fuit Illustrissimae Comitissae filius, natu minor Alphonsus, qui non ipse solum assiduus auditor fuit, sed studiosè etiam pueros alios inuitabat, cogebat, & gregatim ad templum catechismi caussa adducebat. Est hinc non longe Regium Lepidi vrbs Cispadanorum non ignobilis. in ea vrbe est miraculis celebris Deiparae Virginis imago, ad eius templum Nouellarienses supplicationem decreuerunt. eam supplicationem reddidit ornatiorem laetum puerorum agmen: qui angelorum specie candidati, festiuo cantu Virginis laudes, litaniasq. ex longa titulorum ipsius serie contextas, admistis nominibus diuorum, quos inter Caelites Regium Ciuitas sibi patronos adoptauit, modulabantur. Ad templum cum ventum est, ante ipsam Virginis aram, a tribus pueris breue poematium pronunciatum, non grato solum spectaculo rem auxit.

xit: sed nouo etiam sensu pietatis spectantium mentes affecit. Ceterum domi per nostros Sacerdotes, ac nouicios dimissos statis diebus ad feriatos Christiana instituta edocendos multa solutorum hominum licentia repressa. De nouiciorum disciplina quae dici possent, nota iam sunt. eam de se spem faciunt, quam debent. Vnius cum parente conflictus fuit paullo illustrior. Sexto mense, quam ille venerat ad tirocinium, furens accurrit, certus adolescentem à suscepto religionis cursu auocare. Et, vt erat ingenio praeseruido, & iracundo: & quod apparuit, à nobis non modo alieno, sed etiam infesto, statim primo congressu, non contentus, quae parentum solennia sunt, vsitatis querimonijs, ac maestitiae plenis; conuicia & contumelias adiecit: proditorem filium, parentum desertorem, exterminatorem familiae clamare. nostri blande hominem excipere, comiter hospitio inuitare, iratum animum demulcere. ille contra humanitatem omnem aspernari; aspere nostros appellare. nostri quo magis excandescebat, eo conabantur magis illius incitatum animum leni oratione mitigare. ille, qui pari asperitate fuit repellendus, nostra lenitate factus asperior, stomachi acerbitatem omnem nulla ratione habita, vel humanitatis, vel pudoris, in nostros euomuit: nos incautae iuuentutis seductores appellare; Societatem totam maledictis proscindere: non defuisse sanctissimas religiones à viris sanctissimis institutas, quas filius, si tanto teneretur ardore pietatis, amplecteretur: hoc sibi, ac suo generi dedecus esse inexpiabile, filium suum ad eam se religionem contulisse, quae auctorem & parentem se habere gloriatur hominem Hispanum. ad haec aliaq. probra, quae referre non est operae

etiam

etiam blasphemas voces superaddere non parsit: cum interim adolescens nihil de concepta modestia, animiq. tranquillitate remitteret, & leni prudentiq. oratione furentem patris animum frustra mitigare niteretur. Nostri tandem asperitatem tantam pertaesi hominem missum faciunt: statuuntq. pari duritia illius pertinaciam retundere: itaque omnem ei cum filio loquendi potestatem adimunt. ita saepe fit naturae vitio lenitatem aliqui interpretantur imbecillitatem: & quae impune faciunt, ea etiam iure se facere existimant: & tanquam acie confligant, quo minus acriter obsistitur, eo cooriuntur saeuiores, si cum duro concurrunt aduersario, facile eorum fructus impetus repellitur. hoc idem usu venit in hac homine. ferox aduersus lenitatem; aduersus fortitudinem remissus. Victus consilio conuicijs, & iurgijs abstinuit. sed quod aperta vi non potuit expugnare cuniculis aggreditur; rem cum familiaribus communicat; eaq. parat ipsorum auxilio, quibus omnem consilij vim se fracturum esse existimauit. igitur posita ad tempus contumacia, rogat humanius, quam ante, fieri sibi potestatem loquendi cum filio, remotis arbitris. nostri initio nihil concedere. victi tandem precibus, & freti constantia adolescentis acquieuere. sed quod insidias ipsum parasse nonnullas appareret; intra domesticos parietes secreto in cubiculo, ad aspectum vnius Sacerdotis, qui tamen procul esset, admittitur ad filij colloquium. sed cum insidiarum consilium sibi praereptum, procedere nō posse, ac iam euanuisse intelligeret: quid ageret cum filio nil habuit, nisi obsecrauit, vt religione abiecta in patriam ad domum subleuandam, quae tota vno ipso nitebatur, se referret. eiusq. rei spem à patribus perfacilem esse,

ostēn-

Digitized by Google

lium communionis illo die; contra omnium opinionem sensit se eo die febri liberatum. ita agendarum gratiarum caussa voluit etiam tertio se iisdem divinis mysteriis expiare. idemq. à ceteris aulae nobilibus faciendum curauit. Est ibidem Archidiaconus Mirandulanus spiritualibus exercitationibus excultus, tanta animi pietate, vt nunquam cesset earum exercitationum vtilitatem praedicare.



PROVINCIA INDIA.



Tominum remotiſſimæ, tu etiam vltimæ duarum trãſmarinarum Prouinciarum Indiae, ac Peruuiae Litteræ perlatae ſunt. e quibus India trecenta circiter capita numerat ſociorum; praeter eos, qui in Sinis, & in Iapone alia quaſi Prouincia verſantur. ex iis centum vigintiſex ſunt Sacerdotes: fratres reliqui: omnes variis [illegible] familiisq. diſtributi. in domo profeſſa Goana quadraginta: in Collegio S. Pauli eiq. adiunctis reſidentiis octogintatres: in domo probationis item Goae quadraginta, quorum nouicij triginta, veterani reliqui; in Salſetano Collegio, eiusq. reſidentiis ſeptemdecim; in Bazainenſi vna cum eius reſidentiis vigintiquinque. Damani quinque; Ciauli totidem; in Cocinenſi Collegio reſidentiisq. vigintiquinque; quinque Vaipicotae; totidem Coulani; in Trauancoru ora quatuor; in reſidentiis orae Piſcariae ſexdecim: in domo S. Thomae quatuor; in Malacenſi Collegio ſeptem; Maluci decem; in Miſſione ad Mogores tres. Vixerunt vndecim: admiſſi ſunt in Societatem vndeviginti.

DO-

DOMVS PROFESSA Goana.

EST Goana professa domus in ipso pene Vrbis centro, quo fit, vt ab omnium parentum familiarum commodum sit ad eam adire; magnus quotidie frequentia celebretur, vt anniuersaria die, quo ea celebria nobis templa sacra solemni cerimonia reparantur; mille, & quingenti, in aede nostra cum sibi pane recreati sunt: mille sexcenti die sacro Virginis, cui à spe nomen est, indictam: qui dies eiusdem Virginis natalitijs vrbere loci huius religiose colitur. obiere diem suum in hac domo nostri P. Franciscus Monclarius, qui aetatem bene longam egerat in Societate, neque ita multis annis ante huius Provinciae Procurator Romae redierat. Praeter hunc P. Franciscum Andradium, qui in hac domo Minis stri munere fungebatur. fuerat hic superiore anno in classe Malabarica magno cum fructu. quibus perfunctus laboribus, onus illud in hac domo subierat: nec dubium, quin e maximis vtilissimo, inito modo, morbum contraxerit. Tertium occessit Dominicus de Aluarenga cadiuitor, prouectae aetatis, & qui magna cum omnium probatione multos iam annos fidelem operam praestiterat Societati. eueri, qui in hac domo versati sunt non in Lusitanorum ciuium modo: sed & Ethnicorum saluae procurandae laborarunt. nam praeter eos, qui toto anni decursu in nostro templo sacrum baptisma susceperunt, qui ad octingentorum numerum pertenere, ipso Circumcisionis Christi die, quo dies venerandi sacrosancti nominis Iesu memoria,

cui sacra nostra dicata aedes est, augusta cerimoniis celebratur, solenni ritu, apparatuq. maximo multorum neophytorum baptismus religionem fecit laetiorem. Porro Christianos inter dissidia multa composita, multaeq. condonatae inuicem offensae: e quibus multa tranquillitas est consequuta. Sex, septemue homines à mutuae caedis consilio, in quam coniurauerant, reuocati. Alius ab insidijs, & nece, quae illi ab inimicis parabatur, admonitu nostrorum liberatus; magnaq. cum multorum voluptate pax inter ipsum eiusq. inimicos constituta. Crescit in dies frequentia ad Catechismum; magnaq. inde vtilitas exibit. Adolescens, audita de vtilitate confessionis disputatione, inde digressus, totius vitae peccata sacramento rite expiauit: tantoq. studio pietatis est incensus, vt de vitae mutando statu consilium susceperit; religiosaeq. vitae institutum sit amplexus. Ciuitas vniuersa mirifico studio est erga nos, id ciuium declarat liberalitas: nam praeter vsitatas, quotidianasq. eleemosinas, quibus familia haec omnis sustentatur; alia extra ordinem collata sunt, quorum ad aureos bis mille summa peruenit; quibus, & noui templi creuit aedificium, & ornatus apparatusq. in dies augetur. Sumus etiam alia ex parte à diuina bonitate non vulgari aucti beneficio. P. Monserratus vna cum socio altero multis iam annis apud barbaros seruitutem seruierat; hoc anno tandem inde exemptus vterque: & quo tempore hae litterae Goae scribebantur, perlatum erat ipsos iam venisse Ciaulum, vrbem Lusitanicae ditionis, Goa leucas sexaginta dissitam. Diuinae bonitati laus. De missione ad Mogores recantes nuncij venerunt, P. Hieronimum Xauerium, sociosq. duos

duos reliquos, qui in Achibaris regia versantur, aliquot sacro baptismate lustrasse: alios Ecclesiastico ritu matrimonio iunxisse: alios praeterea in Christiana religione vita functos Ecclesiasticae sepulturae tradidisse, iustis ex Christiana religione magna cum infidelium, atque adeo ipsius Regis probatione persolutis.

COLLEGIVM Goanum S. Pauli.

EX octoginta tribus, qui Goae in S. Pauli degunt Collegio Sacerdotes sunt viginti, fratres reliqui: ex his septem Theologiae, tres casuum conscientiae studiosi, quindecim philosophiae, humanitatis septendecim: tres grammaticae magistri, duo pueros legere docent, ac scribere; sexdecim ministeriis domesticis inseruiunt. Annus parum saluber, morbis passim grassantibus, huic quoque familiae fuit infestus. multi saeua lue afflicti, tres morbi grauitate nobis erepti. Gaspar Garcesius Theologiae studiosus, magnae expectationis adolescens, & Aloysius Pintus, qui in artium studio magna cum simplicitatis & sinceritatis laude decurrebat. hos sequutus est Emmanuel Ioannes Coadiutor: qui una cum P. Episcopo Aloysio e Lusitania venerat: vir sua virtute, & prudentia omnibus apprime gratus. hi omnes vitam cum laude traductam laudabili exitu clausere. Ceterum qui in hoc Collegio versantur ita in suo quisque studio, & pietatis, & doctrinae proficere contendunt, vt quantum per scholasticas licet exercitationes, etiam in aliorum salute promouenda statis temporibus in-

cumbant, quamobrem illa diebus feriatis solennia sua, concionesque habeant, catechismum curiatim explicare, navarem, argastula, triremes, valetudinaria etiam elephantiacorum instituere: interdum etiam cibum eis, qui coercentur inopibus afferre: quae eo maiore cum affectu pietatis obiere, quod superiore hieme cuncti se per exercitia spiritualia ad maiorem ardorem pietatis excitarunt. Appetente festo die Conuersionis S. Pauli dicato, qui dies Collegij titulo sacer est, fuere diuersis ex locis contrahendi ad baptismum catechumeni. itaque sodales partiti inter se parecias, tum quae intra, tum quae extra vrbem sunt, alij alias de more obiere conquirendis catechumenis, hinc suam quique parteciam adeuntes. ita diuina prouidentia eorum conatus promouente, diebus duobus supra ducentos catechumenos congerunt: laetum vtique spectaculum, & Deo cum primis acceptum referendum. aduenere enim sub vesperam per vicos vrbis, & plateas sodales nostros quasi e praelio Amalecitarum cum praeda redeuntes. & hunc quidem sex, alium vero decem quindecimue, & eo plures catechumenos ad Ecclesiam adducentes. Et quidem in eo maiore obeundo multa euenere narratu non indigna. In Lusitani hominis palmeto cum quaesissem, an aliquis adhuc Ethnicus Christiana fide imbuendus superesset, duos tantum reliquos esse respondere. Sanam quendam, & amum aliam; verum tanta vtranque pertinacia, vt ipsis quindecim annis neque minis, neque precibus vnquam potuerim e diuitia sua dimoueri. potiore nihilominus sodales vt ij adiuuarentur, veniunt: eos nostri aldequuntur. sed nimirum vt poma in ramis alia citius, alia serius, omnia tandem suam maturitatem asse-

assequuntur: se pertæsa illa, tempore & sic diuturno obdurata, ad nostrorum sermonem, diuina sese infundente gratia, mitescere coeperunt. ita factum que Christianum se velle fieri professus est. quinetiam à Sene x dari sibi postulauit spatium Dominicum in diem, dum ethnicos alios propinquos suos ad fidei lumen intuendum aduocaret. ita non ille dua. solùm, qui durissimi antea putabantur emolliri; sed eorum etiam opera alij ad Ecclesiam adiuncti. Alij duo dum per urbem orphanum sibi notum quaerunt, in puerum incidunt Brachmanam a prima nobilitate ciuitatis. erat is duodecim circiter annorum. & ferme ethnicorum filij à prima aetate odio Christianorum, aduersaq. de ijs opinione imbuuntur à parentibus: vt nostrum persaepe horreant aspectum. quaerunt tamen è puero fratres, an Christianus esse velit, puer perfecta fratrum caritate, ac mansuetudine, vt acri erat ingenio, abiecto metu, nonag. concepta de ijs opinione, annuit; seq. nostros ad catechumenorum Collegium sequi velle respondet. nostri veriti ne quem à propinquis, qui iam de illo eximendo conspirabant; apud Lusitanum magnae auctoritatis virum, puerum deponunt tantisper, dum illius diei negotium obirent: sub vesperam eodem redeunt, puerum ad Collegium vt adducant. puer vestem lectiorem, pecuniamq. quam pater peregre profectus apud propinquum suum deposuerat, apud quem tantisper alebatur, sibi vt redimere liceret, contendebat. eius postulationi obsequendum esse censuerunt fratres. ergo inter eundum diuertunt ad propinquum: ille, dolore in praesens dissimulato, pueri petitioni satisfecit; reddidit sine mora quicquid ille petijt. Verum iam anus Idolatris oratorem, qui perpetuo degit in hac

orbe; clam sollicitauerat in nostros. is dum nostri rendunt ad Collegium, misit qui suo nomine ab ijs puerum repeterent. nostri se ad Collegium respondent properare: neq. diei horam dare spatium ad longas miscendas altercationes: si quid ab ipsis velit, illic commode omnia posse transigi. Interim orator, suorum coacto agmine, superuenit: magnis vocibus queritur sanctam turbari pacem; ciuium abripi liberos inuitos: se hanc iniuriam cum Prorege expostulaturum. inter haec puer non se tum primum repentinum hoc Christianae religionis studium suscepisse narrabat: sed multo ante Christianorum templum, cui à misericordia nomen est, ingressum; infantis Christi incunabula in praesepis simulacro conspexisse; seq. multum illo aspectu recreatum esse; ex eo tempore Christianam religionem cogitasse; hanc primam sibi oblatam occasionem auide arripuisse. proinde comitetur barbari audetis; fratres rogabat, se cum homine committerent; plane illi se asseueraturum, velle sua sponte Christiana sacra suscipere: ita irato homini os obstructum iri. tam certa pueri perspecta voluntate; illum freti maxime, constantia, in proximam concedunt Lusitani domum: ibi puerum in Caleuitani colloquium admittunt: is barbaro, post aliquam disceptationem, ita satisfecit, vt ille acquiesceret; seq. suorum leuitate decepium esse quereretur, qui sibi falsa pro ueris nunciassent. Puer ex eo congressu victor tanta laetitia discessit, vt Mauris omnibus, quorum illi sectam colunt, caterua infernarum acierum dira exetratione precaretur. Mirum est quanto is nunc studio flagret, quantamq. in eo diligentiam adhibeat, quamplurimos vt ad Christi fidem pertrahat; & iam septem octoue pueros item

Bra-

Brachmanas in suam sententiam attraxit: ex iis q. duo Boti sunt, qui apud eos sunt religiosi, ac praeter ceteros suorum rituum, suarum superstitionum seruantissimi. Est etiam inter eos alius Brachmanae filius, hominis in primis opulenti & honesti, is nobilem nullum, neque Lusitanum, neque Indum, neque Maurum paullo maioris dignitatis praetermisit, quem non fatigarit, vt ad Proregem, & Archiepiscopum repetendi filij deprecatorem adhiberet. à Praefecto etiam Pondano litteras expressit, quibus tum ipse Prorex, tum Archiepiscopus rogabantur, sibi vt in eo gratificarentur, Brachmanam vt puerum tantisper parenti restituerent, dum ipse satisfieret. eo denique deducta res est, vt extra Collegium libera pueri sententia exquireretur; an sua sponte ad Christianam religionem se conferret. Interim pueri ceteri, qui erant in Seminario, cognito periculo commilitonis, quamuis nondum sacris aquis initiati, Christianae tamen pietatis praeclarum specimen dedere, precationibus, ieiunijs, flagellisq. suscipiendis, & alijs, atque alijs votis faciendis, religionibusq. assumendis. Demum Dei benignitate factum est, vt puer ita de sua voluntate, susceptoq. libero consilio disputarit, propinquiores vt se victos fateantur; frigidi discederent: puer gratulabundus magna cum omnium laetitia de infernis potestatibus triumphans ad Seminarium redierit. A Iudeo mercatore diuite, & opulento vxor discesserat, filiamq. bimulam secum asportauerat. pater non tam de vxore solli citus, quam infantis filiae insane cupidus, vt gens est ad mendacia, & fallacias texendas paratissima, filiae recuperandae caussa Christianum se fieri velle professus est, Proregem igitur adit, & Archiepi-

chorepiscopum filium sibi renato paßulat; ut una secum sacro baptismate abluatur. Data est opera, ut à matre auferretur; & honesta in domo tantisper detineretur, dum baptismi commodum tempus maturaret. Interim cum matre agebatur, ut ipsa quoque ad Christianam accederet religionem. Sed cum tantum ab eo consilio abhorreret, ut paulo etiam, unde quæ furia ediscerentur, magna pollicitatione, ad eam sibi elamculum, prædendam solicitaret: re cognita, Archiepiscopo paulum eo visse aßuriari, unde ne tenuis quidem suspicio posset ad matrem pervenire. Et quoniam pater paulum iam citra Ecclesiæ detulerat, statuit quamprimum magno apparatu eius baptismum celebrare, quando perfidus pater mutata voluntate secum verterat. Hæc in urbe. In vico extra urbem ad amicitiam nostrorum, qui ad mundum animos prædiderant, matrona Lasiana in primis honesta suorum ortum popularium contemnit: in qua Brachmanis femina eius vici primaria puerum ille circiter annorum secum duxerat: hunc e fratribus alter unicus hæredem ex facto: parvuli eo puer; nostrisq. ita se admirante; ut licet à matre studiose admodum removeretur, nunquam tamen potuerit adduci, quin ut sequeretur fratrem, ad Seminarium Goam ducentem, tam tenera ætate pedes sequeretur. Fuit exemplum sequuta inde mater. Pater abiens cum paulo post rediisset, re cognita, vehementer quidem animo indoluit. Verum non ita multo post exacta ætate senex, Goam contendit ad Collegium: patrem adit, postulat, ut, quando suæ frustra omnem (sic enim fidelem appellabat) opem sibi haberent, se quoque eisdem mysteriis imbuerent: velle enim una

cum

cum suis Christianam pietatem colere. Magno cum honore ab Archiepiscopo baptizati sunt: puer tamen nunquam induxit animum, domum libens ut rediret. parentum instar sibi esse dictitans Societatis patres. ita necesse fuit eum mensibus aliquot in Collegio retinere, vltra terminum, diutius. quo tempore interim melius Christianae fidei rudimentis est imbutus: nouaq. postmodum fuit ars excogitanda, vt domum non inuitus repeteret paternam. In vico alio fratres alij duo anum offendunt, quae nonum supra centesimum agebat annū. hanc ad eam diem aeterna prouidentia conseruarat ad baptismum. igitur ex ea quaerunt fratres, an Christiana esse velit. ad Christi nomen insanum in modum rabiosa excanduit; magnisq. clamoribus ab se nostros abegit. paullo post, vt sunt illius aetatis impetus frigidiores, cum iam ira desedisset; ad ipsam ingentem pliorum, nepotum, ac pronepotum numerum adducunt, ij ferme omnes iam ante Christiana sacra susceperant. horum exemplum monent inuocatur. quotquot circa se videret, sobolem esse suam, eiusdem gentis, eiusdem sanguinis, & quod primum est, ex se genitos esse cogitaret, his omnibus patere coelum sibi sempiternos paraxi cruciatus apud inferos. enimuero non est diuina caussa deserenda, sed modis omnibus adiuuanda. prosunt nimirum artes illae, quas diuina caritas caelitus instillat. Tanto suorum mulier aspectu delenita, & futuri mali metu territa, quod non longe aberat, in primis vero diuinae lucis radio percussa, confestim in aliam mutatur; sibiq. baptismum adhiberi postulauit. nostri satius rati rem in triduum differri, anum pro captu aetatis, & vt temporum angustiae ferebant, in praesens instruxe-

struxerunt . post triduum reuersa verita femina , adhuc moram aliquam, obnixe contendit, vt quam primum se sacro baptismate lustrarent . si sine baptismo moriatur , omnem eius culpae grauitatem in ipsorum dilationem se refundere. deniq. cum satis pro aetate instructa videretur , praealto in Ecclesia suggestu excitato , magno Lusitanorum fauore baptizata est . eam Tanadaris vxor (hoc nomine locorum praesides appellant) de sacro fonte suscepit. triduoq. aut quatriduo, suo praesagio, de vita decessit . Non multo minor altera in vico altero sextum & nonagesimum agebat annum . haec triduo, quam baptismum tanta aetate susceperat, sensit se morbo lacessiri: rata sibi mortem imminere , vici parochum ad se accersit ; rogat sibi vt assistat morienti. quaerit parochus, an confiteri velit . negat neophyta scire se, quid illud sit . edocta ab ipso, respondit tota illa post baptismum aetate se rei nullius sibi esse conscium, nisi immensi à diuina bonitate accepti beneficij ; quod post tam longam aetatem sese ad Christianam attraxerit religionem , neque curam aliam toto illo triduo animo versasse: Sacerdotem vero acciri iussisse, vt extremo illo tempore se de diuinis rebus admoneret : ingenti enim sensu voluptatis perfudi se illarum rerum commemoratione . ita spiritalibus repletae gaudijs , candore innocentiae, quam in baptismo induerant, ornatae; tanquam infantes recens natae duae supra quam longaeuae in caelum euolarunt . ergo vis illa res saluti fuit, quae plerumq. solet esse detrimento, communes vitae fines excessisse . quarum si vita , quibus aliorum finibus contineretur, ipsarum prorsus erat deplorata salus . sed mutari non potuit , quod erat aeterna mente constitutum. etenim haec

nona-

nagenariam ac prope centenariam Archiepiscopus cum inter catechumenos antea vidisset, illaq. aetate Christianae fidei praeceptis imbui, conuersus cum lacrymis ad suos: En, inquit, ab his sola praedestinationis ui, vt vere dicunt, violenter rapitur caelum. Feminae cuidam in vico also vicesimo die à suscepto baptismate octo annorum filia decesserat, & ipsa baptismo expiata. cumq. postridie nostri fratres illac iter facerent, ad matronam officij causa consolandam adiuerunt. quae satis magna fide respondit, nullam se de filiae morte maestitiam sentire; cum certo sciret illam caelum conscendisse; idq. sequ sepulturae genere, praeter cetera, animaduertisse. barbarorum enim cadauera ita terrae dari, vt apparent eos in infernum carcerem detrudi: siquidem in sterquilinium proijciuntur: Christianorum vero defunctorum corpora sacris cerimonijs, & precibus cum in sacris aedibus ipsius Dei domicilijs condantur; apparet nimirum Deo caros iter in caelum tenere, proinde se consolationem non desiderare; sed tam laeta filiae conditione beatam esse. Non obscurum sane id fuit argumentum, & ingentis hanc feminam fidei fuisse, & sacros Ecclesiae ritus ad manes expiandos, & viuentium animos religione perfundendos magnam vim habere. Neophyto cuidam erat filiola trium, quatuorue annorum, haec integrum annum male habuerat. sex circiter diebus postquam ipse baptismum susceperat, vt vetus, & insita consuetudo suggerebat, cogitauerat eam homini tradere malefico, qui gentis more veneficio aliquo sanaret: sed venit illi in mentem se esse Christianum; veneficiaq. diuino numini haud placere: satius esse eam Christianorum Deo commendare: ipsum prae-

praepotentem esse, & puellae reddere posse vitae tranquillitatem. haec menti sententia fuerit. ita sub noctem, antequam cubitum concederet, supplex ad Deum conuersus, in haec verba preces concepit: Domine Deus Christianorum, quem modo in Deum mihi sumpsi, quem nunc adoro, quem credo posse filiae meae salutem dare, ipsam tibi commendo. sub haec crucis signum duxit, ac Symbolum Apostolorum, aliasq. preces, quas didicerat in catechesi, pronunciat: postero die puellam omni molestia liberam recepit. narrauit postea per noctem venerandum senem sibi visum esse, à quo bono esse animo iuberetur: futurum vt puella confestim conualesceret. Fratres duo praescriptam sibi regionem conquirendis catechumenis obibant. in puerum incidunt orphanum, nondum baptizatum, hic studio Christianae religionis incensus ad nostros se adiunxit. rem conspicati propinqui, fratres in solo loco adorti puerum abducere conantur: nostri contra retinere. inde orta altercatio. demum puerum quidem volentem tenuerunt. sed à barbaris rustico furore incitatis male fustibus accepti, aegre euaserunt: cum inter fugiendum eadem barbara comitate lapidibus eminus salutarentur. hanc laborum suorum boni sodales mercedem reportarunt. Hunc felicem rerum cursum daemon, cum aperta vi non posset, arte conatus est interturbare. itaque ethnicorum animos commouit, qui conciliis calumnijs Archiepiscopum, ac Prorègem oneraruent: nostros in ethnicis ad fidem adducendis non bona fide agere. nam per speciem quaerendi catechumenos, adolescentes Cafres secum ducere: eorum armis terreri populares; metuq. ad Christiana sacra adigi. Id cum resciisset P. Rector, ipse nemine dubium

bipennem, crimina haec fuisse à barbaris efficta, quo magis tamen veritas pateret, literas dedit ad parochos & locorum magistratus, ut rem ea-tam cuiusmodi esset, quam accuratissime cognoscerent: & an unquam cuiquam nostri fratres vim attulerint, aliquidve minus prudenter commodeve gesserint: magnopere ad illarum officium pertinere, etiam rem ab ijs summa fide indagari; quaeq. comperta, & explorata haberent, de ijs eadem fide ad se literas dare. ita rescripsere, ut unusquisque summae prudentiae, aequitatis, modestiae perhonorificum testimonium Societati daret. Cafres nullos, nullâ arma, solo binorum puerorum comitatu, qui interpretum munere fungantur, sodales suos Provincias obire: ad extremum orarent, ne eam salutare opus, in quo tanta salus animorum agitur, ullis improborum, aut ethnicorum obtrectationibus intermitteretur. His literis discussae criminationes; veritasq. tam Praregi, tum Archiepiscopo magna cum barbarorum ignominia detecta. Sed biduo antequam baptismus celebraretur, catechumeni, qui in parecias tum urbanas, tum suburbanas distributi à Seminarij clericis erudiebantur, in urbem simul omnes alij pedestri, maximo alij itinere venere, eos deducentibus nostris sodalibus, quorum nauigia multis vexillis volitantibus ornatis, multo timpanorum, ac tibiarum strepitu personabant; ingentiq. plausu comitantium. Dum ad Catechumenorum domum una tenderent, ante aedes Archiepiscopi praeterivere. is aspectu recreatus Anistibes, ad eorum domum se contulit; singulosq. ille biduo subtiliter admodum interrogauit: an vere & ex animo Christianam religionem amplecterentur: & an aliqua cupidine moveque ad id adigerentur.

gerentur. omnes in suscepto consilio laetos alacresq. deprehendit, sua quemque voluntate, solo studio salutis suae, nulla iniuria, nullo metu, sed libere animum ad Christianam religionem appulisse. id vero Antistes eo consilio se facere professus est, ut liquidius constaret, falsa esse quae à barbaris obtrusa erant contra nos. & ut testis oculatus eorum facilius obstrueret latratus, qui vel in Lusitania vel in India rem tanta integritate administratam maledica oratione carpere audebant. Ergo nulla mora in diem dictum baptismus apparatur. is fuit vti supra diximus Conuersioni Apostoli dicatus; quem diem magno populi concursu, magnaq. laetitia celebrauimus. Eo die Archiepiscopus una cum religiosis viris permultis domi nostrae prandio excepius est. post meridiem producti candidati ad baptismum, egregijs vestibus induti. Sed praeter ceteros conspicui fuere pueri Brachmanae. hos viri primarij singuli singulas splendidiore cultu vestiendos, ornandosq. suscepernnt. omnium numerus ad quadringentos peruenit. magna pari ab ipso Antistite sacris aquis abluti, magna cum ipsius animi voluptate. Valdeq. talis escae iucunditate deleuitus, auidus eiusmodi epularum cum abesset, Vicarios omnes paraciarum ad se accitos vehementer ad curam, studiumq. propagandae fidei hortatus est. ipsarum muneri multo magis incumbere, quam Societatis hominibus, homines ad Christum adiungere: illos praesertim, qui in illorum administratione degunt. proinde in proximum pascha quamplurimos earum quisque ad baptismū adducere studeat. eos, qui diligentius, industriusq. in ea re se gesserint, honoribus, emolumentisq. auctu rum; vicissimq. segnes, ac torpentes eo loco habiturum

bitur̃, quo cuiusque culpa digna fuerit. hac Praesulis hortatione stimuli parochorum animis admoti; excussaq. socordia, ita pro se quisque studiose in eam rem inuigilare, satagere, barbaros ad fidem adhortari. ex quo factum est, vt sabbatho, quod Paschae resurgentis Christi antecedit, qui dies vetere Ecclesiae consuetudine baptismis celebrandis sacer est, triginta circiter catechumeni ab Archiepiscopo pontificali cerimonia sacro baptismate lustrati sint. Haec de sacris rebus. Scholae discipulos habent quales volumus; progrediuntur ad vtrunque studium & pietatis & doctrinae: sed excellunt in primis alumni Seminarij, bis hoc anno praemia distributa; semperq. ij praecipua tulere. Et quidem quantum in pietate proficiant illud argumento sit, e prima humanitatis classe in qua declamationibus habendis scribendis versibus emblematis, assumptisq. insignibus ad concepta studia significanda describendis accurate se exercent; quatuordecim hoc anno religiosum vitae suscepere institutum, decem S. Dominici, quatuor nostrae Societatis: e secunda vero vnus se ad Capuccinos contulit: adolescens alius, non contemnendis animi dotibus Theologus, ad Augustianos. Attexam ad scholas, quoniam res aliquam coniunctionem habet, & de aduentu Archiepiscopi ad nos. nam quo die primum Collegium inuisit, exceptus est magno apparatu. Venit recta ad templum: ante templi fores tabernacula quatuor excitata erant ornatu magnifico; e quorum primo Angelus huius praeses Ciuitatis prodiens, Antistitis aduentum gratulatus est: ex altero Ciuitas ipsa operam suam ei detulit, & operarum multitudinem, vt ad Ecclesiae vineam colendam ab ipso instituantur: e tertio fides

quanta cepisset adhuc in his terris, & quanta ipsius aduentu speraret incrementa declarauit. Quarto Apostolus Paulus doctorem se gentibus à Christo datum, non ijs defuturum, qui in Christi plebe erudienda laborarent, affirmauit. Mirum gratulatione hac quantum pius Antistes laetaretur, vt prae uoluptatis magnitudine tenere lacrymas non posset. aeque grata res accidit, & alijs proceribus, qui ipsum honoris caussa comitabantur. Collegium ingressus eo die nobiscum cibum sumpsit: scholas singulas adiuit: atque in omnibus pro vniuscuiusque captu varijs musarum fructibus exceptus est. res paullo fuit operosior, vt inuisendis omnibus cum matutinum tempus non sufficeret, pomeridianum fuerit addendum.

COLLEGIVM Salsetanum.

SALSETANVS ager ad Goanam dioecesim pertinet. in eo Collegium Spiritus Sancti inuocatione in vico, seu opido Margano, & Residentiae sex, varijs eius orae locis distributae. in ea excolenda vinea socij septemdecim versantur; quorum tredecim sunt Sacerdotes, laici quatuor. hi praeter quotidianam de sua Ecclesia sollicitudinem, magnam in eo diligentiam adhibuerunt, vt Christi gregem nouis subinde augerent incrementis. Tredecim plus minus in Salsetano tractu pareciae sunt; in ijs Christiani censentur omnino triginta quatuor millia octingenti octo. multiq. quotannis Christo aggregantur. Et quidem hoc anno baptismum e Salsetanis susceperc mille quingenti & triginta

ginta : catechumeni erant circiter trecenti. confirmationis sacramento consignati sunt ad tria millia, & quingenti, & eo plures. Sunt praeterea in singulis parecijs catechismi scholae, quibus ingentia puerorum agmina Christianae fidei praeceptis imbuuntur. de quibus in singulis parecijs dicetur. Ac primum in Marganensi parecia tantum Christiani sex millia sexcenti numerantur: pueri vero Christianae doctrinae scholam frequentant mille quadringenti quadraginta sex: ex ijs sexagintaquinque litteras docentur: hi diebus festis vicos adeunt remotiores, rudimenta fidei ipsi vicanos edocentes. Margani vero in templo Spiritus sancti trecenti baptismum susceperè. Obiuit suam dioeceſim Archiepiscopus Goanus. Marganum cum venisset, exhibitum est ei drama vernaculo huius gentis idiomate, de martyrio Sanctorum Viti, & Modesti, magna tum ipsius Antistitis, tum Christianorum, ethnicorumq. omnium, qui ad id spectaculum conuenerant, voluptate simul & probatione. Ecclesiam cum perspiceret, Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum in templo palam iussit asseruari. Ei religioni instituendae certa dies constituta, publicaq. in eam diem indicta supplicatio. Conuenere eo die totius orae Salsetanae Christiani magno numero: & quam maxima pietate ducta supplicatio, ferebatur Sacrosancta Eucharistia sub Attalica Vmbella, incensis funalibus comitantibus plus ducentis, minoribusq. faculis nullo numero. magnam eo die haec nouella germina Ecclesiae praesetulere pietatem: ingenti omnino Christianorum veterum laetitia: vt merito immortales Deo O. M. grates ageremus. Institutum est, vt suam quisque sacem Christiani agmi habeant,

beant, qua Sacrosanctum Christi Corpus prose-quantur, cum ad aegrotos deportatur. qua in re, est eorum sane pietas laudanda; quod non solum magno studio cum facibus accurrant, sed viae etiam purgentur, magna cura aegroti domus exornetur; aedes, vicinaeq. passis ramalibus sternantur. Et cum feria v. caenae Domini antiquo Ecclesiarum instituto, ornato seorsim ad id loco sacra condita, esset Eucharistia, Christiani aliqui in armis ad custodiam ieiuni vigilarunt, quo die à tribus, quatuorue circa lucis incredibilis fuit concursus virorum, ac mulierum, quam maxima pietate eam religionem obeuntium. multi eo die sese flagellis caecciderunt: vespere item acta supplicatio, magno numero funalium, magna pietate, lacrymisq. laudanda in primis Dei bonitas, quae tantos in neophytorum animis excitit sensus pietatis, vt tam iucunda cum eorum voluptate sacras hasce religiones frequentarent. Eadem etiam, & maiore, adhuc frequentia praesepe Christi Domini, natalicijs ipsius celebratum est. Siquidem ad id visendum non Christiani solum, sed ethnici quoque conuenere tanto numero, vt octo, decemue dies totos, non viae solum, sed ager etiam vndique multitudine tereretur aduentantium; nec sine muneribus, Magorum ad similitudinem incunabula infantis Christi adorarunt. Neque irriti illi fuere apparatus, neque inanes concursus adeuntium. nam ad ceteros pietatis fructus etiam illud accessit, quod miraculo non caruit: diuinae certe lucis luculentus radius e sacro illo mapali, humili maximarum rerum effulsit argumento. Adolescens Brachmanna quindecim, sexdecimue natus annos. e pio illo spectaculo se tam dulcibus motibus intra sui

pectoris

Digitized by Google

pectoris arcana sensit agitari, vt ab eo conspectu dimouere se non posset. itaque cum saepius iteratis vicibus iret, & rediret, iniectam sibi tandem caelitus flammam concepit. Erat is Margani claris ortus natalibus, parentibusq. inter ethnicos viris primarijs. hic prima noctis hora clam venit ad Collegium, baptismumq. petijt. Haec cum extremo anno facta sint, quae postea in hoc adolescente contingerint in sequentis anni litteris reddentur. Racciolí parecia altera bis mille ac trecenti viginti Christiani numerantur: in schola Catechismi pueri quingenti sexaginta duo: baptisma susceperè septingenti, & eo plures. neque vlli iam in Racciolano agro ethnici supersunt, praeter Corumbinos, gentem siluestrem, & victus consuetudine immanem: reliqui omnes iam in Petri naui sulcant aequora. Sacra aedes B. Virginis ad niues absoluta tandem est: eaq. specie, & elegantia, vt omnibus quot habet Salsetana Regio, anteponatur. in ea quoque sacrosanctum custodiri Christi Corpus idem iussit Antistes. estq. eodem & hic apparatu, cerimoniaq. salutari instituto initium sactum; habitaq. eodem die concio magna Christianorum omnium laetitia. Ad Mazordam est heremitorium Virgini dicatum. sunt in vico fideles bis mille trecenti, & vigintiquinque: quadringenti, & quinquaginta quinque pueri Christianae doctrinae frequentant scholam. lustrati sacris aquis duo, & septuaginta, quadraginta duo Catechumeni. magna omnes pietate; & vt in tutela positi B. Virginis, praecipua religione prosequuntur diem sabbathum. itaque eo die rei sacrae causa magna pietate heremitorium frequentant. ferunt suam sibi quisque candelam; eamq. quamdiu

durat sacrificium, accensam manu tenent: offerunt sua munera, vota nuncupant; atque ob eiusdem Virginis venerationem ieiunia eodem die suscipiunt. certa vtique argumenta, intimis eorum animis veram insidere pietatem. Est etiam loci illius praecipua religio dierum nouem periodum certo pietatis genere obire; eoq. expleto nundino, confessione expiatos sacrosanctam percipere Eucharistiam. neque in ijs rebus solum, quae corporis postulant obsequium, Christianam praeseferunt pietatem: sed pecunia etiam, & pia liberalitate, pro captu gentis veterum Christianorum aequant probitati. Eorum vnus inauratum calicem ad sacrificia cum B. Virginis tabula dono dedit. quae omnia ducentis viginti quinque pardais aestimantur. Ex alijs pardai centum viginti eleemosinae nomine collecti, oleum alius dedit perpetuo lumini diu, noctuq. ante altare Virginis alendo. Neque clementissima parens horum sibi deditorum deest pietati. In amentiam e Christianorum numero quidam deuenerat, ita ut insaniret. eum propinqui ad Virginis aedem adduxerunt; sacro Missae magna pietate interfuerunt; aegrumq. vna vt interesset coegerunt: tantoq. animi affectu, ac fide diuinae matris opem implorarunt; vt integram ei sanitatem impetrarint. Eius rei fama dissipata incredibili Christianos laetitia affecit: eorumq. erga Virginem matrem pietatem, & sacrae aedis cultum auxit, & frequentiam. In Mormugano vico est Ecclesia S. Andreae: Christianos numerat ter mille, & ducentos quadraginta septem: pueros in doctrinae Christianae schola trecentos. viginti tres supererant nondum admissi ad Ecclesiam: hi quoque tandem salutari lauacro expiati, vt nulli in

hac

hac parecia, neque infideles, neque catechumeni superſint. Et his templum eleganti admodum ſpecie, & commoda ſatis amplitudine abſolutum. Cortalini in parecia Sanctorum Philippi, & Iacobi Chriſtiani cenſentur mille quingenti ſexaginta tres: doctrinae Chriſtianae ſchola pueros inſtruit centum triginta: admiſſi centum ad baptiſmum: viginti informantur catechumeni. Huius Eccleſiae neophyti confeſſionis ſacramentum praecipuo ſtudio colunt; magna etiam veneratione ſanctificatam aquam, quam etiam in morbo adhibent magna pietate. & ſaepe illius beneficio valetudinem priſtinam recipiunt. ſunt etiam erga Eccleſiam, & res diuinas liberales. tria altaria ſacra tabula cum affixa umbella, & velo ad ſacram operiendam imaginem, indumentaq. ſacerdotalia oloſerica ex collaticia pecunia, homines quamuis tenuet, & nouella fidei germina comparārunt. magnifaciunt religionem: diuinumq. erga ſe ſuae vocationis beneficium agnoſcunt. Magna huius gentis pars, & ſi indigenae, & ethnicis prognati, Maurorum religionem ſuſceperunt: ab ipſis Mauris, qui ſe ex Africa in Orientem effuderunt, ductu haud dubie inferni daemonis, nefandam edocti ſuperſtitionem. Ex his mulier Chriſtianis ſacris initiata, in hac terras, vt inter Chriſtianos vitam ageret, ſe receperat. haec fidei lumine beneficij à Deo accepti magnitudine permota, rediit in patriam filiam, quam reliquerat, vlam inde aſportauit, magno ſuo, & filiae periculo ſi deprehenderetur: Chriſtoq. adiunctam Chriſtiano adoleſcenti tradidit in matrimonium. Virgo alia ethnica tredecim circiter annorum adoleſcenti item ethnico extra hos fines deſponſa erat. haec de Chriſtianorum religione in-

audiuit, eamq. statim coepit adamare. & licet inter Mauros educaretur, rationem tamen iniuit, qua se ad opida conferret Christianorum. patrem e societate adijt: ab eo petijt, vt se Christianae religionis faceret participem. Sacerdos illam diligenter de rebus omnibus erudijt; tantumq. diuinae lucis animo concepit, vt adolescenti, cui desponsa erat, mitteret, qui ipsum suo nomine rogaret, vt ad Christianorum religionem se conferret: ea ratione futurum, vt laetas nuptias contraherent: puellae rogatu adolescens ad Christianos se recepit; & vt primum satis doctus nostrae fidei mysteria visus est, vterque sacro lauacro tinctus Christiano ritu in facie Ecclesiae matrimonium iunxerunt: laetiq. noua religione in Christiano matrimonio, Christianam vitam peragunt. Puellae quatuor, quae inter infideles in Brachmanum familia viuebant, nostro Sacerdoti per secretum internuncium significarunt, se quominus ad Christum venirent, eq. Maurorum finibus excederent, nauigandi difficultate impediri. dedit operam pater, vt ijs de nauigio commodaretur. quae ad Christianorum oram delatae catechismo imbutae, baptismi sacramento fidelium coetui sunt aggregatae. sunt vero hi neophyti in religione retinenda, vt ex ijs, quae dicta sunt, apparet, constantes. & vere habet veritas; vt semel agnita ametur, auideq. teneatur. quod si qui forte aliquando illam deserunt: vix est, vt sibi secus esse persuadeant, quam vt antea in animum induxerant. Sed videlicet amor licentiae, & integritatis retinendae difficultas homines abducunt, quo cupiditates trahunt. ea tamen est religionis virtus, vt ipsius splendor non illorum exemplo solum, qui de sententia non mouentur; sed aliorum

etiam

etiam leuitate, qui ab optimis consilijs recedunt, euincat. quod in sex horum neophytorum perfectum est; qui post susceptum baptisma, siue sua commoda sequuti, siue integrae vitae negligentia, quaecunque causa fuerit, aliquot annis longe à Christianorum finibus, inter ethnicos versati erant. hi postmodum facti poenitudine permoti, magna significatione pietatis ad Christianos rediere; erratiq. venia petita, poenitentium poenas magno animi dolore subierunt. Et vt intelligatur, quam prona sint omnia ad Christianam in his locis religionem propagandam; non Christiani solum; sed ipsi etiam ethnici, huius orae praesertim, Ecclesia, rebusq. nostris delectantur, & magna etiam veneratione prosequuntur. Sacerdotem vero nostrum ita obseruant, vt in suis rebus ab ipsius consilio non recedant, tantam de illius sapientia, & probitate opinionem concepere. In Parecia Sanctae Crucis de Verna Christiani habentur centum decem supra mille: in doctrinae Christianae schola, pueri centum sexaginta: admisse hoc anno ad baptismum duo & septuaginta: quatuor supersunt catechumeni. Et hic aquae lustralis miracula in aegrotis tribus renouata magnam in noua Ecclesia eius religionis, ac lustrationis venerationem excitarunt. febre illi laborabant, qua simul liberati sunt, atque sacram aquam e templo petitam magna religione hauserunt. Graui morbo puella Christiana tenebatur, ad eam curandam pater homo imperitus medicum infidelem adhibere cogitauit. recusauit id puella, quod eos sciret in suis curationibus superstitiose adhibere cerimonias, & inferni hostis vti inuocatione, magna cum diuini numinis offensa: proinde mori malle, quam talibus auxilijs vitam

reti-

retinere. quare, ingrauescente morbo, sacramentis Ecclesiae munita, adhibita etiam extrema vnctione, Iesu nomen extremo spiritu ingeminans, ad suae fidei, pietatisq. mercedem magna felicitate euolauit. In parecia S. Michaelis Vrlimensi quater mille quingenti septem Christo sunt adiuncti: ethnici, catechumenique nulli sunt: Doctrinae Christianae schola pueri eruditur septingenti: docentur litteratum Lusitanicas, tum Canarinas quinquaginta. Idem Missae sacro commode ministrant; aliisq. Ecclesiasticis ministeriis pro captu assuescunt. gens vniuersa multa pietate praecipuo in honore habet confessionis sacramentum: accurateq. & subtiliter culpas omnes excutiunt. magnum haud dubie argumentum Christianam pietatem eorum animis haerere. Coluana S. Ioannis Baptistae, & Cortarinensis S. Alexij pareciae adhuc templo caruere: haec quia Racciolanae adiuncta erat: tantisper tabernaculo ad Ecclesiam ramalibus excitato vtitur: illa collatis eleemosynis extruere iam coepit. vtriusque vero populi religionem quam studiosissime colunt: seq. spirituali patri admodum praebent obsequentes. Christianorum capita recensent Coluana mille septingenta octoginta, pueros ad doctrinae scholam cogit quatuor supra quingentos; sacro fonte abluit triginta. catechumenos retinet ad decem. Cortarinesis vero Christianos numerat mille trecentos; catechumenos vero quinque & triginta. Minores aliae quatuor pareciae Christianos continent omnino quinquies mille septingentos, triginta quinque: pueros in Christianae doctrinae scholis mille ducentos sexaginta septem; Catechumeni duodecim sunt in parecia S. Thomae. In Parecia vero S. Mariae ad

mar-

martyres quinquaginta hoc anno baptizati. Haec de Salsetana Ecclesia.

CIAVLANA DOMVS.

CIAVLANAM domum, quae Goa in Septentrionem sexaginta distat leucis, socij incolunt quinque: Sacerdotes tres, cum fratribus duobus. Hi quamuis pauci numero, ministerijs tamen Societatis exercendis strenue inuigilarunt: poenitentibus aures dederunt, conciones habuerunt, dissidentes reconciliarunt, carcerem & xenodochia inuiserunt. Impetrata venia est caedis adolescentis vnius, sinistro casu inter familiares illatae. Alij grauium criminum falso accusati, nostrorum opera, qui illorum consci erant innocentiae, carcere emissi: corrogatis eleemosinis multorum inopiae consultum, quorum animi salus in discrimen versabatur. Sacra vestis multis rebus aucta, altaris frontale, cum sacris reliquis indumentis, pluuialibusq. rubro ex eteromallo, vesteq. Attalica, & vela bombycina nonnulla tegendae sacrae tabulae, & haec omnia ex eleemosinis comparata. Scholae modestos admodum habent adolescentes, & doctrinae, & pietatis egregie studiosos. eorum multi octauo quoque die peccata confitentur. Egit cum ijs P. Rector, vt diebus sabbathis B. Virginis litanias concinerent, & antiphonam Salue Regina. id illi tanta alacritate susceperunt, vt certarent inter se. quis ad eam rem omnium maximum studium, pietatemq. conferret.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Bazainense.

QVATVORDECIM Bazainense Collegium tenuere, Sacerdotes sex, non Sacerdotes octo. septem praeterea ad hoc Collegium pertinent, varijs residentijs distributi. Obijt extremum vitae diem P. Georgius Gomezius, huius Rector Collegij, spectata in primis virtute vir in utroque genere valetudinis, & secundae, & aduersae. Quod ad Indos ipsos attinet ad Christi fidem hoc anno centum viginti venerunt. in ijs euenta nonnulla admirationem habuere, certamq. materiam aeternae praedestinationis collaudandae. Venit ex remota admodum regione homo ethnicus Sacerdotem quaesitum, qui se sacro baptismi lauacro expiaret: perq. Deum obtestari coepit, ne sibi sua vota differrentur. instruitur; satisq. doctus abluitur baptismo, integer, & validus; tertioq. die vitam summa cum animi laetitia, quod iam Christianus factus esset, Iesu nomen ingeminans, finiuit. Alius magna contentione baptismum postulauit: cuius cum factus esset compos, postero die excessit e uiuis; moriens q. non obscura suae salutis signa dedit. eius vxor tum leui morbo tenebatur, voluitq. & ipsa baptismo expiari, haec eodem quo baptizata est die, à Christo domino magna cum ipsius de noua susceptа religione laetitia e corporis carcere deducta est. Sacerdos e nostris in miserum incidit ethnicum, qui morbo non ita graui laborabat. hunc pater saepius ante de nostra suscipienda religione compellauerat; cui semper ethnicus tergiuer-

Digitized by Google

giuersando responderat; id tum se facturum cum sua aduenisset hora. hunc ergo in eo statu cum vidisset pater, quaesiuit; & quid adhuc ea, quam toties praedixerat, hora aduenisset? veniisse, respondit aeger: proinde rogare patrem, se instrueret: non esse diutius baptismum differendum. vt satis instructus visus est, baptismo expiatur, ac post paullo tanta animi laetitia, pietateq. exhalauit animam, vt intimo quodam sensu pietatis eos, qui illi astabant, affecerit. Adiecit ad rem Christianam non leue momentum ethnici hominis magnae inter suos auctoritatis, ad fidem accessio. hic generis nobilitate, & prudentia longe suae gentis multis anteibat: sed in sua perfidia magna semper restitit pertinacia. ac si quando à Christianis de religione compellabatur, vt erat ingenio acri, & elato, risu, iocisq. petitiones omnes eludebat. hic demum Dei bonitate diuina luce illustratus, coepit sensim diuinae legis excellentiam suspicere; maioremq. in dies de ea concipere opinionem: donec penitus in alium conuersus, illam ita ex animo complexus est, vt eius praedicator ac disseminator factus, multos studio suo, contentioneq. à Paganorum caecitate ad Christianae lucem veritatis attraxerit. Speramus, quae est apud Paganos auctoritate, multo adhuc plures ad Christum per eum aggregatum iri. Et cum aliae multa hoc anno notatu digna contigere, tum non in postremis habendae sunt eleemosynae. Vidua mulier villas duas assignauit, vt ex earum vectigalibus Ecclesiae ornatus augeretur. alius eiusdem rei caussa pardaos centum annuos legauit: dedit alius totidem centum, ad leuandam impensam sacri pegmatis inaurandi. eiusdem rei ducentos alius legauit, sacram tabulam sua impensa

pensa curauit alius, ad vndecim mille Virginum altare exornandum. quam eandem impensam alius non contemnenda pecunia subleuauit.

COLLEGIVM Damanense.

DAMANI Sacerdotes tres, duobus fratribus adiutoribus in hominum salute procuranda eadem praestitere, quae sunt Collegijs ceteris solennia. Illud euenit insigne. Grauis inter ciues discordia exarserat in electione magistratuum; vt ciuitas vniuersa duas discederet in partes, atque vtrinque armati cogerentur: ex quo magni rerum motus, & ruinae timebantur. iamq. eorum aliqui saepius venerant ad gladios, eratq. ciuitas in magna trepidatione. Interposuit sese in eo tumultu quidam e nostris Sacerdotibus; & Dei beneficio omnis illa concitatio desedit; ciuesq. reconciliatis animis contentionem remisere. Spoponderuntq. se, quaecunque sibi inuicem occurrerent, communia sibi humanitatis officia exhibituros. Adolescentes aliqui in agro sibi occurrere: & vt fit, orta inter eos altercatione, ad rixam, & scelopos venerunt. commissa pugna accurrere nostri in tempore; aegreq. nec citra periculum furiosam eam litem diremerunt. diuinaq. haud dubie prouidentia, adolescentium miserata imprudentiam, factum est, vt nulli vulnerati sint; cum scloporum glandes ipsorum corpora horrendis sibilis praeternolarent. Graue crimen religioso viro existimationis integerrimae ab inimico homine falso obiectum erat. res erat summa infamia alteri, ni refelleret; maiore

alteri

alteri cum pernicie coniuncta, si crimen redarguere-
retur. nostrorum opera omnis illa discussa caligo
est; citraq. ullius damnum viro innocenti sua
stetit existimatio.

COLLEGIVM Cocinense.

SECVNDVM Goanum Collegium eorum, quae sunt in India, Cocinense est praecipuum; in ora Malabarica, Goa dissitum in austrum leucas centum. socios alit vnum, & viginti, Sacerdotes octo, tredecim fratres. Versatur nostrorum opera tum in nouis Christianis excolendis, Paganisq. ad fidem adducendis; tum in veteribus, Lusitanisq. in officio Christiani hominis continendis; multa inter eos dissidia reconciliatione gratiae sublata. duo praeter ceteros cum inimicis reconciliati, e quibus ipsis diebus nece Christi recolendae sacris, alter ferro, alter alapa violatus erat. incommodis aliis permultis obuiam itum. Fidem suam obligauerat mulieri adolescens, quam, vt praestaret, nullius opera, monitionibusue adduci poterat, cum alij multi, & in ijs ipse Antistes, in id laborassent. ad extremum e nostris vnus sot rationum, monitionumq. machinas adhibuit, vt expugnarit obstinatum animum; contractoq. cum muliere matrimonio, fidem suam liberauerit. Ad baptismum venere septuaginta: messis haud dubie parum copiosa; sed non mirum aduersa in praesens tempestate. Cocinensis enim Rex, vt etnicus, & apprime superstitionis suae studiosus, non modo Christianã rem non promouet, sed plane contra quam

tum

rum potest impedire. Est neophytorum curae, procurationisq. praepositus Sacerdos e sociis. is vulgo Christianorum pater appellatur. Egit hic saepius cum Rege, alioq. e proceribus, religione Mauro, de iniuriis, quas Christiani patiuntur. Sed valde arduum est ab homine a Christiano nomine alieno ius nostrum obtinere. diligentia tamen, & assiduitate semper exterquetur aliquid. id tenemus, accipere, quod possumus. vt nuper contigit in praediis Aralmaure neophyti, Piscatorum domini, quae Rex iniuria occupauerat, una cum palmetis aliis, praediisq quae recepta suis dominis reddita sunt: magno tamen cum labore Patris procurantis rem Christianam, quod id genus rerum apud Regem impeditum, & longum esse soleat. Sed videlicet multorum nobis praefidij in Regio filio situm est. quippe etsi ethnicus, commodiore tamen ingenio, quam pater, Christianis fauet. & hoc leuamento compensat diuina bonitas nostras aerumnas. qui si quando in Regni, cuius est haeres, possessionem venerit; spes est Christianam rem valde promotum iri. quod hoc anno praecipue, in cuiusdam piscatoris, hominis copiosi, iudicio intelligi potuit. Hic se Christianum futurum cum vniuersa familia professus erat; inq. eam rem Patri Christianorum fidem suam obligauerat: id cum resciisset Maurus ille e Proceribus, quem supra commemorauimus, vt Christianis infensissimus, hominem vocat in iudicium. caussa ad Regium filium agebatur. venit ille ad iudicium: adest illi Pater Christianorum. rogatus an voluerit esse Christianus, & an eius res Patri fidem dederit: ille metu no, an inconstantia, negauit: statimq. concidit, iacuitq. semiboram exanimato similis: ita vt Regius adolescens

lescens, suis audientibus magna voce diceret: merito id illi contigisse : siquidem in re tanta mentitus patri datam fregisset fidem, & ad Patrem conuersus : omnino futurum dixit, vt ille staret promissis; quando tam digna animaduersione diuinitus admoneretur: amicaq. oratione, dimisso à se Patre, piscatori significari iussit, vt datam fidem praestaret. qui cum ex eo casu recepisset animum, perfidiae pertaesus veniam petijt : ac post catechesim vna cum domo vniuersa, quae nouem capitum fuit, baptismum suscepit. Eiusmodi alia plura in horum hominum conuersione euenere, quae nimietatis vitandae caussa omittuntur: sed duo illa praetereunda non sunt. Puer tredecim annorum e Nairum ordine, summo loco natus, ipsi Regi bene notus, in domo auunculi, viri valde opulenti educabatur; vt in eam succederet haereditatem. nam legibus Malabaricis sororis filij ius habent haereditatis tam ad regnum, quam ad priuatas familiarum possessiones. hic opimam haereditatem, & ingentia emolumenta, quae à Rege sperare poterat, contempsit, vt ad Christum se conferret, & nunc baptismo expiatus Lusitanicas litteras discet; strenuumq. se praebet adiutorem Patri Christianorum, non minus, ac si Christiana in Religione natus esset, & educatus. & cum paucis ante diebus Pater de rebus Christianorum, Regem conuenisset, magna cum Regis etiam probatione interpretis munere perfunctus est. Hoc in puero, illud in femina laudandum. Adolescentula Bengalensis tredecim circiter annorum, parentibus religione Mauris prognata, venit ad Collegium bene mane : narrauit se adolescenti Persae desponsatam, ex ijs qui è Mogorum gente viri nobiles in ea Ciuitate ver-

fanctor : velet. hers Christianos. praeste se quam primum in Malabar adiutos recipiendos curaturos, quemadmodum Episcopo e patria domo mandat se facturum esse, iamdudum scripsit. Sacerdotem ei alium petenti : etiam consuluit an ejus Magistratus esset ut eos procurare eos posset, qui Catechistae (ut eum appellant) essent Brachmanis ex regno primum, ad Christum deinde eos traducendos Catechistae vitae : se petiisse, ait, ejus Christianae ejus vitae, ejusdem reliquisse. Nostros accepto hoc mandato, respondent, existimabant esse facilius voluntatem, inq. quam Antistes, ea cui alle id negotii daret. Difficultatem inde, quod gentis Malabaricae ingenia parum : cum praesertim ad istas superstitiones sint pertinaciam Legislatoris, qui Brachmanis datum, ut ne tacere possint. Quaerere tamen in praelio. Verum Legislator, qui in Bengala regnat exercitu, nisi vim armis urgerent. ne agrestis facie, Catechistarum adesset ; docent, quo in pericula tam Lata ejus, tum Christiani veteris Bengalae ex ea re essent, in partis relabi. Acerbum primum ejus partis ad Episcopum praefectum Malabaris, qui non probabant, Lasitanos duobus fere Patre Coadjutorum, deq. sua voluntate certiorem, iubere se parere ; velle se Christianam ejus ; deos malos patrios utraque manu, gratis inire sexti faciem ; vetat, ritum omnes ad Matris adiuvet ; quemadmodum subiecit, nolle se negare patrem, negare matrem a pecore : inq. a Reverendo Patre Antistite consentaneum se ad eos redire paveretur : quod dubitans veteres addatis, se iterum ex edictis exigeret ; ne tam vera spectacula cernere cupiebat. His rebus vicis Matris ita discessere, ut ne fecere parem

cum

ausi sint. Mater deinde puellae in catechumenorum domo versanti saepius e vicinia eiulatibus, votiferationibusq. molestia fuit. quam illius insaniam ne exaudiret puella, in intimas aedes se recipiebat. sacro fonti tandem admota dignam Christiano nomine vitam instituit. Haec cum ethnicis. Discipuli scholarum magnam tulere laudem ex utroque studio & pietatis & litterarum. assidui sunt in templo, & divina frequentandi studiosi. habuere saepius orationes, aliasq. more scholarum exercitationes; praeclarumq. ingenij sui specimen dedere. Collegium quoque multis rebus auctum; multisq. eleemosinis subleuatum. Vir valde Societatis studiosus quatuor mille pardaos Collegio dedit; vt ex ijs perpetuum vectigal Collegio ematur. quibus additis mille & trecentis, quos Collegium promptos habebat, constitutus est annuus reditus sexcentorum pardaorum. Alius annuum censum septingentorum donatione libera Collegio attribuit. sed quia nihil sibi reliqui fecerat ad vitae vsum, P. Rector eam illi donationem remisit. Legauit alius moriens quingentos. Vir nobilis adiecit quadringentos, & triginta: quibus altaris tabula cum ornatu absoluta sunt. res aliae ad vsum sacrorum sunt collatae. sunt praeterea per nostros eleemosinae permultae in pauperes distributae. quibus multi ob aes alienum detenti, cum soluendo non essent, carcere emissi sunt: & fuere qui quadringentos pardaos ad eam egestatem subleuandam contulere. Domus praeterea catechumenorum sustentatur eleemosinis, & minimum quingenti pardai annis singulis insumuntur.

Digitized by Google

VAIPICOTANA SEDES.

QVI in Vaipicota degunt, montanos populos, qui ab vsque Thomae Apostoli aetate Christi religionem susceperè, & Christiani S. Thomae nominantur, excolunt magno cum fructu. eorum studium est, obliteratam, ac longa multorum saeculorum negligentia obsoletam religionem in pristinum nitorem restituere. Primum illud omnium, & maximum est, eos ad Ecclesiae Romanae obedientiam reuocare: tum errores, quibus per tam longa temporum spatia infecta ea gens abundat, detergere; & eos ad pietatis studium, & Christianarum virtutum amorem excitare. res, Dei beneficio procedit ex sententia. Incredile est quanto animi affectu Romanae Ecclesiae doctrinam amplectantur, qui à nobis reguntur: quantaq. veneratione Romanum nomen, Romanaq. omnia prosequantur. id proxime in Iubileo Roma missio magna cum animi nostri laetitia experti sumus. quod illi tanto ardore pietatis, tantoq. animi gaudio exceperunt; vt ingentem nobis Diuinae laudandae bonitatis materiam praebuerint. Perlatum est primum ad Societatis patres eius rei Pontificium diploma: patres continuo eorum Archiepiscopum certiorem fecerunt. is morbo decumbebat: sed tamen ad nostrorum Praesidem, qui ibi degunt, litteras dedit: quibus rogabat, vt quando ipse morbo impediretur, Praeses ipse rem totam susciperet: patres, quos secum haberet, mitteret in omnem oram suae ditionis, qui omnem religionis vim, ac venerationem quam copiosissime rudes eos populos docerent:

rent. quippe nunc primum id genus expiationis in eos montes est illatum. Sacerdos e sociis, Pontificijs litteris in eius gentis idioma conuersis, opidum in eo tractu frequentissimum adijt. Ad famam tantae religionis ex omnibus circa locis Christiani conuenere magno numero. recitatae Romanae litterae, in Ecclesia, vniuersa multitudine, quae conuenerat, audiente. Inde instituta supplicatio magno ardore pietatis, & fidelium maximo concursu: vnaq. omnium vox erat: bene à Diuina Maiestate Summo Pontifici Clementi viij. Domino nostro precantium: praecipuamq. in eo laetitiam percipiebant, cum ipsius nomen ore voluebant, verbaq. subijciebant pietatis, & insignis cuiusdam plenissima venerationis. Quibus diebus ieiunia suscipiebant, eos totos in templo supplicantes ponebant ad vesperum; neque ante noctem cibum capiebant. Quitum in eo populo confessionis sacramentum obiere, duorum millium numerum excesserunt: fuereq. qui ad ipsum noctis conticinium in templo praestolarentur confessioni; aegreq. capiendo cibo, ac necessariae quieti, Sacerdoti, qui ijs dabat operam, vacabat. In hoc opere versanti Sacerdoti superuenere e remotioribus locis multi, orantes, vt ad suas terras se conferret, iubileo eidem in ijs quoque locis promulgando. Idq. tanto animi ardore, tam multi flagitabant; vt vehementer dolendum sit, tot populis ad pietatem propensis, tam incitatis studijs operarum paucitate satisfacere non posse. Quantus ex hac expiatione collectus sit fructus, si quis explicaret, haud dubie magnam afferret admirationem. sed ex incensa omnium pietate, qua sacras illas actiones hi populi obiere, maximum certe fuisse licet conijcere. Multi à perdita viuendi consue-

tudine eductis: in qua sexdecim unus triginta alius, alius quinquaginta annos vixerat. plus viginti per eos dies pacificationes factae, eaeq. momenti permagni. sed insignis illa fuit. quae inter duos primarios coniuncta est: qui opibus & auctoritate, tanquam duo factionum capita habebantur. eorum reconciliandorum initium ab Rege profectum. Conuocauit in Regiam primores Christianorum Rex. in ijsq. nominatim duos illos dissidiorum auctores: patreq. adhibito, orationem habuit; qua illos ad diuinae legis cultum, eaq. seruanda, quae à patre docerentur, hortatus est: eoq. magis id eos facere debere, quod patres patria, bonisq. omnibus relictis tam à suis finibus remotas terras, unius eius rei caussa, ipsos vt docerent, petierint; in eamq. rem omnem illi vitam suam tanto studio impenderint. mox ad Patrem conuersus, rogauit; vt, quando pro sua in eos caritate communis omnium pater esset, duos illos intestino inter se odio dissidentes, reconciliandos susciperet: eiusq. rei caussa ipsos duceret ad templum: sanctiorem, firmioremq. eam coniunctionem futuram, si in loco sacro, quam si in Regia, profano in loco iungeretur. Pater vniuerso illo cetu prosequente, eos secum ire iussit ad Ecclesiam. ibi magna cum omnium gratulatione, & Regis probatione, in pristinam gratiam rediere: Interim dum pater instruendis, expiandisq. Christianis distinetur, alumni aliquot Seminarij, qui patrem in eam profectionem sequuti erant, daemonibus ex obsessis corporibus abigendis occupabantur. ita exorcismis, euangelio, & aquae consecratae lustratione decem duodecimue energumeni diabolica infestatione liberati. neque mirum incredibili enim animi candore, simplicitateq. pueri magna

in

in Deum fiducia ad eiusmodi actiones aggrediuntur: vt eorum fidei exempla etiam ad ethnicos promanent. Eorum quidam multis iam annis à daemone vexabatur, is cum videret Christianos suspēso e cruice chirographo, mali obsidione liberari, petiuit à patre, vt sibi eiusmodi chirographi potestatem faceret. erat autem in papyracea membrana scriptum aliud nihil, nisi S. Ioannis Euangelium. Satisfecit illius petitioni pater. ille euangelio ad collum appenso sanatus tanti beneficij memor baptismum suscepit.

COVLANVM, ET TRAuancoris ora.

COVLANI, & in ora Trauancoris, quae Coulano viginti quinque leucas in Comorini promontorium porrigitur, ingens est Christianorum numerus: oraq. tota Ecclesijs bene frequentibus referta. concionibus, confessionibusq. Christiana res promouetur. pacificationes multae compositae. restitutiones alienae, tum existimationis, tum pecuniae factae permultae. Coulani praeterea ad baptismum adducti sexaginta. Dati eleemosinae nomine pardai septingenti ad emendum palmetum, quo huius residentiae vectigalia constituantur. plus trecenti alij in vsus alios collati. quotidieq. eadem, quae in locis alijs, vbi floret religio, eueniunt. illa huius loci propria. Christianum indigenam suae rationes traxerant in fines Maurorum; ibiq. sedem fixerat; in eoq. erat, vt ex ea gente duceret vxorem. sed non eum passa est Diuina bonitas, tanto se scelere obstringere. obiecta est illi per quie-

Digitized by Google

tem verenda hominis imago, quae S. Francisci ornatu induta hominem graui comminatione perterruit, quod Christianus inter infideles domicilium haberet. ac ne qua cagitatio referendi se ad suos, animum subiret, nefario consilio velle se Maurae mulieris connubio colligare. quod si faceret, futurum, vt statim interiret, reclo. itinere confestim in tartara descenderet. perculsus ille sui mali metu, discessit inde subito; ac sese retulit in Christianorum fines. nostros conuenit; quaeq. sibi euenissent, narrauit, postulans remedium. nostri ei confessionem suasere. confessarij consilio demum acquieuit. Mulier Christiana, & energumena Euangelio S. Ioannis semel audito à daemonis vexatione liberata.

RETERANA SEDES.

EST in eadem ora Reterana sedes. hic duo, & sexaginta ad baptismum venere; ex reliquijs ethnicorum quadraginta, e Maurorum superstitione viginti duo. Ex his Maurus vir primarius coniugem, & filiam nitebatur secum ad eandem trahere religionem. habebat coniux matrem, patrem, auum, proauum, abauum, viros primarios in sua superstitione pertinaces. hi optimis generi votis acerrime aduersabantur. horum consilijs muliebris animus affirmatus, mortis instar existimabat, se de mutanda religione compellari. sed aduersus parentum stultitiam meliorem illi mentem iniecit numen. ita cum filia venit ad Ecclesiam baptisma petitum, parentibus inscijs. instruitur de more catechismo. sensit id furiosa mater; stygioq.

gioq. acta veneno, prouolat ad templum : clamoribus, eiulatibusq. complet omnia, vt filiam, neptēq. à baptismi consilio abducat. sed ne his quidem rebus constantis feminae mouetur animus. quin ipsa obnixe rogauit Sacerdotem, vt se quam primum sacro lauacro admoueret. Pater rem maturam iudicans, illius voto satisfecit. ita Christi sanguine regenerata, mariti domum cum repeteret, rabiosa mater cum magna propinquorum, propinquarumq. caterua fit illi obuiam; facit impetum: ac nisi comitatu stipata Christianorum, & mariti ope defenderetur, eam irata mater praefocasset. sed diuino beneficio, & ope Christianorum seruata, tranquillam vitam cum marito ducit. Est huius Sedis Ecclesia S. Antonio dicata. cuius diem festum Christiani magno apparatu, sumptuq. celebrarunt: ad eam celebritatem à multis circa leucis non Christiani solum, sed etiam Mauri, ethnicique. cum donarijs conuenere. nam licet religione alieni sint: cum tamen graui aliquo periculo necessitateue vrgentur, ipsi quoque ad Ecclesiam confugiunt, & sua vota faciunt; saepeq. magna cum omnium admiratione, fiunt voti compotes. Et sane visus est caelestis ille diuus voluisse illorum impensas compensare. si quidem tanta postridie piscium confluxit multitudo, vt tenues homines piscatu victitare assueti, eo lucello damna rei familiaris resarcirent. neque tantam vlli antea copiam meminerunt. grates igitur caelitibus egerunt, Diuoq. Antonio praecipue; qui tanta copia, quae in ipsius cultum insumpserant, remunerasset.

SEDES

Digitized by Google

SEDES COLECCITANA.

COLECCII *in eadem ora vndeuiginti Ecclesijs Sacerdos vnus praeſt. Ex ijs vna eſt S. Iacobo dicata. haec quoque magno concurſu Chriſtianorum, Maurorum, ethnicorum celebratur. octo, decemue leucarum itinere ad ſua perſoluenda vota conueniunt. narrantq. tum fideles, tum infideles beneficia meritis Beati Apoſtoli caelitus ſibi collata. Hic quoque ethnici aliqui, Mauriq. euangelio credidere. In ijs vir primarius, & Princeps inter ſuos, cuius opera multos ſperamus venturos ad Eccleſiam. Dum hoc curſu ad Coleccium res procederent, noua ſuperueniens calamitas laetum videtur bonarum rerum initium tuliſſe. Chriſtianorum triremis oram legebat Malabaricam, haec in octo Malabaricas incidit biremes: praelium committitur e regione Eccleſiae, in qua noſter Sacerdos morabatur. is cognito periculo noſtrorum, Chriſtianos aliquot ſtrenuos milites repente corrogat; qui ad opem Chriſtianis ferendam ſtatim aduolant. ipſe vna cum illis proficiſcitur, vt pugnantium animos firmaret, confeſſionesq. morientium exciperet. cuius vtique ſtudium omnino irritum non fuit: ſiquidem aliqui Luſitanorum deſiderati ſunt; multiq. vt in difficili pugna, male vulneribus accepti: triremiq. incendio conſumpta, ad litus euaſerunt Luſitani ad octoginta, praeter pueros ac Mauros; in ijſq. nobiles adoleſcentes multi ac ſummo loco nati. hi omnes à Chriſtianis huius orae perbenigne excepti, ſaucij curati, rebuſq. omnibus adiuti benignitate tanta, vt mirarentur Luſitani,*

Digitized by Google

sitani, in gente nuper ad baptismum adducta, Christianae caritatis magnitudinem. Hic cum aliquandiu haesissent, donec saucij recrearentur, quorum nobiles in nostra domo curati sunt; Coulanum denique egregie erga hos neophytos animati, memoresq. in primis tantae erga se humanitatis, nostrorum opera sunt reportati. Sacerdos, qui ad opem ferendam accurrerat, est ille quidem à nece seruatus, non tamen eius expers calamitatis fuit. siquidem decem acceptis vulneribus, captus à Mauris ad Calecuti Regem Zamorinum adductus, humaniter, honorificeq. habitus, curatus est. Paucis diebus ex vulneribus recreatum Zamorinus ipse multo cum honore, & sui sobrini comitatu, ad Patres remisit, nulla accepta mercede; tantum gratificandi Lusitanis, & cum ijs firmandae pacis studio adductus. eiusq. rei caussa Patrem alium e Societate Malabaricae linguae peritum ad se accersijt; cum solo de conditionibus pacis egit. adiecit etiam, potestatem se facere Christianis in suo Regno templa exstruendi, praedicandi Euangelium; patrumq. qui illuc irent, patrocinium suscipere. Hisq. de rebus ad Proregem, Archiepiscopum, patremq. Prouincialem litteras dedit, à quibus etiam postulauit, vt eundem Sacerdotem ad se remitteret, cui summam in rebus omnibus fidem haberet; vt cum eo deliberaret. & cum hae litterae darentur, quae exeunte Decembri mense huius anni datae sunt, Proregis mandato idem Sacerdos ad eam se profectionem comparabat. faxit Deus, vt res eum, quem speramus, sortiatur exitum. ingens se Euangelio campus aperiet.

PISCA-

PISCARIVM LITVS.

NVSQVAM maior incolarum pietas India tota, quam in litore Piscario; & quod multis iam annis in Euangelij cultu perstitere, & quod mitia hominum ingenia, ab insita probitate, Euangelij magistris facillime obtemperant. Quindecim Sacerdotes, fratres duo his Ecclesijs praefuere, Malabaricae linguae periti omnes. ex eorum numero decessit Sacerdos vnus P. Petrus Aloysius, natione Malabares e Brachmanorum genere. venerat hic ad fidem puer; educatusq. in Collegio S. Pauli, ea fuit indole, ingenioq. vt ad studia admitteretur: percurritq. eum cursum ad finem vsq. Theologiae, sane feliciter: sed non minus ad studia pietatis progressus est. quippe tanto Deo sese dedicandi studio fuit incensus; vt spreta familiae nobilitate, cuius princeps haeres esset, ad Societatem se adiungere praeoptarit. in qua tanto virtutum exemplo vixit, vt mirum non sit, singularia in ipsum collata beneficia esse diuinitus. quippe factus Sacerdos, missus ad huius orae iuuandos incolas, vehementer exemplo vitae, & doctrina rem Christianam promouit. martyrij corona donatus non est; sed neque illi defuisse constantiam ad mortem oppetendam; nec martyrij merito eum defraudare voluisse diuinum numen, euenta declararunt. nam cum patribus ijs, qui montanos tractus incolunt, aliquando opem ferret; vehementiusq. diuinam legem praedicaret, coorti in eum ethnici aliqui, lanceis confoderunt, letaliaq. vulnera permulta illi imposuerunt. quae ille omnia, complicitis

tis genibus, sublatisq. in caelum manibus, libens excepit; Deum suppliciter orans, vt tenue illud suae vitae sacrificium, benignus exciperet. Sed nimirum ea palma non pro meritis, ne viris quidem sanctissimis; sed occulto caelestis arbitri iudicio datur, adimiturque: perfunctus illo certamine duodecim, tredecimue horum Christianorum commodo superuixit annos. eum tandem ad caelestia praemia caelestis Pater euocauit. cum annos quinque, & triginta in Societate exegisset. eius interitum Christiani huius orae quanto luctu, ac moerore sint prosequuti, frequential, & studio funeris declararunt. Ceteri, qui e Societate versantur in hac ora, magna sunt apud omnes existimatione; vt ipsi quoque ethnici eos venerentur: illorum consilijs vtantur: in suis difficultatibus, controuersijsq. ad eos confugiant. tantaq. est spectatae longo vsu probitatis existimatio, vt illorum iudicio, sententiaq. acquiescant; licet interdum de illorum controuersijs longe aliter decidant, atque ipsi arbitrantur. Id cum cognouisset Maurus, qui vici cuiusdam Princeps esset; patresq. tam amicos esse intelligeret veritatis, & humanae aequitatis; castigareq. Christianos, si quando Mauros iniuria afficerent; statuit, 'Alcorano relicto, eam amplecti legem, quae tanta religione veritatem, & iustitiam tueatur: seq. cum vxore, matre, aliosq. multos e sua familia ad Christi Ecclesiam adiunxit. Ceterum orae totius incolae, licet omnes iam Christiana sacra susceperint: non tamen multi desunt ex ethnicis finitimis, qui quotidie accedunt ad baptismum. quibus catechizandis multo commodius, quam ante nunc consultum est. Nam cum antea qui ad baptismum petendum veniebat, vt quemque cuique

sors

sors obtulerat, alij ab alijs catechizarentur; fiebat, vt multi saepenumero instituendis paucis occuparentur. ex quo rerum aliarum administratio magnum patiebatur detrimentum. superiore anno Tutucorini, opido huius oræ, extracta catechumenorum domo, peroppportuno compendio, aliorumq. ministeriorum commodo, instruendi opera à multis in vnum deuoluta. omnes enim huius oræ catechumeni in domum illam vnam confluunt. ijs catechizandis praefectus Sacerdos vnus, ceteri ad sua quisque munia expeditiores. Qui hoc anno ad baptismum venere, mille & septingentorum numerum superarunt. In ijs fuere Mainatae, ea est hominum natio in hoc tractu, suntq. etiam nunc in hoc litore permulti. Hos iam dudum Patres ad Christum adiungere cupiebant. & cum de Euangelio suscipiendo eos aliquando compellassent: respondérunt se ex consilio, & auctoritate pendere Tutucorinensium; qui totius suae gentis caput essent. ac si illi Christiana sacra susciperent, nullo negotio totum Mainatarum nomen in Christianam religionem consensurum. Data est opera, vt Tutucorinenses Mainatae ad fidem inuitarentur. ac licet ethnici Dynastae ob sua emolumenta eos auocare conarentur: Diuina tamen potentia illorum animos firmante Dynastarum minas, conatusq. Euangelio posthabuerunt. itaque nomen Christo dederunt. dicta baptismo dies: ea cum aduenisset, Dynastae, vt moram saltem aliquam interponerent. mulieres illis ademerunt; tanta tamen diuino beneficio constantia fuere, vt antequam de coniugibus cogitarent, diuina baptismi peragi mysteria voluerint, Dynastae postero die, quando res impediri amplius non poterant; coniuges ijs reddidere. quae omnes

una

vna sacro baptismo sunt ablutae. & nunc Mainatae ceteri, qui varijs huius orae locis sunt dispersi, quasi praerogatiuam Tutuconnensium sequuti, vno consensu ad Christi ecclesiam se recipiebant. Euenere alia narratu non indigna. Ethnicus, quem saepe adhortati nostri erant ad baptismum recusantem, in morbum incidit, is patrem e Societate ad se accersiit, vt ea se doceret, quae ad baptismum, & animi salutem opus essent: sibi enim morbum illum vitae finem allaturum, qui cum satis instructus esse visus est, baptismo lustratus postridie excessit è vita. Erat huic familiae perampla; hi omnes ipsius exemplo auctoritateq. permoti, ad vnum omnes Christo se se adiunxere. Simillima omnino ethnici alterius felicitas. hic degens inter Mauros, graui morbo decumbens, rationem iniuit, qua sacerdotem e Societate acciret ad se se. à quo diuina edoctus, sacroq. fonte expiatus, pari felicitate statim atque ablutus est, emisit animam. Nam his quoque non vndecima solum, sed extrema duodecima vocatis hora summus Paterfamilias diurnum denarium rependit, vt neminem tam longinque suscepti itineris, tam remotae peregrinationis in hac colenda vinea poeniteat. Et vero regio tam fertilis, tantisq. prouentibus abundans, digna satis est, vt in eam omnis agricolarum magno animo industria impendatur. Ecclesiae igitur huius orae paullatim latericio opere tum ad cetera incommoda, tum maxime ad incendia vitanda reficiuntur, & sane apparet, rem totam diuinae prouidentiae, sanctissimaeq. Dei matri curae esse; eamq. hominum miro candore, ac pietate tutelam suscepisse. extruebatur templum diuae Matri: e Turri campanarum magnas alti-

altitudinis excidit Magister fabrum. is labens, diuinae Matris opem implorauit. tulit opem benigna parens. terram enim tanto casu erecto corpore contigit incolumis, nulla prorsus offensione laesus: beataeq. Virginis tum ipse, tum ceteri, qui aderant, praesentem opem agnouerunt: laetusq. nulla interposita mora ad sua cuique praescribenda munia se retulit. Puer item alius ex ijs, qui fabris administrant, e scalis excidit, multum elatis in sublime; & forte is ethnicus erat: sed ex assidua cum Christianis consuetudine, quod eos in suis periculis facere animaduerterat, IESV nomen inclamauit. salutaris ea fuit inuocatio, non corpori solum. quod nihil offendit, sed in primis animo. Siquidem caelesti se adiutum ope sentiens, ipse utroque cum parente, & reliqua familia Christianam religionem suscepere. Docilia nempe, & ad pietatem propensa sunt horum hominum ingenia; facileq. vt res ipsa docet, dant manus veritati: in primis vero diuinos concipiunt instinctus, ijsq. obtemperant libenter. id quod exempla nonnulla declarant. Opulentus quidam ethnicus, & locuples vota multa nuncuparat, muneraq. pagodibus attulerat, vt illorum beneficio filium susciperet. cum nil consequeretur, forte interfuit religiosae Christianorum celebritati, quae ad eorum templum magno hominum concursu habebatur. Subijt animum cogitatio a Deo, quem Christiani colunt, illud petere, quod impetrare non posset a pagodibus. ita ingentis anathematis promisso sese obligans, si sibi filius daretur. factus est voti reus. tantaq. laetitia, & gratia diuinum excepit beneficium; vt non donarium modo, sed filium quoque, vxorem, familiamq. omnem seq.

ipsum

ipsum ad Ecclesiam transtulerit. & nunc Christianae religionis cultores egregios se praebent. Eodem voto ethnicus alter tenebatur, is votivas peregrinationes multas varios ad pagodos susceperat; neque unquam voti compos factus erat. Sed videlicet huic aeternae prouidentiae decreto debebatur diuina lux. &, vt magnam habent hae gentes de Christiana religione opinionem, Christianorumq. Ecclesias quamuis infideles veneranter; peregrinationem suscepit ad templum quoque Christianorum, S. Apostolo Iacobo dedicatum; polliceteturq. se, si vnius filij pater fiat, Iacobi illi nomen inditurum, concepta vota beneficium sequutum. octauoq. a natale die infantem pater ad Ecclesiam sacris aquis abluendum detulit. estq. illi impositum Iacobi nomen. post vterque parens catechismo instructi baptizati sunt. Christiana mulier infantem sex mensium alebat, graui attritum morbo: petijt a Sacerdote nostro, vt super puero recitaret Euangelium: quo recitato Sacerdos minutum, quod e S. Nicolai reliquiis frustrum penes se habebat, puero ad os admouit: sacriq. virtute Euangelij, meritisq. sanctissimi Episcopi confestim puer integram recepit valetudinem. eius rei fama dissipata, tantam hominum mentibus religionem, atque aduersus sanctissimum Antistitem venerationem iniecit; vt aegroti permulti eius ope inuocata conualescerent, muneraq. ad Ecclesiam damnati voti transmitterent: Missae sacrificia in ipsius honorem offerenda curarent. Ita caelesti quodam dono nati videntur omnes ad pietatem. Sed omnium virtutem, ac pia studia septuagenarius senex tanto excedit interuallo; vt non Christianis modo reliquis, sed nostris quoque

patribus admirationi sit: eiusq. sibi virtutem proponant ad exemplum. is maximam vitae partem pijs actionibus ad diuinum cultum pertinentibus insumpsit. Hospitali domui aliisq. pijs sodalitatibus magna cum laude diu praefuit. nostros Sacerdotes in diuino opere versantes, reconciliandis dissidentibus, aliisq. pijs operibus laborantes adiuuit. post longam aetatem, ac multos in diuino opere exhaustos labores, oculorum luminne orbatus, eam calamitatem, tanquam diuinum beneficium sibi caelitus immissam, ea scilicet animi tranquilitate fert, qua tanta virtute dignum est. & cum captus oculis nihil ei iam superfit, quo suam in aliorum vtilitatem, & diuinum obsequium impendat operam, quotidie septem horas in templo praecationibus, pijsq. meditationibus insumit: & earum maximam partem nixus genibus. quod ei supereſt temporis, id ad pios de Deo sermones habendos, dissidentes reconciliandos, alios pijs monitis instruendos totum confert: multi illum tanquam patrem, ac magistrū adeunt; vt ab ipso cum de rebus aliis, tum maxime de ratione recte confitendi instruantur. denique is est, qui cum semper sanctissime vixerit, tum extrema aetate quotidie magis ad perfectam virtutem, sanctissimorumq. virorum similitudinē quam proxime accedat. Posset vel vna huius tam alte radicata virtus documento esse horum hominum facilitatem, ac propensionem ad pietatem, non a leuitate animi, aut ingenij mobilitate proficisci. sed addetur adhuc alterum exemplum. Mauri inter nauigandum Christianos aliquos huius oræ exceperant; in ijs adolescentem nobilem, viri primarij filium: tentauere huius animum honorificis

primum

primum pollicitationibus demereri, blandicijsq. illicere; vt relicto Christo ad eorum perfidiam transfugeret. cum nil proficerent, terrores admouerunt: velle Christianos ceteros repenso pretio libertati reddere; ipsum nulla quamuis grandi pecunia manumittere, nisi Christiana fide abiurata, Mahometi nomen dederit. quod si facere recusset, se illi vitam adempturos. his ille condicionibus magna constantia respondit: se Christianum esse; inanemq. eos operam suscipere, qui quauis condicione se à Christiana fide abducere nitantur, cuius caussa paratum se esse per summos cruciatus vitam perdere. admirati barbari loquendi libertatem, iubent adolescentem Christianam doctrinam decantare, tum ille initio facto à signo crucis, magna voce totum recto ordine carmen recitauit. Mauri, adolescentis constantia perspecta, non vtique tam fuere barbari, vt se tanta obstringerent immanitate, ille martyrij corona frustratur, libertatem tandem pretio redemit. Et sane gratam esse diuinae bonitati caelestibusq. fidem tantam multa quotidie luce clarius declarant. Christiani figuli tegulas tegendo templo Virgini matri dicato, recenti, molliq. formabant ex argilla. cumq. imminueret pluuia, votum Virgini matri nuncuparunt, se certam ei auream pecuniam oblaturos, si tantisper imbres cohiberet, dum exsiccarentur tegulae, ac seruarentur. & forte id opus faciebant in ethnicorum finibus. cumq. viderent ethnicos imbrium desiderio maerere, eos monuerunt non posse pluuiã descendere, donec quas tegendo templo tegulas plasmauerant, siccarentur. ijs exsiccatis, ipsam Dei matrem, quam optarent, pluuiam sua manu demissuram. veram fuisse concepti voti fidem rei eũ-

tus comprobauit. quae res maiorem ethnicorum animis de Christiana religione existimationem atque aduersus Ecclesiam iniecit reuerentiam. Erat in hoc tractu locus daemonibus infestus, qui varijs obijciendis spectris Christianos, illac iter facientes, vehementer perturbabant. certiorem de molesta infestatione nostrũ fecere Sacerdotem: eius iussu, cruce ibi defixa, tetra nulla species amplius obiecta; & Christiani in posterum ea perturbatione liberati..

Madura praecipua vrbs in illa ora Naichetũ multorum opidorum domini regia est. in ea versatur sacerdos, qui Regio permissu superiore anno, templum aedificare aggressus, hoc anno perfecit. magni quippe interesse intelligitur, versari apud Regem e Societate Sacerdotem aliquem, cuius patrocinio negotia Christianorom, quorum in eius ditione magnus est numerus, felicem euentum sortiantur. praeterea spes est magna Euangelij latè propagandi, cum & peramplum Regnum sit, & Mahometana superstitione expurgatum: ac praeter eos, qui Christiani sunt, pagodorum cultores tantum alat. quorum ad Christianam fidem multo, quam Maomethanorum propensa sunt ingenia. Naiches porro nostro Sacerdoti perbenevolum se praebet: multumq. consuetudine illius delectatur: multarum quoque rerum ei potestatem facit. ducentos etiam in Ecclesiae aedificationem pardaos adiecit. Probat vero eum cetera ipsius instituta, tum illud maxime, quod hospitalem domum excipiendis, curandisq. morbidis instituit: in eaq. iusta ethnici, Christianiq. curantur. Populus verò vniuersè non officijs solùm veneratioque, sed ingenti etiam benevolentia prosequitur eundem sacerdo-

Digitized by Google

cerdotem. is vero quo magis eorum animos demereatur, magistrum alit, qui etiam ethnicorum liberos legere doceat, ac scribere. ex qua quasi semente, vberrima seges expectatur animarum. nam eo beneficio parentes deliniti, viri praecipue primarij eo maiore benevolentia sacerdotem nostrum complectuntur, libenterq. de diuinis rebus differentem audiunt. Condixerant, de more, huius orae patres Tutucorinum, semestrem omnium conuentum ad vota renouanda; solitamq. ex mutuo inter se conspectu colloquioq. cum diuina gratia spiritualem laetitiam percipiendam. eo cum Madurensi Sacerdoti veniendum esset. ea conditione illi Naiches veniam dedit, si promitteret se rediturum. nec sine magna Regis populariumq. voluptate, ac gratulatione ipsius reditus exceptus est. Ita, vt se dant initia, ingens expectatur diuini verbi propagatio.

MOLVCAE INSVLAE.

CONTRARIIS omnino euentis Moluccenses conflictantur, Mahometanis Ternatensibus, ac Tidorensibus nostrorum conatui aduersantibus. Ii enim eos, qui suo parent imperio, a Christiana prohibent religione. itaque omnis in indigenis ad Christum adducendis in cassum opera consumitur. Quadraginta millia prius fuere Christianorum: nunc ad tantam paucitatem sunt redacti, vix vt tria millia numerentur: In his paucis reliquijs fouendis decem e Societate occupantur. Ii in Tidore Insula maesti sedent, caelo diuinam misericordiam implorantes; nam ab

humanis rebus nullum solamen, leuamentum nullum, vt etiam victus inopia laborent. nunquam tamen consueta munia deseruere. Diebus dominicis nostro in templo Christiana doctrina explicatur. adhibentur carmina; concertationesq. mutuo se interrogantium: & puerorum agmina in tanta rerum difficultate atque animorum iniquitate per vias traducuntur. Ad baptismum, rari admodum accedunt, nisi Christianorum infantes defecerint. non nulli subinde e Maurorum seruitijs elapsi, mulieresq. paucae baptismum petunt. Hanc tantam aerumnarum molem Diuina bonitas persaepe, quando alijs omnibus destituuntur, caelesti solet solatio compensare, vt rebus omnibus perpensis, prouinciam hanc omnibus alijs Indicis prouincijs strenui Christi milites longe anteponant. in qua nihil, nisi vna Christi crux eos delectet. Inuisit Pater is, qui nostris praeest, Christianos, qui versantur in Sione, ibiq. res magnopere offendit perturbatas. Vir primarius magnis in rebus a Rege dissidebat: eoq. progessa res erat, vt esset vtriusque salus proximum adducta in discrimen. Dabat operam pater, vt eos inter se conciliaret. Secundet omnipotens optima illius studia, ne ad cetera mala ingens etiam Christianorum pernicies accedat. De Malacensibus rebus noui nihil est allatum.

PRO-

Digitized by Google

PROVINCIA PERVVIVM.



IST Peruuium vastæ illa noui orbis pars, quae à decimo circiter gradu supra aequatorem immenso tractu in austrum protenditur. Haec cum ingenti, ac perpetua fronte se effudit, sensim in augustiorem latitudinem se cohibet, longeq. porrecta modico interfuso Magellanici freti Euripo, in meridionalem ignotam plagam, quasi minaci cuspide in vulnus fertur. Eam peritissimi viri ex nominis similitudine, esse conijciunt, quam sacrae litterae in Regno Salomonis Ophir nominant. Ad septentrionem vnde procedit longo isthmo, continenti Mexicano, quam alteram Ophir partem esse docent, coniuncta: cetera vndique Oceano alluitur. ac nisi perangusto terrae tractu, quasi tenui fibula, necteretur; vtrumque mare, & Eoum, & occiduum committeret: duoq. ingentia maria eam à terris auulsam, parem cuilibet orbis parti immanem insulam efficerent. Qua spectat Athlanticum pelagus, mare

quod Norticum appellant, id est boreale; qua regna orientis Xuriam, seu meridionale submouet, atque disterminat. In ea cuni alia ingentia Regna, gentesq., tum praecipue, vt in Asia tertia orbis parte, prouincia eiusdem nominis, sic toti peninsulae cognomen est Peruuium Prouincia, seu Regnum. Haec idcirco admonui, vt cum in rerum expositione regionem aliquam à Peruuio prouincia distare memorabimus, cum loca omnia Peruuio peninsula contineantur, nulla in narratione dissensio notetur. Habet haec Prouincia peninsula tota collegia octo, cum paucis residentijs atque vnam probationis domum: eaq. inter se tanto locorum interuallo dissita, vt licet in vno diuino spiritu, qui in ijs versantur, sint coniunctissimi; communicatio tamen litterarum inter eos, & infrequens, & rara admodum sit. Nam ab vrbe Lima, vnde litterae in Italiam datae sunt, domicilia quaedam quingentas, alia etiam septingentas distant leucas. Huc accedit infrequentia eorum, qui illa obeant itinera, vt saepe numero facilius, & citius ex Hispania, quam ex Panama, aut Paraquaria, remotissimis Peruuij regionibus, literae Limam perferantur. Ea causa fuit cur aliquorum locorum litterae desideratae sint. Sed vnus ille spiritus, qui omnium animos mentesq. vno fedare, vnaq. conspiratione consociat, nos aliquando etiam loco coniunget. In disiecta igitur, & quasi dissipata peregrinatione Prouincia homines habet ducentos quinquagintaquinque: quantulum numerum tantae, ac tã late patenti vinae colendae? quae praesertim fines in immensam profert latitudinem. Ex his centum sunt Sacerdotes, viginti quatuor studijs variarum facultatum occupati: reliqui partim nouicij,

sieij, partim coadiutores. In Limano Collegio degunt septuaginta septem. in Cusquiensi viginti quatuor: in Potosino viginti, totidem in Arequipano: vno minus in Quitensi; in Ciuchiabensi, quod etiam à Pace nomen habet, duodecim: tredecim in Ciuchizacensi: in S. Iacobi in Chile duodecim: in domo probationis S. Iacobi ad Limam viginti tres: in residentia Panamana septem: in Iulidensi nouem: in Tucumanensi, & Paraquariana tredecim: in S. Crucis in montanis sex.

COLLEGIVM Limanum.

IN Limano Collegio compendij causſa initium faciemus à ſcholis: quo commodius in ijs explicandis, quae ad rem Chriſtianam vtilitatem procurandam pertinent, immoremur. Latinae linguae Scholae ſunt cum collegij aedibus coniunctae: Philoſophiae vero, ac Theologiae in publico Gymnaſio ciuitatis; quas tamen noſtri magna cum omnium probatione ſuſtinent. illudq. Societati teſtimonium tum ipſa Ciuitas dat, tum vno omnium ſermone iam increbuit: Societatis induſtria ſtare in hac vrbe eas facultates. Peracto Philoſophicae totius tractationis curſu, in publico Gymnaſio vno de noſtris docente, viginti quinque auditores, multa cum omnium laude in ea facultate lauream ſunt conſequuti. fuit maximae admirationi tantus numerus; cum praeſertim ſcholis alijs, quatuor ſummum eum conſequi gradum ſolemne fuerit. id totum laboris, induſtriae, & aſſiduitati docentis tributum.

Digitized by Google

butum. Profuit illi ad existimationem, & nomen comparandum; sed non minus ad laborem duplicandum. siquidem eundem emetiri cursum iterum instituit. In Collegio S. Martini alumni sexaginta quatuor numerantur. Quibus regendis Socij praesunt quatuor. ex alumnis nouem inter Philosophiae laureatos venerunt. Praeter scholas, tribus hominum generibus iuuandis occupatur Societas, Hispanis, Peruuianis, & qui oris, ac totius corporis habitudine Aethiopibus similes ab atro colore nigri, & Aethiopici vocantur. Quorum in vtraque huius orbis Prouincia Peruuiana, & Mexicana magna copia est: ingenio & moribus à Peruuianis non absimiles. Et ad Hispanos quidem vsitata Societatis ministeria exercentur. Praeter conciones, & confessiones Doctrina Christiana Dominicis festisq. diebus in nostro templo explicatur traducta per vrbem supplicatione puerorum, prosequentibus inferiorum, & superiorum scholarū auditoribus: sub vesperam explicatur populo argumentum ex historia aliqua Sanctorum virorum petitum. ad quod audiendum magni fiunt hominum concursus: qua dimissa concione multi patrem, qui dixit ad nosocomium prosequuntur ad miseros, afflictosq. opera, & consolatione subleuandos. magnus est enim eorum numerus, qui huiusmodi officia colunt pietatis. Sacramenta frequentant, & studio etiam piarum contemplationum delectantur. vt etiam menstrui codicilli ad aduocationes coelestium impetrandas familiari nostro more cum ijs sint communicandi. in ijsq. Prorex sua ipse sponte se eorum fieri participem expetijt: eosq. cum ad eum deferuntur, magna pietatis, & gratiae significatione semper excipit. Est illa Socie-

Societati admodum beneuolus: eiusq. opera magna gratia vtitur in rebus omnibus. Et cum causſam quandam Societatis cum Regijs Cenſore, & Queſtore remotis arbitris tractaret, res narratu contigit non iniucunda. nã cum ſe Societatis cauſſa multum velle ſignificaſſet, quod filium in Hiſpania in Societate reliquiſſet, ſe quoque eiuſdem rei cauſſa, eundem ſenſum habere ſubiecit Cenſor. quod ipſe quoque filium haberet in Societate. atque vt video ſubiecit Quaeſtor omnium noſtrum eſt cauſſa aequata, cum mihi quoque filius in Hiſpania ſit in eadem Religione. ita quaſi quodam affinitatis vinculo coniuncti propemodum in gratiam beneuolentiamq. Societatis conſpirarunt. Eſt illud ob commodum idiotarum periculi duntaxat faciendi cauſſa hoc anno inſtitutum: vt certo in loco ad ianuam duo treſue de rebus pijs libri, ad ſpiritualem oblectationem aduentantium collocarentur. res vſque eo increbuit, vt multi eius lectionis tantum cauſſa eò ſe conferant; nobiſq. neceſſe fuerit librorum numerum augere, atque eius rei cauſſa pluteos tres libris eius generis refertos conſtituere; neque vlla diei parte vacuus locus à legentibus. Peruuianis etiam, & Aethiopicis ſuae habentur conciones, & Catecheſes. Habent ij ſua Sodalicia cum Sacello: & ipſi quoque ſuos dies feſtos peragunt cum celebritate, & apparatu. Diebus feſtis pomeridiano tempore collegij noſtri fratres vrbis vicos inter ſe partiti obeunt: Peruianoſq. & Aethiopicos, à ſuis ſaltationibus, compotationibus abductos, ad Catechiſmum trahunt. quae res, ſi nullam aliam habeat vtilitatem, hoc certe operae pretium facit, quod peccata, & multa, & grauia vitantur. Quatuor ex hoc collo-

collegio fuere missiones, ex quibus magni sequuti prouenius animorum. Earum una Sacerdos cum comite duos & viginti populos lustrauit. in quibus plus centum veneficos a taetra daemonum consuetudine abduxit, & in ijs aliquos octogenarios, ac nonagenarios nam in id praesertim aetatis hominibus eiusmodi facinora inolescunt. q̃ porro tam serio detestandam vitae genus sunt exsecrati, vt quasi praedicatorum assumpta persona, alios Christianam nunc ad pietatem adhortentur. plus trecentos diuturna consuetudine inolitos concubinatus diremit. Vsum Sacramentorum quibusdam in locis induxit; atque ad Sacram synaxim, quod nunquam antea factum erat, indigenas admisit. Ac loci cuiusdam indigenae patrem adiere: postularuntq. vt quando iam Sacrosancti Christi corporis compotes facti essent, neque iis iam integrum esset ad pristinas compotationes ebrietatesq. redire, sibi liceret Societatem, quae communicantium nomen haberet excitare. Cuius illa prima lex esset, ne liceret Ebrietati indulgere. quae res magnam eos diuini Sacramenti venerationem testatur concepisse. Confessionum auditarum nullus numerus iniri potuit: sed eae tam multae fuere: vt in iis quacunque ventum esset, dies toti cum magna noctium parte ponerentur. Huiusmodi peregrinationum labores, incommodaq. interitum P. Antonio Lopesio attulere. homini religiosa humilitate, modestia, sui ipsius contemptione commendabili. quibus doctrinae magnitudinẽ, qua ille virtutibus excellebat, cũ tegeret, multo illustriorem admirabilioremq. faciebat. Harum gentium utilitatis, cuius maxime caussa hae prouinciae ab Europeis expetuntur, apprime studiosus, quippe assiduis

pere-

peregrinationibus iuuandorum animorum causſa, vitam ſuam conterebat: vt peregre, & in eo opere verſantem mors oppreſſerit. agebat ille tunc annum tertium, & quinquageſimum: moriens incredibilem de ſe Sanctimoniae opinionem reliquit. Narrarunt clerici, qui ex multis circa locis, vt eius morti, atq; exeſequijs intereſſent cõuenerãt, eius cadauer admirabilem odorum fragrantiam emiſiſſe, & adhuc ſepoſitum tanquam viri plane ſancti magna veneratione conſeruari. Magno maerore tam ſtrenui operarij iactura omnes affecit. Sed damnum longe maius factum in P. Stephano Capillo, qui huius prouinciae procurator Romam miſſus, poſt multas in itinere terra, mariq. aerumnas exhauſtas, cum Senas veniſſet, in Italia tridui itinere citra Romam, morbo extinctus eſt, quanto cum incommodo ſuae prouinciae nondum legatione obita, nemo non intelligit. Sed omnia ſunt ad diuinam prouidentiam referenda: nec minus laeto animo aduerſi quam ſecundi euentus excipiendi. & vero praeter iacturam irritae procurationis, non leue detrimentum paſſi ſumus, cum virum excellentibus dotibus amiſimus, florenti praeſertim aetate, & ad munia Societatis exercenda coeleſti quodam Dei dono factum. annũ agebat quadrageſimũ octauum, octauum & viceſimum in Societate in rebus quas agebat mirae efficacitatis, & ſolertiae; laborum, & aerumniarum egregius perpeſſor. atque hanc homini ad labores ſedulitatem, & cõtentionem dicunt exitio fuiſſe. Sed erat illi ſuã, iam parata merces. Miſſio omnium vt ſperatur maxime frugifera, parata ſeu potius inita iam erat, ſed nondum, quo tẽdebatur, peruenerat. Quæres, vt plenius intelligatur, ſunt adhuc tantae regionis

gionis termini, accuratius aliquanto describendi, qua in re Peruuianorum nostrorum imprimis literas sequemur, & si ab editis Geographorum tabulis nonnihil mutuabimur. Omnem Peruuianae terrae faciem perpetua montium Iuga duo à Septentrione in meridiem excurrentia tres in immensas Zonas, qua maiore, qua minore interuallo partiuntur. Has omnium fluminum maximus scindit Maranon, is non longe ab ora Xurij, maris ortus, intra Peruuij fines per Andarum montes in Orientem fertur, sensim tamen ad Septentrionem se obliquans, ac cum subinde noua flumina excipiens longo fluxu ad regionem, quam Palmarum, ab earum arborum frequentia nominant, peruenit; tam immenso auctu excrescit, vt plus viginti leucas illius latitudo diducatur. inde ingentia terrarum spatia emensus, totus in Septentrionem versus octoginta leucarum latitudine immani alueo, paulo infra, si Geographorum tabulis est fides, vt verò Peruuianae nobis tradunt literae, paullo supra aequatorem Norticum intrat oceanum. Multas magnasq. easdemq. incolis bene frequentes insulas sed praecipue praeter ceteras insignem vnam trecentarum leucarum ambitu, quanta nulla in nostro interiore mari reperitur, complectitur, vt, si & cursus spectes longitudinem, & vndarum molem, silendi sint illi tantopere antiquitatis admiratione iactati Nilus, Indus, Ganges; quiq. alij aquarum magnitudine nobilitatem sibi peperere. E tribus ijs Zonis, quae hoc flumine alluuntur, dexterior, quae vergit ad mare Xurium multis, robustisq. gentibus, multis item magnisq. vrbibus incolitur: in quibus, & Lima, & Cusquium clarissimae ciuitates, & totum fere Peruuij Regnum

cense-

censetur. Sinistra ad mare Norticum extenditur excurritq. in meridiem ad fretum vsq. Magellanicum, continet tum gentes alias innumerabiles, tum praecipue Brasilios, Lusitanorum ditionem. Media Zona, qua ad interius dexteri montis latus pertinet calidior, & montosa asperitate, quā quae extra porrigitur immitior, Hi Andae nominantur, populi adhuc intractati, & regio non satis explorata. Interiora aliae atque aliae tenent gentes, maxima tum frequentia, tum earum multae rerum diuitiarumq. abundantia. In his tam multis, tamq. amplis regionibus varij situs varia locorum ingenia pariunt admirationem. Nam quae valles ad mare Xurium declinant, pluuiarum omnino toto anno sunt expertes, nulla hiems, nisi caelum perpetuo nubium obductu fedum, cum eodem tempore decem inde leucis vernent cetera. Contra vero celsa montium cacumina laetissimis Solibus serena. Sub ipso porro aequatore tanta frigorum asperitas, vt humana saepe corpora obrigeant. tum decidentium niuium copia omnem Italicarum Alpium excedit feditatem. Caeterum ex his tribus plagis Nortica, & Xuria iam pridem Christi fidem acceperunt. in mediam coepere iam multis partibus Euangelij praecones penetrare, multisq. gentibus Christianae fidei lumen inferre. Tucumanibus, Paraquarijs Ciuncis, & Montanis, qui à S. Cruce nominantur, vt deinceps opportunis locis ostendemus. In his quoque Andae, qui à Xauxa Vrbe nomen habant numerantur. Distat Xauxa ab vrbe Lima leucis quadraginta. Ad hos superiore anno penetrarunt P. Ioannes à Fonte, & P. Nicolaus Mastrillus, Nolae in Italia nobili loco natus. Sed qua primum in-

intrarunt, gentem infrequentem inuenere, raris domicilijs passim in agris habitantem, nulla plane forma Ciuitatis. Ac dum hic morantur, cognouerunt in alio tractu gentes alias, valde numerosas, & frequentes esse. Ad has in cetus ciuilemq. Societatem coactas posse commodius Euangelii semen importari. Itaque visum est, Andis Xauxanis in commodius tempus dilatis; ad gentes longe maioris frugis transmigrare: se igitur Guamangam contulere. Est Guamanga in ea plaga, quae vergit ad Kurium, non longe à fluentis Maranonis. in ea vrbe cum Hispanis, & indigenis nostrae Societatis ministeria exercebant. Interim Didaci Gauilani viri nobilis, & fidei pleni auxilio, qui Guamangae sedem habet, multarum gentium cognitionem acceperunt. Habet Gauilanus quatridui itinere à Guamanga magna praedia in Sintiguaylis. Sunt ii populi circa fluenta Maranonis, multiq. in iis Christiani numerantur, sed omni sacerdote destituti. Ad eos multi ex Andis infidelibus commercii causa saepe commeant: ac per eam occasionem Gauilani consobrinus, qui & ipse latifundia habet in eodem populo, cum Andis iunxit amicitias, eosq. saepius perpulit, atque inter ceteros Caciquios duos, vt ad Didacum Guamangam amicitiae causa venirent, à quo perbenignae accepti, & cum muneribus dimissi, tanta generosum virum beneuolentia complexi sunt, vt illius fidei permissuros totos se profiterentur. itaque spes est magni prouentus animorum. ipse Gauilanus valde liberaliter se nostris ad hāc missionem in sumptum suppeditaturum pollicetur, qui vt rem liquidius exploraret, Caciquium è suis popularibus Christianum hominem tribus ei comitibus adiun-

adiunctis in interiores Andas misit gentis cognoscendae caussa. is quinque sexue dierum itinere in eorum fines progressus duobus apud eos mensibus diuersatus, retulit regionem omnem, quocunq. venissent, vicis, conuentibusq. esse frequentissimam. Inde cum se cum suo comitatu per Maranonem demisisset, ad arcem veniisse, quam ipsi populi aduersus Andas alios sibi infestos valido praesidio firmarant: ad hos vsque fines Gauilani extendi amicitias, & clientelas. Hinc montis cacumen aperiri niue coopertum, ad cuius radices ingens hominum habet multitudo nam praeter indigenas, superioribus annis, cum Inguae, qui tum reges erat, potirentur, plus triginta capitum millia eo commigrarunt, qui è Peruuio ad eas Terras incolendas ob soli bonitatem missi sunt, vtunturq. omnes sermone Peruuiano: quae res magnam habet opportunitatem ad semen euulgandum Euangelij. id cum superiore anno Cusquij cognitum esset, peroptauit Societas eam missionem, cuius iam videtur occasio, si operae suppetant, ad maturitatem peruenisse. sed omnium maxime expetenda missio videtur ad Iscaysingas. distat haec gens ab arce, quam diximus Maranoni impositam leucis circiter decem, in citeriore ripa sita: regio auro abundat: populos habet, & multos, & frequentes: homines imprimis comes, & humanos: vestitus his comptus, & ornatus, multoq. auro conspicuus; contra communem Peruuij morem barbam alunt. Maynas praeterea gentem aliam in vlteriore Maranonis ripa, sed vnius diei itinere ab amne dissitam, esse cognouerunt: homines, procero, & robusto corpore, circa ipsum Maranonem, alios q. fluuios, qui in ipsum influunt, populos sane frequentes diuersaris

totam regionem feracem, & amenam, bonorumq. alimentorum abundantem. incolae, vt ex decenti oris & corporis habitu, qui ea loca nauigarunt, colligebant, humanitatis, & cultus amatores. Atque haec omnia à Caciquio, quem Gauilanus miserat prius, mox etiam accuratius, & certius ab Hispano homine, qui Guamangae degit, & ea loca cuncta peragrarat, Ioanne Gomesio domo Murtiano cognita sunt. Sed tam multas gentes à duobus tãtum excoli hominibus ardua res est, & plane insuperabilis. quare Cismaranonanos excolendos suscepere: nec quidem omnes, esset enim infiniti operis: sed eorum consilium erat Guamanganis, & Sintiguaylis obitis, per Maranonem ad Iscaysingas se conferre: indeq. mediterranea intrare: ingentes enim planicies magnis populis frequentes se aperiunt. In hoc cardine res erat, cum Peruuianae litterae datae sunt. Quid Gaumangae interim, & in Sintiguaylis actum sit, quemque exitum totum missionis consilium sortitum insequentis anni literae docebunt. Deus orãdus vt eum, quem volumus, sortiatur.

COLLEGIVM Cusquiense.

IN vrbe Cusquio indigenae, Hispaniq. simul excoluntur. Societatis ministeria eadem, quae locis alijs: sed cum indigenis occupatio praecipua, quinae per hebdomadas singulas ad eos habentur conciones, vna in foro, altera in Cathedrali Ecclesia: ad quam dominicis diebus ex omnibus pareci-

rectis conueniunt sub vesperam; reliquae domi nostrae. harum concionum fructus illa maxime declarant: confessionum ingens numerus, quae fere nunquam desunt, tum vrbanorum, tum eorum, qui huius rei tantum causa ex circumiectis locis à sex decemue leucis Cusquium conueniunt: & frequens eorum conuentus ad piam diuerberationem in nostro templo quarta quaque, & sexta feria; idq. tãto numero, quanta est templi laxitudo. sed in ijs praeter coteros excellunt, qui in sodalicio sunt adscripti. hi enim ceteram cogunt continentq. multitudinem. Huc accedit non parua caecorum mendicantium manus, qui nobis ad id munus magno vsui sunt, & leuamento: siquidem assiduam, & fidelem praestant operam catechismo, & Christianae doctrinae tradendis rudimentis. qua re duplex vtilitas proficiscitur: nam & rudes Christianae vitae praecepta docentur, & mendici certam habent, statamq. suae vitae sustentationem; cum ab ijs ipsis, quos erudiunt, alantur. Quod ad Hispanos attinet, scholas habemus Latinae linguae duas, tertiã de iure conscientiae: quae magno cum huius Ciuitatis bono frequentantur. Ceterum P. Rectoris concione factum est, vt multi vitam in melius commutarint. excursiones nonnullae in circumiecta loca habitae. P. Gregorius Cisnerius vna excursione septem diuersos populos lustrauit; fructusq. extitit non contemnendus. Oratoria multa, vt ipsi appellant, seu conuentibula, lustraue potius furiarum diiecit, in quibus malefici miseros homines fallacibus superstitionibus decipiebant, atque ita in eo genere plus sexcentis hominibus bene consultum; superstitionis, & reliquiae adhuc veteris impietatis abolitae. in ijs illud praecipue

quod ad leuandam itinerum defatigationem ritus quosdam plane ridiculos, sed ex antiqua superstitione retinebant. Nam qui Potosium (huius Regni Ciuitas est) iter faciebant, cum in itinere conscenso colle in locum certum peruenissent, stulta quadam cerimonia, folia arbusculae cuiusdam, quae gentis consuetudine in ore ferunt, proiiciebant: scilicet vt cassa illa & inani religione vires itineris labore fractas reficerent. Alij crines aliquos sibi praesecabant; calceos, sandaliaue, alij sibi detrahebant, eaq rupi offerebant, petebantq. sibi adimeret lassitudinem, iterq. illud sibi secundaret. Eadem faciebant cum itinere ad Andas ad petram quandam peruenissent. Dedocti sunt errorem; & à quo petendum auxilium commonefacti. In tanta tamen barbarie, tamq. altis insciti ae tenebris non est abbreuiata manus Domini, quin coelestium bonorum copiam aliquibus affundat. in ijs admirandae virtutis anus referenda, quae praeter cilicium, quo continenter corpus atterit, se quoque flagellis acriter diuerberat, vt parietes cruore sint aspersi. eadem quotidie plus duabus horis in templo precationi operam dat: eaq. toto vitae genere edit documenta pietatis, vt omnium sermone celebretur. Magno studio praeterea sacerdos in eadem peregrinatione rudimentis fidei teneram aetatem informauit, magna ipsorum puerorum alacritate, & frequentia: fuitq. populus, in quo plus quadringenti pueri conuenirent. hi postmodum adultis grandibusq. magistros se praebent; tantaq. veneratione, ac beneuolentia prosequebantur sacerdotem, vt ab ipso non facile diuellerentur.

COL-

Digitized by Google

COLLEGIVM Quitense.

QVITI eadem ratione bipartita prouincia in Hispanos, & indigenas Societatis ministeria collata. & quidem in Hispanis additum videlicet aliquid hoc anno ad pietatem, concionibus maxime P. Rectoris, quas Aduentu toto, & Quadragesima pomeridianis horis habuit tanto concursu, vt templi parietibus excluderentur multi. Quantum vtilitatis ex ijs collectum sit, eorum multitudo, qui ad confessionem accurebant, declarauit, praesertim Pontificio Iubileo promulgato. ingens fuit eo praesertim tempore paenitentium ad nos concursus. toto tamen anni tempore, opera continuata. quod in frequenti admodum ciuitate fieri necesse est; cum praesertim primariae nobilitatis tum viri, tum feminae ad nos confessionis caussa conueniant. Habuere etiam momenti aliquid ad pietatem augendam supplicationes aliquae, quas grauibus de caussis P. Rectoris suasu ad templum extra vrbem B. Mariae Gaudalupēsis clericorum capitulum decreuit. quibus supplicationibus ipsa B. Virginis imago, quae in eo templo colitur, deportata est. Nec segnem operā praeterea nostri praestitere conciliandis dissidentibus: vt iam communi omnium voce feratur, praecipuum quoddam esse nostri ordinis hominibus collatum conciliandorum hominum talentum. Ad consuetam Doctrinae Christianae explicationem, quae, vna cum concione ad circumfusam multitudinem in foro explicatur, est illud additum hoc anno, bis

tollantur; multisq. & maximis incommodis obuiam itur, vitia multa emendantur: in contrahendis maxime, contractisq. matrimonijs, quae ex ignoratione iuris euenerunt. neque vrbani solum, sed etiam agrestes eodem pietatis genere tenentur. quorum magnus numerus, vt apud nostros suas conscientias aperiant, ad vrbem confluunt: cum tamen in sua quisque parecia proprium habeant pastorem. Iam vero aegroti nullum aliũ Sacerdotem adhibent, quam de Societate. Et cum grauis quaedam lues eorum multos oppressisset; dici vix potest, quanto nostrorum labore illorum indigentiae subuentum sit; vt nulla interdiu daretur quies ijs, qui aegrotantium domus obirent. Nec minor, quam in confessione obeunda, etiam in Missae sacro frequentando ipsorum pietas elucet. bene mane ad primum sacrum euocantur: ad quod certatim magno studio conueniunt. videre est eos, cum datur signum, per vias cursitare, tanto numero, vt templi parietes frequentiam non capiant: quae res magnam sane facit admirationem, vel Hispanis ipsis, cum praesertim recordentur ante nostrum in hanc vrbem aduentum, ne metu quidẽ apparitoris, eos adigi potuisse, vt vel diebus festis ad templum se conferrent. Est magnus mulierculârum numerus indigenârum, quae ad lasciuiam compositae suis illecebris magnae Ciuitati vniuersae offensioni sunt. earum multae a procaci consuetudine abductae, vere & serio vitam instituere meliorem. Eam porro corrigendae vitae voluntatem partim concionum grauitate, partim confessariorum reprehensionibus, grauiq. comminatione concepere. Est in hac vrbe, vt virorum, sic etiam feminarum pia sodalitas instituta: in eam multae

ex

ex ijs, quae se ad frugem receperunt, sunt adscriptae. quarum est ea vitae molestia, & castimonia, vt ex Hispanis multi, nouae rei admiratione, vitae corrigendae studium susceperint: quiq. ante illis procaciter illudere solerent; eas contra nunc reuereantur. Quod si quis aliquando ea fuerit audacia, vt aliqua ea molestia lacessere, non metuat; sola comminatione se ea de re Societatis patres facturas certiores, molestam redimunt vexationem. id enim viri plus verentur, quam si Regij, aut Ecclesiastici metus Iudicij intentaretur. Et quidem nonnullae eos apud nostros accusarunt, à quibus esset ipsarum constantia tentata. Sed praecipua laus in fouenda Christianorum pietate, est eorum qui in virorum sodalitate sunt adscripti. Horum omnium primi ad Missae sacrificium, ad Catechismum, ad concionem conueniunt; tantoq. diuini verbi audiendi studio tenentur, vt binis terniſq. concionibus diebus dominicis sponte intersint. Confessionis vsque eo sunt studiosi, vt cum abundanti multitudini sacerdotum paucitas satisfacere non possit: ideoq. sit cuiq. suus praescriptus numerus quoties adeat ad confessionem: multis tamen multa ipsorum contentione fuerit laxior venia concedenda. atque hi, non sua religione contenti, alios etiam extra suum numerum ad fidei mysteria, & discenda, & colenda adhortentur. itaque eorum industriae, & operae magna ex parte tribuitur frequens ille ad Sacra concionesq. concursus. neque ad ea solum, quae citra corporis offensionem obeuntur, strenuos se praebent; sed cilicia quoque, & ieiunia tam laeto suscipiunt animo, vt magnam sibi gratiam factam putent, si quando harum asperitatum suus compotes: beneq. sæpe tri-

siliunt

siliunt terminos praescriptos. ieiunia vero tam auide arripiunt, vt cum Hispanis ipsis contẽdi possint. quin eos etiam aliqua ex parte superãt: nam ad statos Ecclesiae dies ieiunio dicatos, multi aduentus tempora adiiciunt. quod multi in Europa non modo non faciunt, sed ne religionem quidem illius temporis agnoscunt. Multi etiam, tum viri, tum feminae à confessario eam sibi concedi abstinentiam contendunt, vt certis diebus, pane tantum, & aqua victum finiant: quo genere certe nostrates non ita passim delectãtur: & haec homines faciunt à cultu daemonum nuper traducti, & in terris vt longe dissitis à nostris finibus, sic etiam à nostro cultu, atque humanitate alienis. Ad verberationem vero sexta quaque feria in nostrum templum non ipsi tãtum frequentes conueniunt, sed illorum exemplo, inuitatuq. multi tum Hispani, tum indigenae ad eos se adiũgunt. Quadragesima vero ter quaque hebdomada eandem obeunt religionem, tanta hominum multitudine, vt eos templi spatia non capiant. itaque in aulas templo vicinas superfluentem numerum exonerare necesse est. neque ad eam corporis castigationem subeundam impigras, quae sunt in sodalicio feminae, se praebent: sed ipsae quoque intra suos quaeque lares eodem punitionis genere in se viriliter animaduertunt. Doctrinam Christianam probe norunt: neque eam tantum, quam cetera turba docetur rudium, & paruulorum, sed alium quoque catechismum pleniorem, quo quaestiones multae de altissimo Sacrosanctae Eucharistiae mysterio continentur; vt multo plura de tam abditis rebus gens in hac extrema nata barbarie, & recens ad Christi fidem adducta vulgo norit, quam multi in ipsa Europa, & in

ipso

ipso Christianae religionis flore nati atque educati. magno praeterea nobis adiumento sunt ad multam ebrietatis, & lasciuientis vitae licentiã coercendam: siquidem ipsi in medijs licenter viuentium cetibus versantes, multo, & proprius, & melius, quam nos, quae medicinam desiderant perspiciunt. Octauo quoque die Sabbatho, peracto primo sacro Sacerdote vno duce, sodales omnes ad valetudinarium se conferunt: aegrotos solantur, cibaria inferunt, lectos sternunt, pauimenta verrunt, lances purgant: eamq. quam possunt operam miseris humaniter impendunt. Habemus hic quoque magnum caecorum numerum mendicato viuentium, & vt id genus egenorum est memoria tenaci, à nobis bene instructi per vrbis agriq. vicos dimittuntur erudiendis ijs, à quibus in tanta multitudine ad nostram disciplinam non datur aspirare. Iidem Dominicis festisq. diebus pia carmina decantant, quibus indigenae mire tenentur, conueniuntq. ad audiendum libentissime: & iam eorum patria carmina, inanitatis plena, & lasciuiae obsoleuere; atque in eorum locum pia cantica, catechismi maxime beneficio, & caecorum cantu successere. Sed in primis magnus ille fructus est habendus, qui a concionibus profectus est totus, aut certe maxima pars: quod maleficia, & mali daemonis praestigiae, ita ex hac gente sublata sunt, vix vt eorum vestigia cernantur. Ita Dei beneficio Euãgelij sementis multis quotidie vitijs extirpandis perpurgatur. Ingens praeterea vitiorum fomes Reuerendiss. Episcopi diligentia sublatus, cum mulierculae indigenae, vel in aliorum concubinatu viuentes, vel liberiore cultu, victuque alios interitum pertrahentes, in pium ab ipso erectum domi-

strinae, vt iam vtriusque rei fructus colligantur. nam aliqui diligenti, & accurato examine probati, eo tantum nomine, quod idonea doctrina sunt instructi, ad sacros ordines promoti, probitatis edunt exempla in dies illustriora. nam, cum viderent nostros Sacerdotes quotidiana, & assidua audiendarum confessionum opera distineri; nec satisfacere indigentium posse multitudini, suppetias nobis tulere, illius in se operae partem deriuantes; diuinumq. negotium serio & ex animo suscipiunt. Tantum denique modestiae, probitatis, & doctrinae specimen praebent; vt à Religiosis familijs multis expetantur, clandestinisq. litteris eorum animi sollicitentur. neque vero quandiu in ea viuunt disciplina modeste se gerunt, inde vero emissi habenas cupiditatibus remittunt: quin conceptam vitae probitatem, amoremq. integritatis multo, & firmius retinent, & studiosius etiam prae se ferunt. Erat vni eorum iam Sacerdotij ordine initiato parochialis Ecclesiae cura demandata. hic impigre & magna vigilantia munus administrabat suum, nullum in sua parecia concubinatum tolerabat, alia praeterea vitia, quibus abundant Ciuitates, acriter insectabatur, vt suam redderet Ecclesiam perpurgatissimam. offendit lucis osores illa diligentia, quibus tanta integritas minus placebat. itaque vt illius existimationi labem aliquam aspergerèt; & si qua ratione possent, latranti cani os obstruerent, mulierculam indigenam ex eo genere, quae formam pluris faciunt, quam famam, subornant, vt per noctem ad eum ingressa hominem sollicitaret. eam ille in praesens magna vi repulit ab se: neque vltra tetendit, ea victoria contentus. postero die misit, qui illa eo nomine male verberibus

exci-

exciperet: edixitq. se ita tractaturum, quaecunque mulier indigena pedem auderet intra sua limina inferre. quae res euidenti integritatis documneto, pudore non mediocri affecit aduersarios. Haec aliaq. eiusmodi permulta in eam mentem Episcopum impulerunt, vt nihil sibi opportunius accidisse existimaret, ad huius Seminarij vtilitatem, quam Societatem illius administrationi praefecisse. Itaque diploma regium impetrauit ne aut ipsius obitu, aut vlla rerum commutatione, vel capitulo, vel ei, qui sibi successerit, quidquam immutare liceat eorum, quae ad Seminarij regimen cum Societate transegit. Et iam experimento, exemploq. Seminarij huius, quanta in hisce rebus à Societate vtilitas percipiatur edoctus, statuit Seminarium alterum è pueris indigenis instituere, eiusq. item administrandi curam Societati demandare.

COLLEGIVM Potosinum.

POTOSII cessit è vita Franciscus Castrius magno nobis eximiae virtutis exemplo relicto, cuius & si repentina prope fuit mors, (est enim quatriduo consumptus) tanta tamen animi aequitate & virtute difficili illo certamine perfunctus est, vt quam tristitiam tam subita, & nec opinata iactura attulisset, maiore spiritali solatio tanta perspecta pietas compensarit. Sextum agebat in Societate annum, cum confestim vocatus, mortis compendio imminentia vitae pericula redemit.

Digitized by Google

mit. Extitere interim ex hac vinea fructus non paenitendi. Hispani primum, qui hanc vrbem incolunt, ad studia pietatis excitati: & qui antea alieniores ab ea cogitatione, & sacramentorum vsu habebantur, nunc tanta frequentia ad conciones, & confessionem tum viri primarij, tum plebeij concurrunt, vt cum ijs, qui in ipsa viuunt Hispania contendi possint. Data est opera per nostros, vt xenodochium magnis eleemosinis subleuetur: collataq magna pecuniae vis est aliaq. multa ad aegrotorum leuamentum, tam Hispanorum, quam indigenarum transmissa sunt speramusq. indies rem maiora incrementa habituram. Est etiam optime carceri consultum. nam P. Rectoris industria sodalitas instituta erat, cui viri primarij, ipsiq. magistratus nomen dederant; quae suis eleemosinis, aliisq. quae in dies corrogantur; vinctos inopes, tum Hispanos, tum idigenas alendos, ipsorum causas expediendas, aes alienum dissoluendum, & quamprimum è custodia curet emittendos; atque vt ijs interim, qui detinentur, sacramentorum copia non desit; doctrinam Christianam doceantu, priuatae conciones. hortationesq habeantur; vt alea, impudicitiaq. inde exsulet. & iam huius sodalitatis à P. Rectore scriptae constitutiones erant, atque à Reuerendiss. Episcopo approbatae: ab eodemq. sodalitas ipsa indulgentijs ornata; tantoq. omnium studio suscepta res est, tamq. multae in eam rem eleemosinae collatae, vt breue iustum vectigal ad eas impensas sustinendas constitutum iri asseuerent. Repetita est longo interuallo consuetudo ad diuinas commentationes profanos homines vocandi. & iam viginti circiter nostris exercitationibus instituti: quorum is fuit exi-

tus

tus, vt diuini obsequij studio religiosae vitae consilium singuli susceperint. Ingentes praeterea concursus virorum, ac feminarum; maiores vtique quam ad instructas, apparatasq. de rebus grauibus conciones; ad familiares quasdam, & faciles de sanctarum historiarum exemplis homilias fieri coepti: quas hoc anno primum in hac vrbe Dominicis diebus vespere instituimus, tanto cum rei Christianae emolumento, vt multi acti paenitudine, totius vitae confessionem instituerint; alij se ad diuinarum rerum contemplationem vltro detulerint erudiendos; alij religiosae vitae instituta varia susceperint; multi eam vitae morumq. commutationem fecerint, vt alijs exemplo sint. Nec minor de Peruuianis suscepta sollicitudo est. immo vero tanto maior, quanto difficilius est homines alio ingenio praeditos, alijs moribus assuetos, alijs institutis, opinionibusq. imbutos, alieno idiomate vtentes ad virtutem, & Christianam pietatem informare. studiose tamen laboratur, & id quam contentissime studetur, vt vernaculi huius terrae idiomatis addiscendi difficultas omnis deuoretur. Verum qui eius linguae facultatem sunt adepti, strenue in illis iuuandis omnem operam impendunt. Catechismi Dominicis diebus eaedem sunt, quae locis alijs exercitationes. Confessionum tantus numerus; vt cum per hebdomadam diebus singulis Sacerdotes quatuor quinqueue, interdum sex, in templo ijs audiendis dent operam; nulli tamen vnquam vacuū tempus relinquatur. fructus ex ijs, qui esse solent, extitere, multorum vitiorum amputatio. Sed in hac noua Christi sobole illa fuere praecipua: multi à concubinatu abstracti, (quippe Ethnicis non tāta religione imbutis libidinū licentia, ebrietas, &

veneficia vulgaria sunt) multi cum concubina legitimo matrimonio coniuncti; alij qui vetusta patriae consuetudinae matrimonia contraxerant, Christiano ritu copulati; multi à praua, & Ethnico more viuendi consuetudine abducti. Sed quod magnam affert animo voluptatem, qui in eorum sodalicio sunt adscripti, dignam plane christiano homine vitam agunt: non modo procul ab omni ebrietatis, & libidinum procacitate; sed tanto etiã studio pietatis, vt nulla quantalibet mercede vlle se grauioris criminis contagio commaculent. ex eorum numero feminas esse scimus, quae in suam pudicitia, quasdã etiam virginitate tuenda, eam constantiam, & virtutem praestitere, vt ad sanctarum virginum, quae ab Ecclesia diuinis afficiuntur honoribus, laudem quam proxime accedant. nam quotidie missae sacrum adire, rosarium Virginis percurrere, concioni, ac catechismo interesse, singulis mensibus peccata confiteri, statis temporibus Sacrosanctam Eucharistiam percipere, omnibus iam Peruuianis neophytis ijs, qui sodalicijs nomen dedere, commune, & vsitatum est. neque ijs iucundius quidquam esse potest, quam de rebus diuinis audire, & sermocinari, ac noui semper aliquid cognoscere. cuius rei causa crebo patres adeunt, scisitantur, se doceri postulant; vt nulla re Christianis veteribus deteriores iudicentur. Statis certisq. diebus carcerem, ac valitudinarium inuisunt. Videre est cuiusque hebdomadis secunda feria virorum, ac mulierum agmen scopis instructum per mediam vrbem ad verrendum valetudinarium, vasa purganda, aegrotisq. pia opera ministrandum incedere. quae res non probationi solũ, sed admirationi etiam ciuitati fuit vniuersae.

magno

magno etiam animo, magnaq. liberalitate ad sacrorum ornatum suppeditant insumptum. nam praeter argenteum ferculum, quo sacra Eucharistia solemni Pompa defertur, quae sex millibus ponderum aestimatur, hoc anno amiculum signo Infantis Iesu totum vnionibus, margaritisq. intertextum, confecerunt, duorum millium ponderum impensa. Monile etiã plus quatuor millibus. altarium frontalia, argentea candelabra, aliaq. tum ad vestem, tum ad sacram suppellectilem augendam, ornandamq. tam multa contulerunt, vt ad sex millia ponderum summa peruenerit. Ingens praeterea in pauperes pecunia erogata: vt quae ad nostram tantum ianuam in indigenas egentes sunt distributa, mille, & ducentorum ponderum summam excedant. E feminarum sodalitate neophyta quatuordecim millia ponderum nobis eleemosinae nomine dono dedit: nullo nobis onere impositio: vt & beneficij prouentu, & benignitatis magnitudine, quemlibet Principem virum ex antiquo Christianorum numero potuerit aequare. Lipes, populi sunt ex alio tractu Peruuianae terrae, homines abiecti ingenij, & seruili condicione huc adducti. ij operae pistoribus praestandae addicuntur: ac ne fuga solum vertant, ab ipsis pistoribus in ergastulis compacti attinentur; neque illis vnquam aut ad catechismum, aut ad Missae sacrum datur aspirare; neque fuit adhuc qui eos instituendi cogitationem vllam susciperet: ita diuinarum rerum apud eos nulla cognitio. Egit P. Rector cum Reuerendissimo Episcopo, vt ijs Christiana pietate imbuendis suus praeficiatur sacerdos. quae res ad diuinum honorem, multarum animarum vtilitatem, magnum est momentum allatura.

Digitized by Google

COLLEGIVM
Ciuquiabense.

CIVQVIABI concionum, & confessionum non exigui fructus fuere: alsarum familiarum religiosi patres quanti nos faciant illud argumento est, quod ad conciones in suis templis habendas, cum sacri suarum Ecclesiarum, aliq. religiosiores dies recurrunt, Sacerdotem nostrum inuitarunt. Tum Franciscani ipsi è nostro numero Theologum magna contentione rogarunt, vt publicis eorum de Theologia disputationibus praesideret. quibus magna cum omnium probatione satis est factum. Pacificationes aliquae magni momenti factae sunt. Duo graui odio, & diuturno dissidebant inter se. erat vterque vni è nostris Sacerdotibus amicus. hic tantae inter eos simultatis ignarus, forte vt in consuetudine fieri solet, vtrique seorsim persuasit, peccata vt confiterentur. per eam occasionem solertis confessarij hortatione reconciliati sunt, ita vt alter alteri pedes oscularetur. eorum etiam alter multorum annorum instituit confessionem. nam odio illo impeditus, aliquandiu Sacramentis abstinuerat. Excitauit ea res multorum studium peccata eidem Sacerdoti confitendi; qui eos, quorum nota omnibus simultas erat, reconciliarat. Duo, qui publico honore fungebantur, certabant inter se vter alteri praestaret: eoq. vsque cõtentio processerat, vt alter cum armatis hominibus alterum opperiretur, qua erat illi transeundum, dum extra vrbem sua praedia inuiseret. id cum è nostris Sacerdos resciisset, dedit operam, vt tanto malo obuiã iretur

Digitized by Google

iretur: & uter ad concordiam, & pacem, iuuante numine, reuocaretur. Alius breui fistula cum chalybe instructus in itinere incidit in suum inimicum; in eumq; gladem diseludere conatus, ictu irrito, male ferro ab ipso quem petierat accipiturz duodecimq; letalibus vulneribus acceptis, in campo pro mortuo relinquitur. distabat quinque leucis ab vrbe locus. accurrere communes amici ad Collegium. P. Rectorem obsecrant, aliquem eo mittat Sacerdotem, qui saucij, & exanguis hominis, in agro destituti, excipiat confessionem: & exeunti animo è corpore opem ferat. Profectus Sacerdos multa die, cum tota nocte ad indicatum locum conitédisset, aegrotum non inuenit. postero die cũ adhuc quaerendo oberraret, superuenientibus alijs idem flagitantibus, missus Sacerdos alter turbida nocte, imbribusq. ac tonitruis horrifica, peruenit tandem ad aegrotum: eius confessionem excepit: animumq. ita pijs monitis instruxit, ac sedauit; vt omnem iniuriam inimico condonarit; multisq. testibus magistratus obsecrarit, suã ne caedem persequerentur. Is postea in vrbem comportatus contra spem omnẽ Dei beneficio melioribus conceptis votis conualuit: & nunc confessionis Sacramento animum accurate excolendo, meliorem, & Christiano homine dignã vitã ducit. Alia praeterea inter viros tum primarios, tum plebeios periculosa, & grauia dissidia sublata: sedata etiã discordia, quae inter clerum, & Vicarium succensa, in periculosum videbatur incendium exarsura. Doctrina Christiana eadem ratione, qua ceterarum ciuitatum, etiam huius ciues imbuuntur. Visitatae habentur supplicationes puerorum à nostra ad primariam Ecclesiam. Explicatur de more Catechismus: eaedemq. haben-

tur exercitationes, concionesq. ipsorum vernacula sermone. fructus indicat frequens multitudo ad confessionem accurrentium. Et quidem probari Diuino numini horum populorum pietatem, multa saepe declarat. eorum vnus apud Hispanum hominem seruitutem seruiebat: à quo tam aspere tractabatur, vt saepius vitam suspendio finire constituerit. ac licet eius rei causa in abditissimas latebras concederet, nunquam tamen ei contigit, vt nefarij voti compos fieret, opportuno semper aliquo interpellatore superueniente: saepeq. accidit, vt cum collum in laqueum iam induisset, cum se praecipitare vellet, diuina miseratione eadem ratione liberaretur. Hic tandem confessione accurate peracta, & pijs monitis sacrisq. munusculis à confessario instructus, ea mentis intemperie liberatus est. Multi, accurata de confessionis integritate disputatione audita, multorum annorum confessionem reuoluerunt. Est & hic quoque Neophytorum sodalitas instituta. in eam tantum qui meliore sunt indole, quam ceteri, & ingenio dociliore, sunt admissi. hi nobis magno sunt vsui, ad gentiles suos alliciendos, & eos qui se ad Christum adiungunt catechizandos. Ita populi multi, ad quos nondum nostri penetrarunt, neque nostrum quemquam viderunt, sola fama permoti eorum, quae ex his sodalibus cognouerunt, nostrorum aduentum in suas terras flagitarunt: longe enim lateq. patet circumiecta regio, multosq. populos doctrina indigentes continet, ad quos missiones magno cum fructu saepe fiunt. Regio est, quae instar Prouinciae instar habet: eam Cincuytum appellant. huc missi Sacerdotes duo, magistratus Ecclesiasticos à ciuilibus grauissime dissidentes, magno cum gentis totius, atque adeo

adeo partis vtriusque bono reconciliarunt. inde ad populos erudiendos versi, quacunque venerunt quotidie catechismum explicarunt. tum dies totos confessionibus audiendis posuerunt. Et, vt in agresti populo, & legum ignaro contingere necesse est, matrimonia multa inualida, ritu Ecclesiastico confirmarunt. menses duos in ea peregrinatione posuerunt, nouos subinde populos adeuntes, & Christianae vitae praeceptis erudientes. Exacto hiemestre, quasi noua suscepta Prouincia, ad populos alios circumpaludanos obeundos se conuertere. Est in huius vrbis ditione palus ingens, cuius ambitus in leucas plus octoginta sese aperit. in eam e flumina multa se exonerant: ipsa non nisi ostio vno, & eo quidem perangusto se emittit, vt non latius decem passibus aperiatur. quaq. exit tam lento, sedatoq. fluxu meat, vt in neutram partem fluere videatur summam fluminis faciem intuentibus: si vero bolides aliaue pondera funiculis alligata in imum demittantur, rapidissimo intus flumine auferantur. Inde spatia quadraginta ferme leucarum emensus amnis, palude alia non plus vnius leucae ambitu absorbetur. credibile est occulto in mare defluere meatu. Sed circa maiorem paludem populos multos, eosq. bene frequentes, catechismum, ex diuini verbi sementem circumferentes obiuerunt. Sunt in ipsa palude minutae quaedam insulae. Hae à miserabili admodum genere hominum incoluntur: ad eos transmittere nostri decreuere. Lynthribus ex asseribus iunco, fenoq. colligatis, eo eluei modulo, vix vt in singulis terni vehantur, illa aestuaria nauigantur. Ex his octo breui fabricatis, Sacerdotes suum vterq. lynthrem conscendere, accolis eos valde deterrentibus, ne se tantae aqua-

rum vastitati tam infirmo nauigio committerent. sed metum omnem diuina causſa, atque obedientiae fiducia abstersit. Comites indigenae, quorum opera ad commeatum, & apparatum reliquum supportandum vtebantur, in sex reliquos lynthres distributi. hac tantula classe bellum tartareis principibus illatum; ad eosq. antiqua possessione pellendos iter initur. Sub vesperam ad vnam ex ijs insulis, eum mane soluissent, appulerunt. huc, vt venerunt, miseranda omnino rerum facies obiecta est. misera pleblecula in iuncetis temere enatis habitabat. tuguria è cespitibus excitata, nullo alio nixa firmamento, nisi ipso, in quo constructa erant, iunco, fenoque: intus tã limosa & vuida, vt nisi quis caute ingrederetur, iuncisq. & vligini adhaeresceret, ad vsque genua luto pedes mergerentur. victum ijs iunci feniq. radices, & lacunae piscatus suppeditant. ita apud eos lautiae nullae, nullae delicatiores epulae, exquisitioris cibi nullus vsus, cognitio nulla; vt non nisi naturalis desiderij sedandi causſa, ad cibum capiendum adigantur. lingua vtuntur à communi Peruuiana aliena, quam cum ignorarent nostri, per interpretem quatenus licuit, miseram illam gentem sublenarunt: doctrinam Christianam docuerunt: Missae sacrum celebrarunt: baptizarunt infantes; eosq. rerum illarum, quas secum comportabant, pro copiae tenuitate, participes fecerunt. hac ratione insulis obitis renauigarunt, vnde venerant, vt ad Aymaraes (populi sunt illius orae quasi alterius prouinciae) peruenirent. Ex itinere cum alios circumpaludanos Doctrinae Christianae causſa, cuius illi maxime sunt indigen-

gentes obirent, vitae non leue periculum adierunt. Vici cuiusdam Caciquius filiae nuptias celebrabat: suppeditabat ea res de more magnam populo materiam ebritatis. graui eos oratione Sacerdos alter deterruit à vino, & compotationibus. id cum resciisset Caciquius, ita tulit indigne, vt homines submiserit, qui Sacerdotem domo exeuntem obseruantes opprimerent. id post periculum vitatum resciscitum est. Caciquius postea cum malefici senis suasu superstitioso sacrificio, vt Sacerdotem nostrum vlciscereturr, esset intentus, ab apparitore comprehensus cum venefico sene suae impietatis poenas dedit. Cum circa eos populos versarentur cognouerunt, patrem Rectorem Iulidensem occupasse ad Aymaraas peruenire. Quare mutato consilio, illis omissis ad alterius prouinciae populos erudiendos, quos Omasurenses vocant, perrexerunt. ibi adhuc cum Peruuianae litterae datae sunt, versabantur. Hactenus missionis eius res cognitae sunt, reliqua insequentis anni litteris cognoscenda.

COLLEGIA Ciuquisacanum, & Arequipanum.

EDVOBVS Collegijs Ciuquisacano, & Arequipano litterae nullae datae, aut certae perlatae adhuc sunt. Sed quae ante datam prouincialium litterarum (quae XIII. Cal. Sept. inscripta erat anni CIↃ IↃ XCVII.) nota erant

erant, is qui Peruuianas annuas confecit haec tradit. Ciuquisacae schola una explicatur de communi lingua Peruuiana in usum clericorum, qui ad curam instituuntur animarum. Docentur praeterea huius Ciuitatis adolescentes latinam linguã. Est haec Ciuitas Episcopalis; & Prouincialem habet multarum vrbium Iurisdictionem, quam appellant Audientiam: in primis magna indigenarum frequentia celebris, quo fit vt magnam Societatis ministerijs materiam suppeditet. Hic diem suum obijt P. Martinus Bizarrus, vir cum magna probitate, & virtute, tum maxime concionandi facultate Hispanica & Peruuiana lingua valde notus, annum aetatis agebat quadragesimũ quintum, vicesimum nonum in Societate. Sanae illius mores omnibus fuit perincommoda.

Arequipae magnus Hispanorum adolescentium numerus latinas literas docetur. Indigenae tum urbani tum agrestes Christiana Doctrina vsdem exercitationibus instituuntur. commodum in vrbe templum nobis aedificatur. Hic quoque vixit P. Ioannes Emanuel de Anaya longo & graui morbo exercitus. Senex sexaginta duorum annorum: quarum octo & viginti egerat in Societate, magna cum Hispanorum, & Peruuianorum vtilitate. facta sunt ex hoc collegio missiones aliquae: sed de his quoque rebus listae desiderantur.

COL-

COLLEGIVM S. Iacobi in Regno Chilae.

DISTAT Chilae Regnum à Peruuiano: latissimeq. patet, plenasq. prouincias, ac peramplas vrbes continet. In eo non ita multo ante, collegium Societati constitutum est, in vrbe, cui à S. Iacobo nomen est, à quo non in hanc vrbem modo, sed in omnes etiam latissimi Regni oras, quae, à Societatis ministerijs proficisci solent, promanant vtilitates. Ac primum in ipsa Ciuitate conciones habentur, ad Hispanos in nostro, & primario templo, & in foro. & fori quidem concionem sibi depoposcit P. Aloisius de Valdiuia Collegij Rector, & constitit operae fructus. Erat in vrbe vsu iam roborata pernicioſa admodum consuetudo, cuius incommoda sentiebantur quidem, sed tanti mali causſa non aduertebatur. nam Hispani tum diuites tum inopes nullo discrimine vinum indigenis vendebant. quo fiebat, vt sunt illi suapte natura ebrioſi, vt ex ebrietate rixae inter eos orirentur, multiq. in eo furore interficerentur. ac primo quidem anno, quo Societas in hanc vrbem venit, quinquaginta circiter hominum caedes commissae, praeter alias multas, quas percussorum domini suppresserunt, ne foras promanarent. aduersus tantam segentem malorum P. Rector graui admodum oratione contentionem suscepit, & licet initio aduersarentur multi, quod magno emolumento priuarentur; nec deessent, qui improbae causſae patrocinarentur, idq. saluo officio contenderent licere: causſam tamen, magistratuum praesertim auctoritate,

tate, unus P. Rector obtinuit. ita magna caedibus materia subrata, ferriq. licentia repressa, vix vt ecce, anno toto interfecti sint. quae moderatio nulli alii rei tribuitur nisi sublato illo incommodo, & susceptae praeterea rudium hominum institutioni. Ceterum Ciuitas ipsa & si haec vna res nobis offensa, victa tamen aequitate causae, & officiorum magnitudine erga se, incredibili beneuolentia prepensa est in nos. nam supra quam facultates ferre possint, ciues nobis se praebuere liberales. qui praeter domum nobis ceemptam, aream q. extruendo templo comparatam, ipsam etiam templi aedificationem sua impensa ita iuuerunt, vt iam absolutam prope videamus. eorum quoque quotidianis eleemosinis abunde sustentamur. Duo praeterea viri nobiles onus collegii fundandi susceperunt. qui post obitum omnem suam rem familiarem Collegio iam hereditario iure addixerunt: partem etiam suarum facultatum post certam diem percipiendam assignarunt. interim dum ijs caremus emolumentis, prouentus illi fundatorum industria augentur. Indigenae de more Christiana Doctrina imbuuntur: conciones ad eos habentur Dominicis diebus, nam per hebdomadam cogi non possunt, quod arctiore seruitute in hoc regno, quam reliquis in locis teneantur. Scholae in dies augentur cum ex omnibus huius regni partibus ad S. Iacobum adolescentes studiorum causa conueniant. speramus maiora in dies incrementa habituras, adiectis philosophiae studijs; quae, vt noua in his terris, sic magna admiratione, & gratia excipiuntur. Haec in vrbe S. Iacobo.

MIS-

MISSIO IN ARAVCANOS alios populos.

EX vrbe Sancto Iacobo Cal. Nouembr. anni CIↃ IↃ XCV. profecti duo indefessi operarij P. Gabriel Vega, & P. Hernandus ab Aquilaria reliquas huius Regni oras peragrarunt. Sexdecim menses in ea peregrinatione posuerunt. Ciuitates omnino septem, seu gentes multarum vrbium, quae septem instar habent prouinciarum, opidorum populorumq. refertas adierunt, earumq. ciuitatum vrbes opidaq. singula perlustrarunt. Coquinbum, quae prima Ciuitas est Regno Peruuiano proxima, quoniam in eam primum exscenderũt Societatis patres, cum in Chilem nauigarunt, primaq. in hoc Regno Societatis vtilatem senserat, omisere: Ciuitatem item aliam, non valde frequẽtem, quod esset à ceteris seiunctior, attingere minime potuere. Iam fama per omnes circa ciuitates eorum, quae Societas in vrbe S. Iacobo gesserat, eam de Societatis hominibus opinionem excitarat, vt quacunq. venirent, expectatio famam, exspectationem hominum studia ad illos omni cum honore excipiendos superarent. nam ad Societatis nomen totae commouebantur nationes, hominum animis ad diuini verbi, ac pietatis semina concipienda incredibiliter propensis. In ea peregrinatione gentis sermone vtebantur, qui toto Chilae regno, haud magno inter vnamquãque ciuitatem discrimine communis est. in vrbibus ad xenodochium diuertebant; vbi xenodechium non esset, quocunque vocabantur, concedebant. mira enim alacritate

ciues eos hospitio excipere gestiebant. matutina tempora cum intra hospitium suae vterque precationi satisfecisset, in templo audiendis confessionibus mulierum, tum Hispanarum, tum indigenarum, pomeridiano vero in hospitio, viris vtriusque gentis audiendis insumebant: crescebatq. indies aduentantium multitudine operis assiduitas. Catechismo praeterea sua tempora dispertiebant. binas hebdomadis singulis conciones ad Hispanos, totidem habebant ad indigenas. Sed nullos habuere dies laetiores, quam quibus Doctrinae Christianae exercitationes habebantur. Incredibili studio indigenae ad id genus affluebant. & primo quidem rei nouitate; mox ipsa pietate, & discendi studio trahebantur. argumento erat maior indies concursus ad discendum, vt non vrbani solum, sed ex circumiectis agris ad quatuor leucas statis diebus conuenirent. Exercitationes erant catechismi explicatio, multa de rebus explicatis interrogatio, sermo ad tempus accomodatus. & supplicatio, quae per vicos ducebatur. quibus rebus totum pomeridianum tempus in noctem trahebatur. Sed quod in primis magnam habuit vtilitatem, & fieri posse nunquam putabatur, cum vtriusque gentis admiratione, Chilenses patria lingua nostrae religionis mysteria edocebant: cum antea Christianae fidei rudimenta, magno cum incommodo, ac nulla prope vtilitate Castellano sermone, cuius illi sunt expertes, docerentur: nec plus intelligerent, quae dicebantur, quam aues, ille quae humanas voces imitantur. Dici non potest, quanta cum ipsorum voluptate iam Christianae fidei mysteria percipiant: quorum antea ob linguae imperitiam essent ignari. Res non ad praesens solum,

sed

sed ad posterum etiam tempus profutura: quippe à magistratu Ecclesiastico nostri rogati Sacerdotes (nam Episcopo per id tempus ea sedes vacabat) precandi formulas, totumq. Catechismum tanta cura, ac diligentia conuerterunt, vt tum eam cõuersionem cum peritissimis eius linguæ contulissent, magna cum ipsorum admiratione, nihil quod aut corrigendum, aut mutandum esset, inueniretur, tentata res à multis linguae peritis, sed infelici conatu ante fuerat; vt plane desperarent nostrae religionis arcana, ea posse lingua explicari. Iussi igitur Parochi singuli, poena etiam excommunicationis proposita, eius catechismi exemplum sibi sumere, & castellano submoto catechismo, ad eam normam & ea lingua Christianam Doctrinam docere populares: vt si nullus alius ex ea missione caperetur; extaret tamen illius peregrinationis fructus; cum ratio constituta sit, qua rudes illi populi christianae fidei rudimenta doceantur. Hispanos tamen pueros sexta cuiusq. hebdomadae feria Hispanice docuerunt. qua quidem in executione multum temporis, magnamq. curam, diligentiamq. posuerunt; quod per occasionem puerorum, ingens virorum, ac mulierum numerus Christiana rudimenta docebantur. quorum erant illi nihilo, quã pueri peritiores. eodemq. tempore, catechismo absoluto, hortatio ad vniuersam multitudinem habebatur, qua vnus aliquis è praecipuis fidei capitibus explicabatur. & vt post illorum discessum eadem ratio seruetur in posterum, constitutum est. Atque haec in locis omnibus, quocunque venerunt, communia fuere. Iam quae singularum sunt propria ciuitatum exponentur. Conceptionis ciuitatem septua-

ginta

ginta à S. Iacobo leucas dissitam omnium primam ediuerunt. Erat Regni totius Praetor Martinus Garsia de Loyola nostro P. Ignatio arctissimo propinquitatis vinculo coniunctus: vir non minus bellica lauda clarissimus, quam Christiana pietate, integritate vitae, & propensa in Societatem benevolentia tanta consanguinitate dignissimus. is tum forte in Vrbe Conceptione apparatibus bellicis intentus agebat: incredibiliter nostrorum aduentu laetatus est: eoq. maiorẽ percepit voluptatem, cum cognouit nostris esse in mãdatis, vt Regnum totum, Christianae Doctrinae & Diuini verbi semina circumferentes, obirent. Illos ad Xenodochium inuisit, eisq. omnem suam opem, auxilium, studium vltro detulit. Interfuit cum Christianae fidei rudimenta Chilensibus ipsorum lingua explicari coepta sunt. id quod ad rem cohonestandam atque in honorem tum apud Chilenses, tum apud Hispanos adducendam, fuit opportunum. tanta facta est animorum commotio, tantum à Chilensibus conceptum religionis studium, vt Praetor ipse frequentiam ad conciones & catechismum confluentium, tum poenitentium, tam Chilensium, quam Hispanorum multitudinem miraretur, verbisq. amplissimis testaretur, similem fieri vbique commotionem animorum, morumq, ac vitae mutationẽ, quocunque Societatis homines peruenirent. & sane id sibi laetum accidisse testabatur ad suae Prouinciae administrationem: nam cum sua virtute, & vigilantia, tum diuino in primis auxilio rem Chilensem omnium, qui ante ei Regno praefuerunt, constitutam habet: tum rem militarem tanta peritia, & virtute administrauit, vt bellum affectum pe

pe iam confectum esse iudicetur. quod ille totum Societatis hominibus sibi diuinam opem in terra flagitantibus, & in coelo sanctissimi patrui sui meritis acceptum refert. Non defuere, qui vel quod aliter sentirent, vel zelo certe parum opportuno multa nostrorum hominum sedulitate, in salute procuranda animorum offenderentur. nam fuit, qui coram Praetore diceret, habere se, quod cum patribus nostris loqueretur: rem magni momenti esse, sed ad eam nostris cum hominibus tractandam ipsius Praetoris praesentia opus esse. Sacerdotes enim nostros reprehendebat, quod illorum aduentu magnum esset in ciuitate studium excitatum confessionis totius vitae faciendae: male facere nostros, qui homines palam ad eam religionem suscipiendam hortarentur. Enimuero defensione nostris hominibus opus non fuit. Praetor ipse pro dignitate relationis, ita importuno monitori satisfecit, vt quieuerit. Et quidem alter antea eiusdem familiae, Sancti Tribunalis decreto in S. Iacobi, praesentibus viris grauibus religiosarum familiarum omnium, quod in Societatis conatus oblatrasset, seuere increpitus erat. nihil tamen obstitit, quo minus nostra iuuandorum hominum studia, nostrasq. exercitationes ea serie, cursuq. quem supra exposuimus, nostri prosequerentur. viginti Ethnici iam adulti in Conceptionis Ciuitate nostrorum opera ad Christum traducti baptizati sunt. Eorum quae in Conceptionis nostri gesterant fama ad omnes Chilesis Regni partes dissipata, magnam excitauit expectationem: quae subinde succreuit, vt quamque ciuitatem progrediendo obiere. ita fructus Ciuitatis vnius semen erat, & quasi praeparatio frugum, quae ex altera Ciuitate legerentur. Dum apud

Conceptionenſes noſtri verẽrentur, legatio ſuperuenit, ſeu publica potius imperij accipiendi, & obſequij praeſtandi profeſſio facta eſt. Caciquq primarij duodecim à duodecim populis, qui nuper pacati erant, ad Praetorem venerunt. ijs publice Senatus datus eſt, cui Senatui Praetor noſtros intereſſe voluit, non ſpectandi ſolum cauſſa, ſed, quod ad Euangelium in eas gentes inferendum multum intereſſe iudicaret. Princeps legationis is, qui dignitate, & peritia reliquis anteibat, Caciquius Araucanus fuit, cui nomen eſt, Quintu Huenu; quod ipſorum lingua ſurſum aſpicio, ſignificat. ita vel in nominibus aſſumen. is animi prae ſe ferunt elationem. Ea gentis eſt conſuetudo, vt cum quid publice agitur, is qui refert, vel legationem obit, manu teneat inſigne aliquod, rei, qua de agitur, accommodatum. ea igitur legatione, cum de gerendo bello ageretur, Araucanus orator pro inſigne ſagittam manu tenens, legationem vnus reliquorum nomine obiuit; ſe eo conſilio veniſſe, vt ad bellum quod aduerſus perduelles gerebatur, paratos ſe ſuamq. operam, ſuae quiſq. gentis vires, arma, ſtudia denique omnia profiterentur: dignos perduelles eſſe, ni deditionem faciant, quorum frangatur peruicacia, contumacia comprimatur. Siquidem aduerſus tantam tam excellentis Praetoris clementiam feroces adhuc ſpiritus, & hoſtilia retinere arma non verentur. Inde digreſſus in Praetoris laudem, repetitis ab vltima memoria rebus praeteritis, omnes ſuperiorum temporum Praetores, à Petro de Valdiuia, qui primus eam gentem bello domuit, ad eum qui proxime Garſiae Loyoleo anteceſſerat, graui, & plena querimoniarum accuſatione perſtrinxit: inhumanas, & crudeles ſingulorum iniuriae ordine

expo-

Digitized by Google

exposuit : cruore, incendijsq. sedata omnia ; abductas uxores, liberos in ultimas terras amandatos, pedes alijs, alijs nares ferro amputatos : alios subdibus per immanes cruciatus infixos. merito tam crudele, & abominandam imperium suam gentem horruisse. Hoc vero Praetore nullam tam inauditae crudelitatis ne umbram quidem fuisse : quin potius clementiae, humanitatis, benignitatis plena esse omnia : his videlicet virtutibus omnium animos sibi subegisse. Sequoque liberalitatis, & mansuetudinis, aliarumq. virtutum magnitudine domitos, non armis fractos, ad illius se clementissimum imperium adiunxisse. fateri quidem virum fortem, & egregium Imperatorem : sed neque ignorare se, alios quoque Praetores non minus armis, & virtute valuisse : quorum tamen ob nimiam crudelitatem iugum detrectassent. Haec aliaq. multa in eam sententiam disputata eo tendebant omnia, suam suorumq. vt operam, opes, arma ad bellum Praetori summo studio deferrent. Ea vero tanta vocis contentione, atque adeo incitatione linguae, declamatorio more peregit, vt nostri fatere-tur, neminem vnquam se tam abundanti flumine orationis dicentem audiuisse. huic vero declamatorio generi à pueritia assuescunt : quique inter eos in ea exercitatione proficiunt, in rebus gerendis ceteris anteponuntur. Ea cum semihora peroras-set Araucanus, sagittam, quam manu tenebat, proximo Caciquio dedit, ille item alteri, ceterisq. deinceps : singuliq. se ratum habere, quod Araucanus dixerat professi sunt. Ei legationi à Praetore, vt res & tempus postulabat, responsum est. sub haec verba Praetor ipse nostros Sacerdotes Caciquijs cõmendauit, ijs fauerent cum ad suas ditiones per-

uenissent: homines esse longe à communi reliquorum consuetudine alienos: non sibi aurum quaerere, non argentũ: nullum aliud denique lucrum, nisi diuinum honorem, atque hominum salutem. huius unius rei caussa ex Hispania profectos, longae, periculosaeq. nauigationis incommoda magno animo subijsse; atque in eam unam rem suam uitam omnẽ dedouisse: nihil ijs cordi esse, nisi hominibus uiam ad coelum expedire; & quod ad humana attinet, in his terris hominum commoda apud Praetorem, Praefectosq. Regios procurare. Adiecit etiam, quo maius Societatis beneficium faceret, à Rege, missos in has terras, ut Hispanorum uitia corrigerent; & acerbissimis iniurijs, quibus ipsi premerentur, obuiam iretur. cui orationi licet locus esse minime uideretur, non tamen dubitauit Praetor, ea de re quid sentiret, exponere. Certe hac Praetoris oratione, & nostrorum consuetudine, cum quanto studio docerent Ethnicos animaduerterent, magnã de nostris hominibus opinionem conceperunt. quae res non parum profuit ad eam, quae de nostrorum probitate fama, emanauerat, augendam. Sed ut ad legationem reuertamur; no[illegible] omnino fuit nostris, & admirabile tantam ingenij indolem in hominibus tam à nostris finibus, nostroq. cultu alienis deprehendere. Et cum antea multa de illorum acumine accepissent; nunquam tamen tantam de ijs conceperant opinionem, quanta tum ex ea legatione subijt illorum animos admiratio: cum & magno animo, & multa cum dignitate dicerent, quae uellent, & ordine contextuq. admirabili. Narrauit Praetor, se multo antea eius generis concionem alteram curasse describendam; quam Praefectus quidam castrorum secum tulit ad horum ingeniorũ spe-

Digitized by Google

ſpecimen ijs, qui non noſſent oſtendendum: nec minorem eſſe hominum induſtriam in ingenij artibus, quam robur, & vim animi ad bellum, & praelia in ſua Araucana Arcila prodidit hiſtoria. Quinque vel ſex alijs deinceps, cum in has, tum alijs in ciuitatibus eiuſmodi legationibus coram eodem Praetore interfuere, ex quo quantum ingenio valeat haec natio, quantoq. operae digni ſint, quibus diuini verbi ſemen committatur, aperte perſpexerunt. & quidem legationem vanam non fuiſſe res ipſa indicauit. ſiquidem haud ita multo poſt in caſtris ad Purenem. cum reliquis copijs Praetoris octingentos eorum in acie ſpectarunt. quorum multis arma eſſent loricae hamatae, reliquis ex duro tergore tegumenta pectori appoſita: tela omnibus haſtae ferro praefixae; vt mirarentur noſtri, vnde tanta ei genti ferri copia ſuppeditarit. Quippe ad haſtas ferro muniendas noſtrorum ijs enſium infixerant mucrones. & quidem praeter hos ducēti alij è caſtris dimiſſi domos ſuas repetierant. Noſtri perfuncti ſuo munere in Cōceptione gradum fecerunt in Araucanos. Diſtat Araucana ditio à Conceptione leucas vndecim. regio late patens populis per agros diſperſis habitatur: eam Patrum memoria Petrus de Valdiuia Praetor, qui primis illuc penetrauerat, occupauit, & Marchionatus Araucani titulo ſeq. & regionem vniuerſam inſigniuit. Primo die venerunt ex itinere ad flumen ingens Biobiam, diuinoq. conſilio factum eſt ad quinque animorum ſalutem, vt eo die traijcere nequiuerint: nam cum ad flumen conſedißent, cognouerunt non longe inde hominem Araucanum graui preſſum morbo ad extrema veniſſe. inuiſere hominem: ac poſt multam diſputationem ei per-

sanſere, vt in Chriſtiana religione moreretur. in-
gens baptiſmo impedimentum obijcebatur: quod
duas ille domi aleret vxores, & ex vtraque libe-
ros haberet. Et ſane nullus maior obex obſtat Euã-
gelio, quam vxorum multitudo: binas enim fere,
ternas, & quaternas habent ſinguli, & plures ad-
huc aliqui: & eas non modo durant indotatas: ſed
etiam dato pro ijs praetio parẽtibus, ijs vxorum, &
mancipiorum loco, ad agriculturam, operaq; alias
vtuntur. & cum de vna tantum retinenda com-
pellantur, alijs dimiſſis: reſpondent nolle ſe ſua pe-
cunia facere iacturam. Conſulauere noſtri alias ea
de re moderatores, an expediret ijs, qui Chriſto
nomen darent, permittere, vt vna ſibi chriſtiano
matrimonio coniuncta, reliquas ad opus faciendum
tanquam ſeruas domi retinerent. Sed cum nihil
adhuc ſit ſtatutum, nihil temere faciendum eſſe,
iudicarunt. Homini igitur aegroto, & moribundo
iam perſuaſerunt, vt alteram ſibi Chriſtiano ritu
deſponſaret, altera repudiata. quod quidem ma-
gnum fuit obtinere. ita ipſe, mulier, quam ſibi iun-
xit, & filius ex ea ſuſceptus, ſacris aquis baptizati
ſunt. irata altera, neque baptiſmum ipſa ſuſcipe-
re, neque filium baptiſmo luſtrandum, quamuis à
patre enixe regaretur, permittere voluit. baptiza-
ti praeterea ſunt adulti duo, qui eo impedimento
coniugum liberi erant. Poſtero die Villagranam
locum Hiſpanorum clade inſignem uenere. ibi enim,
cum primum loca haec armis ſubacta ſunt, octo-
ginta circiter, nonagintaue Hiſpani trucidati ab in-
digenis. Obuiam noſtris magna laetitia cum ra-
malibus eſt proditum: id earum terrarum, quae
circa Araucanum ſunt Caciquij mandarant. Cre-
dibile eſt ab Araucano Caciquio, quem ad Prae-

torem

torem Garsiam legatione functum esse supra diximus admonitos ea nostris humanitatis officia praestitisse. Villagrana ad praesidium venerunt Hispanorum, à quibus item magna gratulatione, & machinarum strepitu excepti: magnam militum partem confessionis sacramento expiarunt. quominus omnibus in praesens satisfieret, impedimento fuit properatio. siquidem magna contentione ad S. Crucis ciuitatem accersebantur. Villaegranae tamen, & in hoc praesidio Ethnicos diuinam Christi legē docuerunt. ante tamen, quam ad S. Crucem Onniensem (ita ad differentiam alterius in montibus notatur) se confertent, populos omnes, qui circa Araucum sunt, & Araucani omnes ab Hispanis nominantur, obiuerunt. quos antequam adirent, certum vt in locum conuenirent edicebant. nam, vti supra diximus, dispersi per agros singuli habent domicilia. Caciquios item singulos inuiserunt: omnibus summam quandā diuini Numinis, diuinarumq. rerum cognitionem dedere: accuratiore diuinorum praeceptorum, alidrumq. mysteriorum explicatione supersedendum in presens statuerunt: ne quod alibi contigerat, aliqua in ea gente seditio excitaretur, quasi per speciem diuinae rei eos suarum rerum possessione depellere quaereremus. itaque pedetentim progrediendum esse Praetor admonuerat. studium tantum rerum coelestiū in praesens, & salutis aeternae eorum animis iniiciendum; seminaq. iacienda Euangelij. Quae cum concepta fuerint, radicesq. facere iam coeperint, tum maturum fore ad excolendam segetem redire. & sane ita facto opus esse nostri sentiebāt, & hanc eandem docendi rationem prima excursio-

ne in Araucanis tenuere. baptismi Sacramentũ, penitioraq. arcana tantisper dum maius eorum animis lumen affulserit, in alteram excursionem distulerunt. Peragratis igitur hac ratione Araucanis ad S. Crucis Onniensis se, accersitu Praetoris, contulere. Hanc Praetor Loyola non ita multo ante frequentia indigenarum ita celebrem fecerat, vt in ea viginti millia recenseantur, qui possunt arma ferre. Hic Praetorem cum copijs ad bellum paratis inuenerunt, praeclara omnino facultas adiuuãdi milites, & ad expiationem animorum adhortandi. Huc interim permissu Praetoris euocati milites, qui in Praesidio Araucano confessione angustijs temporum exclusi erant, & paenitẽtiae Sacramento communiti. Constitit operae pretium confessionibus militum ad bellum euntium excipiẽdis: quo in opere praeterea multorum animis consultum est. Cum Hispanis magnus indigenarum Christianorum numerus proficiscebatur, qui suum quisque herum, calonum loco sequebantur. his quoque iuuandis nostrorum opera impensa. Non parua praeterea mulierc ularum indigenarum manus in militum erat potestate. & vt erant in prauа natae natione, & prauis assuetae consuetudinibus, suam miseriam, & animi perniciem miserae non agnoscebant. hae concionibus edoctae, quãtam calamitatem turpes afferant libidines, cum lacrymis nostros adiere, cum Praetore agerent, vt se è potestate militum eximerent. Data est opera diligenter, neque inanis. non tamen omnibus in praesens satisfactum, tumultuantibus militibus: quorum, tam periculoso temporis articulo, animi irritandi non fuere; cum contra tenderent se eorum ope-

opera ad domestica indigere ministeria. itaque cum aliqui obtemperarint, in multis fuit conniuendum. & quae in eorum sunt relictae potestate, pijs monitis, vt in difficillima causa fieri potuit, subleuandae. & fuere quae vel male multatae, procaci tamen dominorum violentiae obsisterent. Respiciet haec Deus aliquando. Interim magnum fuit, initium tollendo vitio feciſſe, non primis ictibus valida munimenta prosternuntur: strenui modo milites ab oppugnatione Babyloniis non desistant, precibus ad Deum faciendis, monitionibus in tempore adhibendis, diuina ope tandē corrigentur omnia. Distat non ita longe à S. Crucis alia munitio, in qua pauculi praesident Hispani. haec quod eo tempore, quo primum Societas in hoc Regnum peruenit, constituta est, à Praetore, Arx Iesu dicta est. Huc ad expiandos milites nostri euocati, auditis eorum confessionibus, eos sacro Christi Corpore communierunt; habitaq. ad eos ad tempus accomodata hortatione, Sanctam Crucem redierunt. Ibi cum essent, legationem alteram superiori similem spectarunt, addita est etiam noua cerimonia horrendi admodum spectaculi. Ostias mactarunt multas: in ijs veruecem crudeli mortis genere affecerunt; graui ictu capiti incusso, pecudem obstupefecerunt; & viuenti adhuc palpitans extractum cor cruore manans exsuxerunt; eodemq. sagittam cruentarunt: immiti illo ritu significantes, ita se deuictos hostes habituros. Profectis militibus ad bellum, & confessione expiatis, qui Sanctam Crucem venerant, Engolam quartam Chilensis peregrinationis ciuitatem peruenere. Vrbs est Hispanorum huius Regni claustrum & propugnaculum finitimis hostibus o-

biecta,

biecta, in ea Hispanis, & Engolanis eadem, quae aliis Ciuitatibus opera praestita. Vicus erat extra urbem non ita longe dissitus. huc quotidie nostri commearunt, vt infideles aliquot catechizarẽt, eosq. cum maturum visum est, baptismo expiarunt. Senex erat septuagenarius, vir primarius, & caecus, sed à Christiana Religione auerso prorsus animo. Hunc P. Gabriel Vega adortus opportune importune, ad nostra sacra compellere nitebatur. quo maiore contentione hominem petebat, eo maiore ille indignatione se subducere, illius congressum deuitare, abdere se domi: non tamen Pater à suscepto consilio desistere: in illius se aedes penetrare, quod ille tam iniquo animo ferebat, vt Vegam domo deturbare niteretur. peruicit tamen pertinax constantia obduratum animum, eiq. persuasit, vt se componeret ad audiendum. ita eius disputationi dedit aures, vt victus rationibus, tandem quoque manus dederit, & magna cum admiratione Hispanorum, baptismo sese praebuerit initiandum. Duos alios populos quatuor leucas ab vrbe dissitos adiere, in quibus nullus adhuc erat, qui Christi religionem suscepisset. Venerat cum iis Engolanae Praefectus ciuitatis: aderant & vtriusque populi praefecti: ad eos verba fecit Engolanus: dixit eadem quae Praetor Araucanis: Caciquiis dixerat ad Conceptionis: Societatis patres ex vsque remotissima Hispania salutis animorum caussa venisse, auro, argentoq. contempto. nostri Engolani Praefecti verba exceperunt; suae profectionis consilium expofuerunt, longaq. oratione de Christiana religione, deq. Christianae fidei mysteriis, de baptismo suscipiendo, deq. admittendo catechismo ad

vtrum-

vtrumque populum egerunt: nusquam tota illa peregrinatione talia hominum ingenia experti sunt. homines callidi, humanarum rerum bene periti, & sagaces futurorum euentorum aestimatores. respondere primum mirari se, Hispanos homines, vel ipsos Societatis patres intra suos fines alio consilio, quam auri auferendi, pedem intuliſſe. deinde, dum ipsi corpora curarent, se tamen de re tota deliberaturos inter se. Interim loci Caciquius de eisdem rebus retulit ad consilium: illi rebus omnibus perpensis, humanitatis plenum responsum retulere. & quamuis in sua pernicie, constantes tamen, & fortes praebuere sese; renunciari iubent: magnam se nostrorum aduentu percipiſſe voluptatem gratiaq. esse apud se, quod aliqui reperirentur, à quibus ipsi se amari intelligerent, & qui ipsorum causſa tantum vellent. doctrinam, quam nostri praedicarent, probari sibi: sed antequam de suscipiendo baptiſmate, aut Catechiſmo in suam gentem inuehendo ageretur, cum duobus magnae auctoritatis Caciquijs agere velle; quos diu multumq. cum Hiſpanis versatos, longe quam se, harum rerū peritiores esse scirent: se illorum praerogatiuam secuturos: & vt sine fuco, & fallacijs agere sese praese ferrent; vereri se aiebant, ne, per speciem doctrinae, aditus ad iniuriam quaeratur. simili dolo se olim ab Hiſpanis circumuentos: dum ad Catechiſmum conuentus haberentur: eorum filios in seruitutem abductos, ipsos compactos in auri fodinas: ac si quando ad Doctrinae Christianae explicationem ire cuntarentur, ignitis torribus ambusta sibi ora: atque haec identidem iterabant. Prudentius ad suam libertatem, & securitatem retinendam

dam responderi nihil potuit. Nostri contra suam vitae innocentiam obtendere: eam multis annis in S. Iacobi notam esse: & nunc multas Chilae Ciuitates magno cum indigenarum bono peragrasse: ex ipsis experimentum capi posse, an huius generis labes vlla suae vitae posset adhaerere. Illi in suo consilio obfirmati identidem iterare: se duorum Caciquiorum auctoritate stare decreuisse, quod illi statuerent, illud se ratum habituros. ita, re infecta discessum. Sane in eo magni se animi homines, magnaeq. mentis esse declararunt. Dolenter id nostri acceperunt, tantum paucorum iniuria obiectum impedimentum Euangelio. sed quo tardior, eo validior speranda est his malis medicina. nam qui praeteritorum temporum offensione in sua se insciitia constantes praebuerunt, ijdem, bonorum perspecta innocentia, amplexi veritatem, ei tenacius haerebunt. in praesens non modici momenti fuit Euangelicam ijs probari aequitatem. Engola viginti leucarum itinere Imperialem vrbem venere. Est haec Ciuitas Episcopalis, habetq, in sua dioecesi vrbes octo: in ea aliisq. tribus, quae in superiore dioeceseos tractu sitae sunt, nulli aut perpauci versantur infideles: omnes tamen in tam alta religionis ignoratione, vt ab infidelibus non multum distent. & licet parecias haberent distributas, quarum in singulis Doctrinae Christianae magistri constituti essent: quoniam tamen Hispanica lingua docebantur; perinde erat, ac si nihil doceretur. profuit hic maxime Catechismus Chilensi lingua explicatus. labor haud paullo maior in hac vrbe fuit, quam in alijs ob eorum multitudinem, qui maiore numero ad confessionem confluebant, tum His-

spa-

Hispanorum tum Imperialensium: tantusq; fuit utriusque gentis ardor, vt ad binas quaque hebdom ade conciones, quae solemnes in alijs ciuitatibus fiere, hic tertia fuerit addenda, pietati fidelium vt satisfieret. fuit haec Ciuitas olim frequentissima, & quandiu Chilae Regnum stetit, aliarum Princeps Ciuitatum, fuitq. in ea Regia: nunc bellorum assiduitate, & humanis casibus omnia vertentibus, est quidem benefrequens, sed si superiora comparentur tempora, redacta ad paucitatem. nullus tamen fuit dies, quin hominum ad duo millia ad concionem, atque ad Doctrinae Christianae explicationem conuenirent. ita ex agris à quatuor circa leucis ad vrbem discendi causa conueniebant. Dum hic agerent nostri Sacerdotes, venit ad eos Caciquij cuiusdam frater, cum litteris Parochi Tolténensis, in quibus erat: Vrbem Toltenem vniuersam fama, & bona Societatis existimatione excitatam, in primisq. Caciquios ad se adisse, omniumq. nomine postulasse, nostros vt rogaret, ad se irent, magno enim omnes studio flagrare nostros, & videndi, & audiendi: aut si minus ijs commodum esset illuc ire, precationum saltem formulas, ipsorum lingua scriptas, quas populos docebant, ad se transmitterent. Nostris, & si alio itinera sua destinarant, faciendum tamen esse visum est, vt tam pijs tantae ciuitatis votis satisfieret. distat Toltene ab Imperiali leucis decem. dici non potest, quanta laetitia excepti sint. prodiere illis obuiam puerorum agmina, qui Christiana Doctrina instituerentur, cum Crucibus, ijsq. comitantibus ad Ecclesiam deducti sunt. Conuenere postero & sequentibus diebus ad solemnes conciones, & Cate-

chises

chiſmum, tum ex urbe, tum ex agro capitum ad tria millia tanto ſtudio, atque affectu pietatis, vt omnium ante populorum ſtudia ſuperarint. incredibile eſt quantum animi ardorem prae ſe ferrent, quanta cum animi iucunditate nouam hanc vernaculo ſermone Chriſtianae Doctrinae tradendae rationem exceperint. non fuit otium confeſſionibus audiendis. nam ingruentibus pluuijs, iter fuit Oſornum, ac Valdiuiam praeuertendum. Ex vrbe proſaquente Parocho, Caciquio, pauciſq. praeterea Toltenenſibus, ad vncum peruenerunt ſane frequentem. ibi tantiſper morati dum Catechiſmus vernaculo inducitur ſermone, magno labore, magniſq. in itinere incommodis perlatis, multis etiam ac difficillimis fluminibus traiectis Valdiuiam venerunt. Valdiuiae velut incendia progrediendo incrementa capiunt, eorum peregrinatio, & aduentus maiores, quam locis alijs feciſſe videtur motus animorum; maioreq. populi pietate noſtra excepta miniſteria. abſterſit vtique Diuina bonitas horum populorum pietate, & ardore animorum moerarem, quem ex cunctatione, & contumacia duorum populorum ad Engolam antea perceperant. his ſcilicet viciſſitudinibus ſuorum ſolet labores compenſare. Hic negotiator opulentus egit cum patribus de ſede Societati in hac vrbe collocanda: ſed quia res parum opportuna viſa eſt, conati ſunt hominem ab ea mente alio deducere. Valdiuia profecti Oſornum tandem vltimum peregrinationis terminum tenuere. Eſt Orſonus Ciuitas totius Chilenſis Regni frequentiſſima indigenis: Hiſpanorum vero multitudine ſecundum locum obtinet. hic magno vtriuſq. gentis ſtudio noſtri homines excepti, ſed Hiſpanorum pietas in

hac

hac vrbe excelluit. Vtilitate enim perspecta nostrorum ministeriorum, serio de Collegio Societati in hac vrbe excitando cogitarunt, ad eam rem aream peramplam nobis assignarunt cum parte domicilij, ea lege vt ante ædificium totum, vna cum templo, quemadmodum ipsi vellemus, absoluant: prædium etiam satis bene instructum cum gregibus, & armentis, additis operis ad curam, cultumq. reddituum. Super hæc omnia aurum, aliaq. varij generis vtensilia duum millium ponderum æstimatione dotarunt. Matronæ etiam in huius gratiæ partem venire studuerunt: bene magnum numerum linteae vestis se professae suppeditaturas. &, quod horum causſam facit aequiorem, studiaq. digniora, quibus satisfiat; hæc omnia spondent nullo obtento nomine fundationis. his de rebus ad P. Rectorem S. Iacobensem, & ad P. Prouincialem, atque ad Praetorem ipsum literas dedere. Est sane Ciuitas Collegio valde opportuna, primum sua frequentia, deinde indigenarum multidine: multa enim eorum millia circum agros sua habent domicilia, è quibus facile statis diebus ad concionis, & Doctrinae Christianae conflunt conuentus: tum facilis est excursio ad quatuor reliquas Ethnicorum Ciuitates, quas in Imperialensi esse dioecesi supra memorauimus. Est etiam magni æstimandum illud commodum: esse in vtroque huius Regni Episcopatu Iacobensi, & Imperialensi domicilia Societatis constituta. huc accedit, quod ex Sancti Iacobensi Collegio in Chilae regiones omnes missiones sine magno incommodo esse non possunt; cum, vt plene locis omnibus satisfiat, biennio saltem à Collegio abesse, qui mittun

tantur, opus sit. qui tamen per id tempus huc venerunt, interponere se his rebus recusarunt, rem integram praesidum arbitrio relinquentes: deprecatores tamen se apud Praefides Osornensibus futuros promiserunt. Interim sua strenue ministeria exercuerunt. sunt in agro, vt circa reliquas Ciuitates, Doctrinae Christianae scholae cum suis Catechistis distributae: eas nostri adierunt, atque in ijs Catechismum vernaculo sermone induxerunt. Enimuero gens non tanta indole videtur esse, quanta reliquarum Chilae Ciuitatum: sed quod deterius est in tanto Scholarum, & Catechistarum numero, tam partinax, & haerens viget adhuc corruptela mulierum domi alendarum, quam si nihil vnquam de Christiana religione accepissent. inuecti nostri vehementer sunt in id genus corruptelae; eiusq. turpitudinem magna contentione exaggerarunt, non quod spes esset magna corrigendi vitij, nisi forte in paucis è melioribus, sed vt, quamuis ijs concedatur, id saltem intelligerent, sibi non licere. Dum Osorni nostri morarentur litteras à Chiluensi clero acceperunt, quibus rogabantur, ne eo se conferre grauarentur: magnopere omnes nostrorum doctrinae esse cupidos. omnia se abunde suppeditaturos, quae ad iter opus essent. Est Chilua insula quadraginta leucas Osorno dissita in magno, & peramplo maris sinu, Archipelagum vulgo nominant. in eo sinu magnus aliarum insularum numerus incolis frequentium, quas Hispani nondum occuparunt. earum numerus collectus nondum est, imò vero ne ostium quidem tanti sinus adhuc exploratum, sed dicunt ad Magellanicum fretum pertinere. Insulae

porro

Digitized by Google

porro eo inter se dissitae spatio, vt breui transitu ab vna in alteram traijciatur. ita qui ad inferendū lumen Euangelij ad eas nauigarent, nullo negotio singulis noctibus appellerent. Eam prouinciam P. Aquileria, eorum alter qui Osorni erant, saepius sibi depropoſcerat, reſq. occupanda videbatur, antequam ijs bellum inferretur: ne militum alluuione incolae Chriſtianorum iniurias, ante quam ſinceram imbiberent religionem. quoniam tamen ſumma erat hiems, & peregrinationis terminus aduenerat: benuola, & caritatis plena oratione, pijs Chiluenſium ſatisfecere votis: curaturos tamen ſeſe promiſerunt, vt fierent prima quaque miſſiona voti cōpotes. Oſorno digreſſi omnium vrbium vltimam Ricam adierūt, communi totius ciuitatis laetitia, & ciuium occurſu: nec minus quam Oſorni, nec minore cum fructu laborarunt. Ac praeter vſitatas aliarum ciuitatum exercitationes, illa praecipua Ricae fuere. Ethnici ſex ob patratam caedem erant extremo ſupplicio afficiendi. eos adiere noſtri Sacerdotes: Chriſtum ijs praedicarunt. & ſane diuina miſeratione apparet eſſe factum, vt miſeri illi, in eo temporis articulo deprehenderentur: ſiquidem momentaneum ſupplicium in aeternum illorum vertit bonum. Miſeri praeſenti malo territi, ſpe imminētis aeternae felicitatis excitati, quae prima illis ancora obiecta eſt, apprehenderunt. ita Euangelij luce illuſtrati, & ſalutaribus aquis abluti tanta pietate mortem obiere, vt ciuitatem omnem magna affecerint admiratione; nec quiſquam eſſet fere, qui non diuinam in eorum confirmandis animis laudaret bonitatem; ipſaq. eorum verba, quae plena pietatis extremo protulere tempore, non cum iucunda referret ad-

miratione. Pacem etiam inter Patrem, & filium conciliarunt, qui grauissimis de caussis, cum magna offensione Ciuitatis infensissimo odio dissidebant. Ricenses quoque de sede aliqua, in sua Ciuitate statuenda nostros compellarunt: sed üsdem rationibus, quibus Valdiensis, discussa tota res est. Ricensibus obitis perfuncti missionis munere, cum redirent, Exgolae in P. Rectorem S. Iacobi incidérunt, qui ipsorum litteris, & fama eorum, quae hac missione gererentur excitus, eo venerat; tum vt praesens rei fructum perspiceret; tum vt indagaret, an posset aliqua sedes constitui, aut in S. Cruceis Onnnienſis, vt Praetor postulauerat; aut Osorni: an vero magis expediret annuis missionibus has regiones obire. Sed cognitis rebus Osornensibus, P. Vega ad S. Iacobi redire iusso, assumptoq. P. Aquileria Comite, easdem ciuitates, quas illi ante obiuerant, praeter Araucum, & Valdiuiam, repetüt. Suisq. concionibus tantos fecit animorum motus, tantum diuini studij ardorem excitauit, vt P. Aquileria priorem suam, comitisq. sui, & hanc P. Rectoris lustrationem duobus Ezechielis sermonibus ad ossa arida comparârit: siquidem priore Prophetae sermone ossa, & neruos, & carnem: posteriore spiritum & vitam induerunt. ita studium religionis, quod duo priores Euangelici praecones excitarant, noua superueniens commotio inflammauit. Osornensem rem cognouit. & licet nihil adhuc sit statutum, tamen rebus alijs dilatis, situm tantum extruendo domicilio admisit, vt interim P. Ioannes Oliuerius ibi degeret, quem è S. Iacobi collegio accersiuit. Qui cum primum venit, P. Rector cum Aquileria S. Iacobum ad suum se retulit collegium.

DO-

Digitized by Google

DOMVS PROBATIONIS ad S. Iacobi extra Limam.

QVI Limanum agrum colunt, in quo domus est probationis S. Iacobo dicata, populi sunt indigenae, quibus non in spiritalibus solum, sed in ceteris etiam rebus veterani nouicijq. opem tulere. nam cum morbus pestilens gentem vniuersam peruasisset, multorumq. mortalium nece grassaretur, Sacerdotes cum spiritualibus armis praesto fuere; ijdemq. una cũ Tironibus operam curandis eorum corporibus dedere. quod eo promptius expeditiusq. ijs praestitere, qui in valetudinario iacebant, quod ipsum valetudinarium coniunctum est eorum domui. Praeter hanc oblatam tironibus exercendae caritatis facultatem, diebus Dominicis ad portum Callaicum duabus hinc disiunctum leucis tradendae doctrinae christianae de more sese contulere. Eodem Collegij Limani Sacerdos una proficiscitur, qui quas Catechismo conserunt nouicij, concionibus, & confessionis Sacramento riget fruges, intraq. caelestis patris familias horreum recondat.

RESIDENTIA Panamana.

EST Panama maritima Ciuitas ad Austrum oceanum leucis quingentis Lima dissita, Ciuitas Episcopalis, & Regio Tribunali, quam appellant Audientiam ornata: Emporiumq. Peruuiani

Digitized by Google

uiani continentis imprimis celebre. Portum habet oportunissimum ijs, qui ex Hispania profecti rursus, vt Peruuiani Regni fines petant, conscendunt. In ea domicilium est Societatis cum Gymnasio latinarum litterarum. Strenueq. omnia Societatis munia administrantur; & quod in maximo Peruuij totius Emporio est apprime vtile, respondetur de iure consulentibus; negotiatorum contractus examinantur; quiq. à nostris improbantur, rescinduntur: nec minus ijs, qui ex Hispania inopes, seminudi, languidiq. huc appellunt, opera, opibusq. quantum nostra tenuitas sinit, iuuandis Christiana Charitas impenditur: multoq. id in nostros studiosius: tanto vtique, quanto arctissimo necessitudinis vinculo coniunctiores. & quidem quo tempore hae litterae Lima dabantur, perlatum erat nostros, qui ex Hispania soluerant, ipso die Festo S. Laurentij ad vesperam, oram eam attigisse centum quinquaginta leucis à Panama: id tantum rescitum erat. Ceterum, quod inde nullae adhuc litterae perlatae erant, neque de eorum nauigatione, neque omnino de Panamanis rebus scribi potest quidquam. Metus tamen erat ab Anglicana classe, quam multo, quam superiore anno validiorem instructioremq. ad haec loca infestanda venturam nunciabant. fauit nobis superiore anno Diuina bonitas. Orandum à Deo simile euentum. siquidem tum ex instructissima classe vna tantum oneraria, & ea quidem quassata Angliam repetijt, disiectis ceteris, militibusq. extinctis, & cum ijs nobilis ille Archipirata Francisc̃us Draquius, huic vniuersae orae multis iam annis infestissimus,

RE-

RESIDENTIA in Iulide.

EST Iulis in optimo Peruuianae terrae solo. Regio tota ab indigenis tantum incolitur nullis admistis Hispanis, gens vniuersa quatuor in parecias distributa, quorum administrationem Societatis tantum patres susceperè. Ita Societatis ministeria omnia, illa praesertim, quae sunt in his terris solemnia, eo maiore cura exercentur, quo maius onus officij, ac necessarij muneris in hac gente sustinemus. Conciones in singulis parecijs diebus dominis, Catechismus, & Doctrinae Christianae exercitationes nunquam desunt: quotidieq. tenera aetas, rudesq. ad Christianam doctrinam euocantur. Docentur praeterea pueri legere, & scribere: quiq. ad eam rem aptiores deliguntur: ad Ecclesiasticorum officiorum cultum musicis exercentur, tum cantu vocum, tum symphoniaco variorum organorum concentu. Hortationes, & disputationes de sanctorum virorum exemplis ad sodales conscriptos B. Virginis, Dominicis festisq. diebus pomeridiano tempore continuantur; valdeq. vtiliter in his excolendis hominibus opera ponitur, siquidem nostrae religionis mysteria tenent optimè: interrogatiq. apposite ad singula respondent: studiose paenitentiae vsurpant sacramentum, eorumq. qui sacram frequentant Synaxim, indies numerus augetur. Et quoniam magnus est inter eos inopum numerus, hanc quoque egestatem patres subleuandam susceperunt, cum Dominicis alisq.

Digitized by Google

diebus tantum carnium numerum distribuendum curent, quod satis sit reficiendis indigentibus. Est genus leguminis in his terris Orizae non absimile, maizan vocant: ex eo vulgare vinum artificiose conficitur: granum ipsum praeterea in cibum adhibetur famelicae multitudinis. Data est opera, vt ex ea pecunia, quae ex piorum eleemosinis offertur templo, & quae ad inopum colligitur altare, tantus Maizae numerus ematur, vt ex ea in quotidianum victum indigentibus suppeditetur: descriptoq. egentium numero, suum cuiq. demensum in capita singula distribuatur. Suitq. cum trecentis, & trecenti quinquaginta hoc cibario genere sustentarentur. curatum etiam vt per fidos sequestres ijs consuleretur, qui à profitenda egestate pudore deterrentur: quibus officijs excitati Iulidenses, quotidie magis ad verum, intentumq. Christianae religionis amorem inflammantur: neque asperna-tur diuina bonitas pia candidorum animorum studia: siquidem persaepe eos diuinae suae lucis radijs illustrat, vt vel ex inferni hostis faucibus extrahantur, vel in suscepto colendae pietatis studio confirmentur. quod vnum aut alterum exemplum, non obscure declarauit. Puella multis annis integra, & magna cum laude pietatis vixerat. haec vitae sustentandae caussa, cum è suo populo in alias terras emigrasset, procacium interpellatorum petulantia, in grauem pudicitiae iacturam prolapsa, aliquandiu haesit in coeno. cumq. illi veniret in mentem, vnde excidisset, & praesentem cum superiorum temporum animi sui statum compararet; cumq. alijs moribus nüc, cogitationibusq. viueret, angi coepit animo, priusq. vitae genus adamare, &

pa-

patriam, prioremq. consuetudinem anxia requirere. Huic consilio aduersabatur illa cogitatio, si rediret in patriam, tanta facta famae iactura, versandum sibi esse cum summo probro in oculis eorum, inter quos antea tanta cum integritatis laude vixisset. ita varijs subeuntibus animo sententijs; pluris tandem animi, quam famae incolumitatem, & Dei O. M. quam hominum iudicia respicienda esse constituit; & quamcunque potius ferendam ignominiam, quam diutius in tam periculoso tetroq. vitae genere haerere. Rediit igitur ad suos; & qua dignum est paenitudine, accurata doloriſq. plena confessione admissa delere studuit; magnoq. animi ardore intermissam pie viuendi repetiit consuetudinem. non tulit eam rem infernus hostis; palamq mulierem domi cum familiari sua sedentem adortus procacissime iubet nefarias voluptates fedaq. oblectamenta repetere: dolere miseram sese tanta dulcedine priuari. ita omissae turpitudinis memoria perturbatum mulieris animum studet illicere. addit, ni sponte ad sua redeat obsequia, se omnem operam, conatumq. adhibiturum, vt ad suum cultum inuita retrahatur. Enimuero diuina prouidentia non illa solum, quae ab ipsius bonitate; sed illa quoque, quae à Tartarea malitia proficiscuntur, in maius vertit bonum animorum. id ipsum quod ad Christi famulae animum labefactandum malus adhibuerat, eam magis in suscepto consilio roborauit. siquidem puella, diabolica territa allocutione, ita coborruit; vt longe, quam ante, maius praeteritorum scelerum odium conceperit. horrore igitur perculsa ad nota Christianorum praesidia refugit. muniit se signo crucis, repenteq.

videre horribilem vmbram simii assumptæ formæ terrore salutaris signi fuga inde se proripere. Alia Christiana quidem, sed extra hos fines nata, & inter varias multasq. superstitiones à prima aetate educata, ea licentia, quam Regionis, & gentis mores dabant; ad quadragesimum circiter aetatis annum vixerat; nulla vt pudoris ratio, nulla vt pietatis haberetur. Haec Iulidem cum venisset, ad Christianam feminam prolis, ac sanctis moribus concessit: ac cum longè alia ratione, aliisq. moribus hospitam suam, Iulidenseſq. ceteros, atque populares suos viuere animaduertisset, modestiæ & Sanctitate vitae delectata, frequenti, etiam diuini verbi auditione permota; ita male actam vitam, prauosq. mores suos coepit horrere, vt magno animi sensu totius vitae peccata accuratæ cõfessione expiarit: atque inter confitendum tanto animi dolore angeretur, vt subinde illud iteraret: sentire sibi pectus effodi acerbitate cruciatus. & nunc studio incensa pietatis, quotidie sacra frequentat, statas percurrit preces, crebraq. confessione peccatorum, si quam praeteritarum culparum subinde recordatur, non cessat delere. ita demum viuit, vt appareat, eam vere & ex animo vitae mutationem iniuisse. argumentum non obscurum illius praedestinatae animo salutis. Atque hae, a baratri profunditate in claram, diuina miseratione, lucem eductae: illi ne laberentur confirmati. Cum ob anni sterilitatem magna esset victus penuria; Iulidensium octo circiter familiae cum suis gregibus tenuiq. apparatu, vitae sustentandae causſa, ad Yungas finitimos commigrarunt. Carent hi populi iamdudum sacerdotibus. ita in summa

ma rerum ignoratione nihil tenent, nisi quas à maioribus superstitiones, idololatrias, aliaq. mendacia, & errores acceperunt: maleficorum ingens numerus, circumdentorum, & errantium multo maior. huc cum venissent Iulidenses, protinus eos malefici adorti suadere instituerunt Huacas, (sic lapidea appellant Idolorum simulacra) vt venerarentur, & ijs consueta offerrent sacrificia (nempe in maleficorum lucrum ea tota praeda vertebat) alioqui futurum vt pecorum greges, quos adduxerant, morbo interirent; ipsiq. vallibus ijs in peregrino solo, magno cum coniugum luctu vitam finirent. Illi Catechismo, & nostrorum concionibus instructi magno animo responderunt: Huacas nuda esse nomina, nec quicquam opis, damnique mortalibus afferre. sibi certum esse prius miserabiliter peregre vitae, rerumq. omnium iacturam facere, quam cultum, qui vniuersorum conditori Deo debetur, exhibere lapidibus inanibus. & in eo se non sine diuini numinis auxilio sane constantes praebuere. id genus multa alia supererant, quae vitandae satietati omittuntur. Et quanquam ij, qui in hac residentia degunt, ita viuunt, vt in perpetua versari missione dici possint, siquidem perpetuo in opere catechizandi, instruendi rudes, concionandi, Sacramentaq. administrandi versantur: non defuere tamen, & intra hanc oram in qua est Iulis, & extra ad remotiora loca missiones. accersitu enim Sacerdotum, qui curae praesunt animorum, sacerdotes tres hinc diuersos suum quisque populos adiere; solitisq. ministerijs popularium animos multum ad religionis cultum excitarunt. Duo alij alios populos inuiserunt, quo in itinere tredecim

cim circiter leucas nullo iumento confecerunt. inde lynthribus in insulas quasdam traiecerunt, in quibus ad ceteras utilitates sepulchretũ Caciquiorum euerterunt, ad quod, nondũ abolita vetere consuetudine, varias superstitiones ex antiquo ritu exercebant. Caciquiorum cadauera, vt suam inanitatem insulani perspicerent, eruerunt: atque ad abolendos ritus veteres, ne quando ad auitas ridiculasq. superstitiones rediret epulas afferendi mortuis, cadauera vna cum sepulcris subiecto igne combusserunt. Haec cum indigenis: ad Hispanos quoque, qui circa Iulidem sunt, nostrorum vilitas promanauit. Graue dissidium duos circiter huius regionis Correctores (Magistratus hi sunt iuris dicundi potestate praediti) & quidem ex graui molestaq. causa exarserat. ac, nisi componerentur, inimicitiae implacabiles. Propinquus vnius Correctoris matrimonium cum virgine filia Correctoris alterius contraxerat, clam patrem tamen eo composuerat artificio, vt & testes, & parochus, quem vicarium appellant, adhiberentur. Parochus adhibitus, non erat Hispanorum, sed indigenarum Sacerdos: proinde in Hispanos exercẽdae potestatis ius nullum habebat. id cum puellae pater non ignoraret, rem totam disturbare aggressus est. ita graue incendium inter ipsum, & parochum, alterumq. Correctorem excitatum: imminebatq. damnum ingens, cui auertendo Corrector vterque seorsim, inscio altero, litteris P. Rectorem aliumq. Patrem Iulidensis Residentiae ad se accisuit. Patres vtriusque litteris vocati, vtrique parti aequi aduenere. Sed cum vterque sibi persuasisset, ipsos suo inuitatu veniße, suae causae patrocina-

Digitized by Google

cinaturos, rem explicatu difficiliorem offenderunt, quam putarunt: vt vel ipsi, quo haec essent eruptura, pertimescerent. Diuino tandem beneficio factum est, vt patrum persuasionibus placarentur animi, & res ad concordiam reduceretur; suamq. de tota controuensia sententiam patres dixerunt: Quoniam Vicarius, Hispanorum curae non praeesset, neque ius haberet coniungendi matrimonia inter eos, qui ipsius curae non essent, matrimonium ab ipso coniunctum nullum esse. Et ita Theologi Cusquienses, cuius esset illa dioeceſis, consulti responderunt. Re ita constituta facile fuit animis iam demitigatis pristinam gratiam inter duos primarios viros restituere. haec res multum auxit in his locis Societatis existimationem; vt cuncti faterentur: nullum esse negotium tam arduum, tamq. perplexum & implicitum, quod non Societatis opera posset expediri. Sub finem anni Episcopus Carcharum, cuius est haec dioeceſis, cum suam Prouinciam inspiceret, hac iter fecit, vir singulari prudentia, & doctrina conspicuus. obuiam illi bidui itinere processerunt P. Rector cum Sacerdote altero, vt debitum illi profiterentur obsequium; & eum domum nostram inuitarēt. id illi Illustri admodum gratia excepit; omniaq. sua officia Societati detulit. Exceptus est cum ad fines peruenisset, à P. Prouinciali, qui tum forte Iulidem peruenerat. eius aspectu mirificè laetatus est, veteris memor consuetudinis: nam antea in Hispania, cum in studijs versarentur, condiscipuli fuerant. Vrbem intranti prodijt obuiam populus more patrio tripudians, cum suis faleris, tibijsq. ad Portam Patres expectabant ordine locati. iuxta erat ara: ad eam

sa-

qui saepius in fines Christianorum venerant, vt Christianae religionis, cuius illi studio tenentur, magistros adducerent in suas terras. Hi primi ei genti Euangelij lumen intulere. verum aliquanto post, cum Sacerdos parum commoda vteretur valetudine, suae incolumitati consulens, inde rediit: laicus destitutus perstitit aliquandiu: sed multis deinde difficultatibus implicitus, quas & laicus, & imperitus, expedire non valebat, veritus suum aliorumq. periculum, statuit antequam in ea re progrederetur, litterarum, & doctrinae adiumento se munire. itaque Limam studiorum causa, in quae in praesens incumbebat perattente, se retulit. iacto Euangelij semine, ne sperata seges destitueretur, Societas eam prouinciam suscepit. eo destinatus P. Michiel de Vrrea, fratre vno Comite Benauidio. Hi diu multumq. itineris opportunitatem expectarunt. nam, propter asperitatem montium, & intercurrentium fluminum pericula, non nisi aestate summa, aquis imminutis, est illuc transitus. Interim Camatae consederunt: quo tempore addiscenda lingua, & iuuandis Camatanis strenue sese occuparunt. Est autem Camata prima Ciuitas, qua Ciuncae eorumq. finitimi populi intrant in Peruuium Prouinciam. Camatam, ad eos deducendos, venere ad quadraginta homines, legati à primario Caciquio Yubapuri. Princeps legationis fuit alter Caciquius Auasapuris, vir apprime grauis, & modestus. Camata die S. Iacobi profecti quadraginta quinque leucas Tayuapum primam Aquacilium Ciuitatem venere. iter habuere in descensu montis Yaxamae asperrimum, & impeditum: crebrae arbores, ac tan-

tantum non perpetuo contactu iunctæ, tum ex vetustate rami decidui ita loca cuncta interſepiunt, vt leporum, cuniculorum, minutorumq. animalium itinera potius, quam hominum illa eſſe dixeris. nec minora ſeſe obiciunt impedimenta à fluminibus; quinetiam maiora, & periculoſiora. Sunt enim loca auia, & aquarum intercurſu interrupta: vt ad iter indagandum, ſaepius magno cum incommodo, ac periculo traiicienda ſint. Tayuapo ad Zupimarim flumen rapidiſſimum deſcenderunt; quod praeter alia incommoda, ſpatio nouem leucarum, plus centies tranſmittere neceſſe eſt. Et cum eſſet per eos dies maxime extenuatum, tamen vmbilicum tenus eos aquae perluerunt. His perfuncti incommodis in Ciuncarum fines cum cantico Sancti Ambroſii, & Auguſtini vna omnes ingreſſi, ad templum, quod primi illi Euangelij praecones excitarant, inde poſt aliquot precationes, ad domum ipſorum cauſſa inſtructam deducuntur. Interim Caciquius Auaſapuris, qui noſtros deduxerat, nuncium de noſtrorum aduentu miſit ad Caciquiū Yubapurim. is poſtero die mane noſtros inuiſit: communiq. conſilio ſtatuere, vt pueri ad Chriſtianā doctrinam cogerentur, in quā exercitationem ſtrenuè diebus aliquot incubuerūt; donec, illis ad ſementem faciendā dilapſis, noſtris occaſio interiora gentis penetrandi data eſt. nam aliorum locorum Caciquij noſtros vrgebant, vt ad ſe venirent. Cum dies aliquot in his quoque erudiendis poſuiſſent, comes Sacerdotis Benauidius in mandatis habuerat, vt rediret. itaque, antequam aquae fluminum altius aſcenderent, Limam rediit. Pater duodecim adhuc leucas progreſſus, Zabaniam contendit,

cuius

cuius Caciquius vir multa probitate, & senecta-
aetate venerandus, una cum fratre, & primoribus
ciuitatis longe obuiam processit. Zabaniae iisdem
Christianae disciplinae rudimentis, quibus locis
alijs, populum erudijt, indeq. his de rebus ad Pa-
trem Prouincialem litteras dedit vj. cal. Septemb.
erat inde postero die discessurus, populosq. alios,
qui longe plurimi sunt, catechismum circumferen-
do, obiturus. his laboribus, exercitationibusq.
Sacerdos vnus in media gentilitate versabatur.
Illud vnum praecipuum, & maximum obstaculum
reperiebat Euangelio, quod (vt contingere neces-
est in nouo populo) vetere superstitione occupati,
mirum in modum antiquis ritibus addicti, non
se facile ab ijs sinunt auelli. Ex quodam eorum
delubro simulacrum auis ex varijs plumis versi
coloribus formatum, Pater auertendae superstitio-
ni sustulerat; eam rem tam aegro animo tulit loci
Caciquius, qui patrem alioqui praecipuo habebat
in honore, vt vultus acerbitate non dissimularit:
quieuit tamen Patris rationibus placatus. Et
quoniam de illorum superstitione facta mentio est,
nonnulla subijciam, quae inde certis auctoribus
perlata sunt. Nouas domos antequam incolere
incipiunt, proprio quodam expiant lustrationis
genere. Conuenit Caciquius cum vniuerso popu-
lo, solennesq. verborum conceptiones vna pronun-
ciat: quibus verbis parietibus, & materiationi
supplicant, ne ruina decidant: adhibitisq. statis
cerimonijs, quasi e ritualibus libris depromptis,
ciciam (vulgaris vini genus est, quod ex maiza-
vti supra dictum est, conficitur) certa quadam
ratione & numero effundunt. Haec inanis religio

ex

ex locis nonullis sublata est; persuasumq. vt eius loco crucem intra aedes constituant; Deo, qui in eo vitam misit, supplicent; ab eoq. sperent auxilium. Ex hac consuetudine iniecta genti religio est, & veneratio crucis; quam etiam in itineribus certa per internalla disponunt; quod illa sc. aduersus daemones munire sentiunt; quem horrent maxime, venerantur, & adorant, redimendorum maxime malorum caussa, quae timent ab illo atque ob eandem caussam maleficos, quod consuetudinem cum illo habeant, timent vehementer. In funeribus immaniore alia impietate vtuntur: hominem moribundum lectissimis, quas habuit vestibus indutum, plumis variorum colorum ornatum, in sella collocant: interitumq. illi barbara, & stolida pietate anteuertunt, ore illi naribusq. obstructis ne respiret; vt ijs quae supersunt animae reliquijs suffocetur. tum intra aedes ingentem effodiunt hiatum; doliumq. vinarium in duas dissecant partes; in quarum altera vna cum sella, in qua locatus est morientem ponunt; & iusta ipsius arcum, & sagittas, & quicquid rerum aliarum in honore aestimationeq. habuit. tum parte altera contectum demittunt in eum, quem aperuerant hiatum. In funere vero Principum virorum etiam è coniugibus, quas multas habent; puerisq. aliquot viuentes vna infodiunt. quibus terra obrutis, super tumulo saltationibus, ac voceiferationibus, inconditisq. plaudunt vlulatibus, tum os oculosq. ridicula cerimonia apprimunt ad Tumulum. Tenet hic ritus in tertium diem. exacto triduo, loca circumeunt; in quibus ille viuens frequens erat: & quasi explorabundi; an adhuc ibi sit, cuncta manu tentant. hortos de-

mum ipſius inuadunt, ac fruges omnes, tum maturas, tum immaturas euellunt, ne quid reliquum ſit quod ad haeredes tranſeat. hac inaudita barbaria ſtolidi mortuis parentant. ita miris modis ſibi caeca illudit natura. vt diuini numinis amoto cultu, nulla gens ſit, quae non in ſuis cerimonijs aliis ridicula videatur: & eum in ſua ſtultitia conniueat, aliarum vitia exſibilet. Haec erat Ciuncarum rerum progreſſio poſt Patris Vreae in eam gentem ingreſſum. *Et quidem antea, vt paulo ante ſignificaui, tentata ab Iulidenſibus res erat. nam Septembri menſe ſuperioris anni Sacerdotes duo, fratre vno comite, in eam expeditionem profecti, quod importuno anni tempore flumina in maiorem altitudinem, quam vt ſuperari poſſent, excreuiſſent, ne ſe certo, vorticoſorum fluctuum periculo exponerent, magno cum ipſorum maerore circa eos populos, qui citra ſunt, hiemarunt: manſerunt q. ad menſem Iulium huius anni. Interim Hiſpanis indigenisq. ipſorum opera non fuit infrugifera: nam catechiſmo, concionibus, & ſacramentorum adminiſtratione, poenitentiae praeſertim, aliſq. noſtrae Societatis miniſterijs multum Chriſtianam rem in ijs locis promouerunt. Ad Iulium menſem illis his locis haerentibus, interim per eam, quam dixi occaſionem* Pater *Michael Vrea felici curſu, & ſi laborioſo ad eam gentem penetrarat. Miſſus eſt poſtea Iulide, vt ſe cum* P. *Vrea coniungeret,* P. *Martinus Arandius. is, iij. Non. Nou. multo incommodiore tempore, comitibus aliquot indigenis, quos mercede conduxerat, pedeſtri itinere (nam iumentis per confragoſas, & praeruptas rupes, ſalebraſq. multis locis impeditas, itinera per-*

uia

uia non sunt) Camata discessit maiore animo rem aggressus, quã prospe successus. aduerso quippe anni tempore profectus, cum magnis laboribus, & aerumnis asperrima, & salebrosa montium iuga, saltusq. arborum densitate impeditos persaepe reptando superasset, in descensu auersi latèris, quod in Ciuncas spectat, paribus omnino difficultatibus ex itinerum asperitate conflictatus, desem circiter dies iam consumpserat; cum comites paene omnes clandestina subinde fuga sese illi subduxere, viarum asperitate, & portensosa praesertim fluminum traiectione perterriti. cum subinde ex quotid ianis imbribus aquarum fluxus ingruentes flumina augerent. studio tamen animos addente, quanuis paene solus relictus, diuina fraetus ope, iter prosequitur. iam, praeter minora flumina, quadragies Zupimarim flumen vado transierat; seq. denuo demiserat in amnem: cum rapidissimo torrente asportatus, vires prorsus, ac sensus amisit. enatabat tamen, diuinaq. prouidentia factum est, vt eodem torrente in eadem ripa, vnde venerat exponeretur. qui si in alteram eiectus esset, in medio alueo vorticibus absorberetur. aeger exanimatusq. ex vndis ereptus, ac cruribus, brachijs, ac toto corpore contusus, cum saepius in petras, lapidesq. in eo aestu impegisset, consedit: reuocatoq. animo progressus leuciis aliquot, siqua vadum opportunior inuenisset, ad pinetum quoddam venit. ea est arbor, cuius fructus pineae nucis nihil habet praeter formam: ceterum totus est edulis, & eximij saporis. fessus ex itinere, vt refocillaret vires, accessit Pater, vt nucem pineam ex arbore, decerperet; cum latens vipera in eum insiliens,

tanta hominem auertit festinatione, vt sepem, quam modo aegre peruaserat, momento transilierit. Sed cum reliqui prosequendi itineris, & superandi amnis spes nulla iam subesset (quippe quo longius progrederetur, eo magis aquarum incrementis auctior implacabiliorq; insurgeret) consilium cepit ibidem cum duobus comitibus, qui ei reliqui essent, hiemem exigere. Sed ad cetera tempestatis, & solitudinis incommoda, accedebat etiam loci insalubritas, & rerum omnium inopia. nempe regio viperis, colubris, caeraſtis, tum tabanis, alüſq. infestissimis bestiolis abundat: neque ad victum quicquam suppetebat, praeter herbas. itaque neque progredi longius dabatur, & erat detrimentosa commoratio. Statuit igitur minus esse incommodum praeteritas repetere difficultates, quam aut in apertam se perniciem proïcere (erat enim adhuc Zupimaris amnis semper auctior, infestiorq. labens, plus sexagies transeundus) aut deserto pestilentiq. loco diuinam tentare prouidentiam, praesertim cum haberet in mandatis; si se insuperabiles obïcerent difficultates, vt rediret. Vsus igitur ea, quam Zupimaris aliquantisper aquis imminutus dabat opportunitatem, eodem remenso cursu, ijsdem repetitis asperitatibus, & quadragies iterum amne superato, vndeuicesimo, quam discesserat die, Camatam tenuit, cum duobus nixus baculis altero pede vix prorepens, insuper etiam molestissimis grauatus febribus totum illud iter crebra aquarum transmeatione confecisset. Camata demum Iulidem laboribus aerumnisq. confectus se recepit, vt inde iterum exspectet aquae motum.

In-

Inter haec cognitum est P. Vream obitis iam multis eius terrae populis, vsq. Euangelij luce illustratis à Barbaris è medio sublatum. Causſa, ac totius rei series comperta nondum est. tantum dicunt ij, qui eius caedis nuncij fuere: Cum in populo quodam Aquacilium moraretur, alterius populi Caciquium, iam senio confectum, ad vitae finem venisse: filium, qui ei successerat, adolescentem veneficum, & diaboli consuetudine famosum, percussores in eum immisisse, quod seni Caciquio vitam prorogare noluisset. eam rem ipsis Aquacilibus summum luctum attulisse. Sacerdos quidem certe perhonestus, qui re cognita ad P. Prouincialem litteras dedit, non veretur eum dissertis verbis, & virum sanctum, & martyrem praedicare. Vir fuit in diuina causſa semper ardens, & traducendi homines ad Christum apprime studioſus. & sane apparet diuino instinctu eam sibi prouinciam flagitaſſe: siquidem illi vni eo peruenire datum est. Sperandum nunc illius sanguine, itinerum asperitate explanata, expeditiorem alijs ad eam gentem aditum futurum. Iulidenſium certe conatus non defuere, quo minus in magnam meritorum partem venerint huius missionis, licet voti fieri compotes minime potuerint. Sed faciet diuina bonitas omnia tandem pleniora.

* * *

RESIDENTIAE in Paraquarijs, & Tucumanibus, cum earũ missionibus.

DVAE omnium remotissimae disiunctissimaeq. gentes Paraquarij, & Tucumanes, duas late patentes tenent regiones, quae duarum ingentium instar sunt prouinciarum. Hae ab extremis Peruuij finibus infra Potosinos montes in meridiem porrectae in sexcentas amplius leucas ambae explicantur, sed Tucumanes interiores, & ad Occidentem magis spectant. Paraquarij circa immania argentiferi amnis fluenta in Orientem versi, ad mare Norticum extenduntur. flumen ipsum è Brasiliae montibus à Septentrione descendit in Meridiem. Hi vtramque fluminis ripam incolentes, ad meridiem ei terrae coniuncti sunt, quae ad fretum Magellanicum porrigitur, ad Septentrionem ad Brasiliam vsque pertinent, à qua maximis montibus dirimuntur. ipsi montes incolis maxime frequentes, communi cum Brasilijs, aut non multum absimili idiomate vtentibus. Omnibus quantum nosse licuit, ijdem fere mores: abundat vtraque regio tum incredibili hominum multitudine, tum vicis pagisq. sane frequentibus habitatur. sed ciuitates illae praecipue, locaq. in quibus Hispani versantur, nota sunt. quae vt ex litteris P. Ioannis Romeri, qui nostris in vtraque Prouincia Rectoris nomine praesidet, accepimus, summa fide reddemus. Ac primum in Paraquarijs,

Digitized by Google

rõs, qua argenteum flumen, quod gentis vocabulo Pararia id est coguatus maris nominatur, vastissimo ostio sexaginta fere leucarum latitudine in mare se effundit, in citeriore ripa populus est sane frequens, & si modicis finibus continetur: loco nomen est Portus boni aeris: emporium non ignobile, & commercio vicinorum Brasilium satis celebre. Agrestes indigenae haud ita multi; neque vt alij seruitutem seruiunt; sed perduellium numero habentur. intus Paranam flumen subeuntibus, Sancta fides occurrit: opidum in eadem ripa ad ramum, qui ex alueo Paranae deriuatur, situm est, leucis a iusto fluminis alueo duabus deductum. quo fit, vt magnam anni partem, abundante flumine, deriuatio cum sui fluminis alueo coniuncta late camporum adiacentia inundet. Versantur hic Hispani plures trecentis, tum viri tum feminae cum pueris puellisq. supra decimum aetatis annum. in opido seruitutem seruiunt hominum plus quinque millia: in agro plus viginti millia dispersi: Ethnici adhuc omnes, sed baptismi valde appetentes, & tam Ethnici agrestes, quam opidani Christiani in magna diuinarum rerum ignoratione. Supra Sanctam fidem octoginta leucas vrbs est Vera, quae alio vocabulo Septifluentia nominatur, ad ripam sita fluminis. Hanc tenent Hispani circiter ducenti viri feminaeq.: indigenarum plus mille, & quingenti seruiunt. circa sunt aliae nationes, ad quas nulli nostrorum adhuc penetrarunt. Regio tota est admodum amena, ac soli feracissimi, quam perpetuam ac bene cultam paradisum esse dixeris. Contra Veram triginta leucas ad occidentem in ripa vlteriore, ad flumen Bermesium vicus est Con-

ceptio. huius oræ fines in occidentem ad Tucumanum, in septentrionem ad Peruuij fines sese erigunt: ducentos ferme quinquaginta continet Hispanos: qui agrum colunt Frontones, qui in opido seruiunt Tonocotes nominantur. Hi omnes à P. Barzana, qui biennium cum ijs egit, ad Christum sunt adiuncti, & ad confessionem admittuntur. A Vera vrbe ad superiora fluminis in eadem ripa vrbs est, Assumptio, non quidē Paranae, sed magno alteri flumini imposita, quem Paraquarium nominant, à quo toti Prouinciae est nomen. Fluit Paraquarius e finibus S. Crucis in Montanis, vt per illud subeuntes Paranam habeant ad dexteram. ita magna vi vndarum labens, multas emensus terras, in Paranam influit leucis duabus supra Veram. Videtur non vno fonte fluere, nam qui Assumptione versantur, aiunt se ad quadringentas leucas ad locum vsque quo plura eius brachia concurrunt nauigasse; atque ripam vtramque magnis populis vidisse frequentissimam. est igitur Assumptio inter vtrumque flumen Paraquarium, & Paranam, sed ad ripā vti dictum est Paraquarij, à Parana leucas ferme quinquaginta dissita in occidentem. Ciuitas est Episcopalis, ac totius Prouinciae metropolis. quatuor circiter Hispanorum millibus incolitur, qui ad confessionis accedunt Sacramenta. Indigenae, quiq. in agro vicisq. dispersi eiusdem sunt nihilominus ciuitatis, plus viginti millia. hi omnes seruiunt Hispanis & baptismo lustrati ad Sacramenta admittuntur. Sunt praeterea in agro ad Paranam ab Assumptionensium finibus seiuncti plus octo millia virorum perduellium, cum multiplici quisque coniugio

gio, at Sobole. ii Guaranies nominantur. Gens est superstitionibus apprime dedita, quae si posset ad Ecclesiam vocari, sperandum est omnium, quos adhuc in his oris tractauimus, religionis studiosissimos futuros. sed à maleficis, & diabolicis impostoribus circumaguntur, qui mentiuntur se esse viros sanctos, homines sceleribus multis cooperti. feminarum coenobia instituunt: quem in vsum, illorum vita moresq. declarant. Et tamen tanta est amentia, tanta in gente superstitionis vis, vt sedis hisce monstris, tanquam Deo se obtemperantes praebeant. ita facile à quouis loquaci homine obducuntur. his tandem diuinae lucis radius affulgeat. Supra Assumptionem emenso Paraquario triginta leucis iter à flumine auertitur ad dexteram, exscēditurq. in flumen Ienxuim: contra cuius fluenta, cum ad quinquaginta leucas progressu fueris, eo relicto terrestri quatridui itinere rursus ad altiorem Paranae partem peruenitur. Traiecto iterum Parana, Guayra Prouincia occurrit. in ea vrbs quondam Regia eiusdem nominis, nunc Virus infrequens. hic nulli sunt Hispani. Guayrenses tamen minus quingenti inseruiunt Hispanis: quiq. ad confessionem accedunt, ad septuaginta vix perueniunt. Videntur tamen huc subinde conmeare magna multitudine, tum Hispani, tum indigenae, vt ex ijs licet odorari, quae supra scripta sunt, sed in litteris P. Romeri hunc numerum inuenio. Gauyra vico octoginta leucis itinere partim pedestri, partim nauigabili distat Villarica. Hic ducenti ferme viri feminaeq. confessionis Sacramento impertiuntur. magnus indigenarum numerus in agro. eorum duo sunt genera, Guaranies, de quibus iam dictum est, & Ibira-

ya.

yairae, de quibus alias dicetur. Ex his quinque millia circiter inseruiunt Hispanis. Contra hos duos populos Guayram, & Villaricam pari fere spatio sexaginta leucarum ab vtraque triquetram formam efficit Vicus S. Iacobi ad Xeras situ ad fines Paraquariae. Populus omnium nouissimus: natio Niguarae appellantur. Hi non ita multo ante relicta patria, sedes petitum venere, ab Hispanis: eorum postulationi satisfactum: locum, in quo eos collocarunt, S. Iacobum ad Xeras nominarunt, à propinquitate vrbis eius nominis. agreses omnes trium millium ferme explent numerum. Hi tres populi Paraquariorum vltimi sunt à mari Nortico per Paranam ascendentibus, primi ex Peruuio descendentibus.

Tucumanum porro descriptio ab editis Geographorum Tabulis dissentit. sed, re cum peritissimis communicata, visum est eorum sequi fidem potius, qui praesentes loca ipsi mensi sunt, quam eorum qui audita tantum descripserunt. Et sane cum Paraquariorum & fines, & oppida illi ignorarint (quis enim vnquam eruditus mathematicis tam remotas regiones, tam à nostro cultu alienas lustrauit oculis) vero proprius est ipsos in Tucumanum designandis oppidis errasse, quam qui vltro citroque commeando, eas terras quotidianis itineribus triuerunt. Apparet enim satis accurate P. *Romerum, quamuis in procinctu itineris, quantum tamen caeli dimensionibus omissis, fieri potuit, ea loca descripsisse. Ex eius igitur descriptione, & itinerum diarijs, quae infra explicabimus, apparet Tucumanes Paraquarijs esse finitimos: porrigiq.*

à si-

finibus Peruuij proxime ad ostium Paranae. ita tamen vt inter ipsos, & Paranam sinistri intercedant Paraquarij. sunt autem eorum hi populi. Cordubae octoginta leucis à portu distant boni aeris: à Sancta fide, quae est in Paraquarijs, septuaginta. Vicus pro gentis modo satis opulentus. Hispanis incolitur trecentis, & eo amplius, indigenum agricolarum plus decem millibus. horum multi lingua inter se differunt; in communem vnã licet omnes conueniant. Nulli è Tucumanibus populis fortiores, nulli constantiores, & plerique baptismo expiati. Ab his plus minus sexaginta leucis distat S. Iacobus ad Exsterrum. Ciuitas est Episcopalis, & Tucumaniae totius caput. Hispani habitant, quorum confessiones audiuntur, ad septingentos. Septem indigenarum millia in agris, Christianis initiati sacris omnes. Christianae tamen disciplinae nullo pene cultu. sed iam versantur inter eos nõnulli de Societate, vt infra cognoscetur: à quibus spes est, Deo bene iuuante, futurum, vt lucis aliquid affulgeat. Pari sexaginta leucarum spatio ab vtrisque trigonali distat situ Nouarioſa. ducentis Hispanis, plus decem millibus agrestium frequentatur. Viginti quinque à S. Iacobo leucis vicus distat Sancti Michaëlis, centum triginta circiter Hispanorum, duorum millium agricolarum. Exsterrus S. Iacobo triginta distat leucis, ad partẽ pertinet Peruuij. Hispanos numerat non plus trecentos, cum tribus millibus agricolarũ, tamq. Iacobenses, quam Michaelitani Christiani sunt, sed Christianae disciplinae valde rudes. Triginta ferme leucis ab Exsterro Villaiuncta Hispanos habet centum circiter, agricolas fere mille, & ducen-

cetos; plerosq. sine baptismo; & qui Christiani sunt, nulla Christianae religionis institutione. Hinc salta triginta distat leucis, centum quinquaginta altrix Hispanorum, indigenarum addictorum quingentorum supra millo. Hi omnes adhuc Christianae doctrinae baptismiq. sunt expertes. Salta leucis triginta distat Vallis Calchaquiensis, leucis quindecim vicus Xuxuya. Xuxuyae Hispani habent prope centum, & indigenae, quos vocant Omoguacas. Ad hos P. Monzoyus intrauit, sed graui morbo, vt dicetur suo loco, occupatus, magnae spem segetis relinquere necesse habuit. Debuere in Tucumanum describendis finibus adjci et situs, & caeli regiones; vt quo quique populorum loco sit sint, intelligatur. sed puto, quia Tucumanes Paraquarijs notiores erant, situsq. opidorum ante exexplorati, & haec ad locorum peritos scribebantur, vitatum esse taedium prolixitatis. ego plura, quam noui, huc afferre nullo modo potui.

Hactenus eos populos persequutus sum, qui in duabus hisce vastissimis prouincijs notiores sunt. alij multi minores obscurioresq. Christianis ité initiati sacris omittuntur. ingens praeterea supereſt eorum multitudo, ad quos Hispani nondum penetrarunt; neque vlla ijs Euangelij lux affulsit adhuc. Sed ij, quos nominaui, lingua licet differant inter se, communi tamen omnes Guaranico vtuntur idiomate. Apud eos si vrbes paucas excipias, rari Sacerdotes: religiosarum vero familiarum praeter Societatem nulli. His prope innumerabilibus populis instruendis quatuordecim tantum de Societate praesidet. quanta vinea, quam paucis operis commissa. Ii partim Sacerdotes, partim non Sacerdotes vni P.

Ioan-

Ioanni Romero Rectori parent omnes, tam à reliquis quodam modo disiuncti Peruuianis ob interfusam latissimam Barbariem, itinerumq. infrequentiam, quam ab Europa prope noua haec disiungitur Orbis pars. hi vno spiritu vnoq. caritatis vinculo cum tota Societate colligati, & communis hominum salutis causa procul à suorum consuetudine, rebusq. suapte natura hominibus carissimis, vno Deo nixi, apostolico plane spiritu, in perpetuas, easdemq. aerumnarum plenas peregrinationes vitas suas prodegerunt, qui super cetera incommoda, quae Christi causa suscipiunt, illo etiam solacio priuantur mutuae cõmunicationis, qua crebra litterarum missione illi inter se fruuntur, qui vno dei spiritu coniuncti sunt, nã non nisi admodum raro litterae vltro, citroq. commeant. cuius rei illa causa est. distantia primum locorum, tum illorum paucitas, qui perferant, ac si quem aliquando nacti sunt, cui dent, nõ semper accidit vt optima fide reddat, quod accepit. plerumque etiam reuulsis signis nulla religione legunt, quae scribuntur. quo fit, vt quid in tam seiunctis regionibus agatur, statis temporibus sciri non possit. quae autem carptim è paucorum litteris cognosci potuerunt, ea tantum scripta sunt. Eae porro litterae res biennij spatio gestas nonagesimo quinto, & nonagesimo sexto huius saeculi continent, quas omnes Limani eodem anno acceperunt.

RE-

RESIDENTIA Assumptionis in Paraquarijs.

DVAS praecipuas habemus sedes cum templo vtrobique satis commodo in Paraquarijs Assumptione, in Tucumanibus S. Iacobi ad Exterrum. Assumptione cum P. *Rectore degunt Sacerdotes tres* P. *Ioannes Salonius affecta iam aetate senex, sed virtutis indefessae.* P. *Marcellus Laurentiana, & ille multorum testimonio laudatissimus* P. *Alfonsus Barzana. Hunc nostri Peruuiani, qui in missionibus versantur, tanquam verum apostolici spiritus exemplar sibi proponunt imitandum; & bonum eius muneris magistrum appellare non verentur. qui vt multos industria iuuandi populos, & vitae Sanctitate pares habeat, longa tamen aetate, & operis diuturnitate omnium certe labores superauit. & iam extrema in senecta constitutus, mirum quam nō sui sit amator, quam non sibi parcat indefessus omnino laborum incommodorumq. exhaustor.*

In Sancti Iacobi ad Exterrum, in Tucumanibus Sacerdotes tres P. *Angulus,* P. *Petrus Biuara, &* P. *Ioānes Viana versantur. Saltae vero* P. *Petrus Annascius, cū* P. *Gaspare Monroyo residebant; indeq. valles Saltae Xuxuyam vsque excurrebāt. Duo alij superioribus in partibus Paraquariae morantur ad Villaricā* P. *Thomas Fildius, &* P. *Emanuel Ortega, qui Villaricenses Guayranos, & Iacobenses Xeranos, alioſq. circa populos Christiana*

na

na pietate contendunt infbrmare. Sed qui Assumptione degunt, vsitatis nostrae Societatis ministeriis gregem sibi commissum boni adiuant pastores. Conciones habent ad Hispanos, & indigenas: teneram aetatem vtriusque gentis Catechismo imbuunt: infideles ad Christum traducunt; eosq. instruunt Catechismo, expiant baptismo. Estq. iam solenne, & vsitatum, vt indigenarum pueri infantesq. baptismo admouendi ad nostros adducantur. Ita nullum habent hi populi ad quem libentius accurrant in suis rebus, & cuius fidei tutius sua omnia committant, quam Societati. Matrimonia etiam eorum nostrorum opera iunguntur: audiendarum vero confessionum opera quotidiana, ac propemodum perpetua est. nam & validi nunquam desunt, qui nos adeant confessionis caussa, & ad aegrotos quotidie nostri aduocantur: vt etiam defunctorum sepulturae praestent operam. ritus alios Ecclesiasticos inducunt, supplicationes Dominicis diebus per vrbem ingenti agmine magnoq. apparatu traducunt. Laudanda in primis Diuina bonitas, quod tam pia inducantur instituta, & tanta pietate celebrentur in locis paulo ante ab omni cultu alienis: & sacra carmina diuinaeq. laudes, extruso daemone, ibi decantentur, vbi ab ipsa mundi constitutione saeuissima diaboli tyrannis baechabatur. Quanta disrumpi rabie credendum est aëraes potestates, cum sacris hymnis sentiunt eum, quem tenuerunt aerē personare? His quasi sacris aquis noua religionis germina irrigantur. Neque minor à nobis vtilitas ad Hispanos proficiscitur, imo vero longe maior, cum ea in ipsos etiam indigenas redundet. nam

prae-

Digitized by Google

praeter pacificationes multas P. Rectoris opera inter viros primarios, atque adeo inter ipsos magistratus constitutas, ipsi quoque magistratus ad rectam gubernandi administrationem consilijs optimis adiuti, & libera reprehensione ab iniuria deterriti. qua in re laudanda est virorum optimorum probitas, qui potestatem maiestatis non ad cupiditatem, sed ad aequitatem, vnius priuati Sacerdotis monitu, tanta animi facilitate moderantur. nemo enim non videt, quanta cupidis magistratibus potestas permittitur tam remota in barbarie; quantaq. proponatur impunitas, tam distantibus in locis, vnde querelarum nulla vox ad supremos regni totius magistratus aspirare possit. quae res superioribus annis, antequam huc Societas penetraret, tam atrocibus iniurijs ansam praebuit; vt licet nullis vnquam litteris mandentur: nunquã tamen ex hominum memoria deleri possint. sed magnum frenum iniecit cupiditati opinio quã de Societatis integritate, & doctrina passim habent omnes: vt malint omnes tantum bonum ad animi sui salutem, suaeq. existimationis administrationisq. laudem conuertere, quam tam oculatos arbitros spectatores, ac testes suae cupiditatis adhibere. quo etiam fit, vt nullum paullo maius negotium occurrat, quod non communicetur cum Societate, & Societatis consilio regatur. Adsit modo rei magnitudini diuini spiritus aura, quae suã diuina luce animos omnium perfundat. Neque in publicis rebus tantum, sed in priuatis quoque persaepe magnae res aguntur, ita nostrorum opera magna pericula diuina ope auertuntur; magnaq. tolluntur à primis ortus sui initijs incommoda;

vt

ut omnes iam intelligant, & fateantur, huc ad communem omnium gentium utilitatem Societatem caelitus esse dimissam: alioquin parentes cum Liberis, omnemq. ciuitatem pessundatum iri, nisi essent qui communibus ruinis opem ferrent. Non minore tum labore, tum studio ciuitatem concionibus excoluere. quae res superiore anno per quadragesimam multo fuit ijs laboriosior: quo tempore, absentibus duobus in Guayram Prouinciam profectis, totum concionum pondus duo reliqui P. Rector, & P. Barzana sustinerent. quorum ille quater, hic vero aetate confectus, bis quaque hebdomade dicerent ad populum, neque quidquam interim de assidua confessionum audiendarum opera detraheretur. Ad subleuandam praeterea pauperum egestatem, data est opera, vt collecta eleemosina, ijs subueniatur, qui extrema inopia premuntur. rem magnopere promouit Bartholomaei Sandouallis huius Prouinciae Praefecti pietas: est enim huius rei studio apprime deditus. Sed vtilitatem imprimis habet admirabilem puerilis institutio, scholaq. litterarum in hac residentia inducta. quae res tanta est, vt patres qui ibi versantur, hunc fructum, omnibus alijs vtilitatibus, quas ex Societatis opera haec ciuitas percepit, anteponant. nam antea pueri nulla institutione, nulla disciplina educabantur. Summa erat rerum omnium inscitia, obliuio religionis, omniumq. honestarum studiarum: nulli mores, nullus pudor, virtutis amor nullus, nulla digna viro instituta: contra, malorum indies vitiorum seges succrescebat. nunc vicissim pudor, modestia, probitas, honestas, discendi tantus amor, tanta pietas, vt omnium animi ad gratas

Deo agendas excitentur. ita passim ciues sibi quisque atque vniuersae ciuitati tam bene moratam iuuentutem gratulantur. & sane tanto flore probitatis in prima iuuentute renidente, vigere iam in grandiusculo incipit aetate studium Christianae pietatis. ipsi enim adolescentes suorum parentum Catechistae, at praeceptores, quasi igniculi sparsi per domos, magnas religionis flammas excitarunt. vt ex his initijs totius ciuitatis renouatio ad pietatem expectetur. quotidie interfant Missae sacrificio, summaq. alacritate conueniunt ad concionem, pueriq. vix adhuc validi ad firmandum gressum, optime tenent Catechismum. abecedarias tabellas percurrunt expeditae, multaq. pia carmina decantant: quiq. vix dum ex imbecillibus annis excesserunt, non solum gymnasio, sed etiam pijs exercitationibus satisfaciunt: ad flagra vsque sibi corpori admouenda, non robustiores solum bis terue quaque hebdommade, sed etiam tenelli sexta cuiusq. hebdomadae feria conueniunt. faueat illorum studijs diuina bonitas, vtique res est plena commiserationis, tantam in tam lecta pube diuini seminis segetem ad laetam maturitatem non posse peruenire: siquidem, si esset oportunitas, optimorum adolescentium, optima praeceptorum indole, religionum tirocinia complerentur. sed aperiet vtique viam aliquam diuina prouidentia: examina certe legi poterunt bonorum adolescentium, qui praecipue studio, diuino cultui diuinaeq. legi propagandae se addicant. Ex quibus idonei magistri suae gentis in omnes partes dimittantur. & iam in aliquibus indoles aliqua ingenij ad nostrae Societatis institutum vertitur. Est quidem initio dis-

mul-

multumq. dubitatum, an tanta res susciperetur, ne alia ministeria, quae nos totos ad se vocant, ab illa assiduitate, quam res postulat, nos abduc-cerent. sed ostendit experientia vtrique rei pos-se satisfieri non incommode, industria videlicet frugi, & exercitae senectutis P. Barzanae, in cuius annosam aetatem totum pondus incu-buit. is effeto corpore, iuuenili animo, rem susce-pit; quotidieq. duas matutini temporis horas, cum ijs, qui Latinis litteris imbuuntur ponere, solitus est; vicariaq. opera grandiusculorum, minusculos sensim erigere, ac sustentare. ita par-titis muneribus per suas cuiusque vices industriae senis diligentia numerosa admodum diuersarum aetatum graduumq. schola promouetur. & vbi exhaustae deficiunt vires, ingenium artem ad-hibet ad laborem. Et quoniam quadragesima, vt & concionibus habendis, & confessionibus au-diendis satisfieret (vide quantum consumpto tor-pori robur addat infractus animus, & zelus ani-morum) ne illis quidem matutinis horis erat o-tium: vicarium sibi sublegit ex robustioribus adolescentibus, condiscipulorum peritissimum, qui item reliquo anni tempore pomeridianis ho-ris scholam continet. ita negotium diuino affla-tu susceptum diuina bonitas omitti non permisit. Hoc iucundo munere dignus ille immortalitate, senex tam laeto animo perfungitur, vt eum la-borem cuilibet vel frequentissimae concionis plau-su anteponat. Nouum in ea vrbe templum no-bis excitari coeptum est, cuius aedificatio ma-gnis omnium ordinum aestuum, virorum femina-rumq. studijs admodum strenue vrgetur: tutaq.

ciuitas in id intenta est, vt quam pulcherrima descriptione, quam ornatissime ad speciem, quam primum absoluatur. & vt instituta res est, cum opus ad culmen perductum fuerit, omnia ciuitatis huius aedifica, pulchritudine, magnificentia, & elegantia superabit. Et quamuis P. Rector ob ciuitatis inopiam sumptui moderari conaretur: quando, vt illi dicunt, Iesu domum exstruunt, adnitendum sibi esse censent, vt quam magnificentissima extruatur, itaque modestiam nostram superant illorum studia. certatim enim locupletes ad impensam subleuandam conferunt, qui minus possunt pecunia, pueri adultiq. operam praestant subuehendis lapidibus, egesta humo, ruderibusq. exportandis, iuuandis operis, rebusq. alijs administrandis. ipsae feminae nobiles muliebria seruitia ijsdem ministerijs submittunt: alij mancipia, indigenasq. alios suae addictos seruituti ad opus commodant: alij lignа, aliaq. operi vtilia transmittunt: diaria alij operis de suo praebent, quae saepe ad octoginta solent esse. in primis vero capitularis Ecclesiae Collegium, & vrbis praefectus rem sua auctoritate multum promouerunt. His studijs atque hac omnium contentione eo progressa res est, vt ad festum omnium Sanctorum maxima pars absoluta cerneretur. Placuit igitur P. Rectori Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum è vetere templo in nouum transferre. quem diem solemni cerimonia, & communi totius ciuitatis laetitia celebrarunt. auxit religionem drama ad rem, & tempus accomodatum, primitiae, vtique in eo genere scholae nuper institutae. sed

illud

Digitized by Google

illud mirum, vnde in tam remotis locis, & tanta nostrorum hominum, atque adeo litterarum paucitate dramatica syntagmata. nempe fuit ad sacram ancoram confugiendum: Patre Barzana iussus est longo tot annorum interuallo intermissa musarum studia repetere. frugi senex, & dignus qui, bonae instar arboris, ad vsum hominum, si fieri possit in viridem iuuenum reuiresceat. sed homini puto iam optabilior caelestis patria. optandum vtique nobis in omnes vsus, multos eiusmodi dari diuinitus. is argumentum excogitauit de templorum aedificationibus: in eo varij aedificantes, & demolientes tractabantur. tenuit scena spectatorem in horas duas integras, & semihoram: & plausum tulit. Neque vero in vrbe solum tam strenue operae, sed in agro etiam alijsq. remotioribus populis egregie laborarunt, quorum egressiones peregrinationesq. ordine perscribam.

MISSIONES EX Vrbe Assumptione.

MISSIO PRIMA GVAYRAM, & Villaricam.

AC primi quidem à proxime datis litteris P. Ioannes Salonius cum P. Marcello Laurentiana Guayram, & Villaricam ad Patres eius residentiae inuisendos missi sunt. hi III. non. Nouembr. anni CIↃ IↃ XCIV. Assumptione

profecti, sex dierum itinere aduerso flumine nauigantes Iuriquizanam venerunt. Inde relicto flumine quinque indigenarum populos ex itinere obiuerunt. Capibatem primum abiq. dies quinque posuerunt. Capibate ad populum alterum venerunt, posteroq. die profecti Guiranam quatriduum morati Arbaparisaram venerunt. Arbaparisarae triduo insumpto profecti Maracayi, pago admodum frequenti substiterunt. vbique magna benevolentia à Christianis excepti, magna assiduitate nostra ministeria exercuerunt; ac praeter cubique consueta, & solamina, multos baptismo expiarunt, multos matrimonij Sacramento in sacie Ecclesiae iunxerunt. nam nulli apud eos populos pastores animarum, nulli omnino, nisi de Societate Sacerdotes. itinera vere admodum laboriosa, periculosaq. habuerunt. nam per eos dies fluminum exundatione agri in vastè stagnauerant, vt maris similitudinem referrent: tum, quod omnem calamitatem superabat, crebrae lacunae tam alte occurrebant, vt aegre ex eis eiterent iumenta. foueas interdū sub aqua latitantes nando transmisere: alias tanta fimi fuit altitudo, vt equi ex eo expedire se non posent, cum toto corpore demersi vix summis capitibus extarent. ipsiq. modo iunctis vepretibusq. insistentes, saltuq. vix progredientes; modo in lutum sese ad vsque lumbos demittentes, tandem ad Yocatimum flumen peruenere, è quo secundo fluctu nauigatur in Paranam. In hoc quasi portu, vico infrequenti, inaliquo rebus omnibus instructo, substitere aliquot diebus: donec Guayra vrbe regia Canone duae (lynthres hae sunt, quibus in fluminibus vnum ex vno conti-

nens

nensi trabe excauatae) quae ipsis deuehendis mi-
tebantur, superuenere. interim ad cibariorum re-
rumq. omnium penuriam, accessit etiam febris per-
molesta, quae alterum eorum grauiter afflixit.
Conscensis cenis trium ferme horarum nauiga-
tione in Paranam illati, qua tria in brachia diui-
sus est flumen totum transmisere. habebat vnum-
quodque eorum, ut ipsi existimabant, sesquileucae
latitudinem, atque in latissimo eorum traiciendo,
turbido admodum aestu marini instar Euripi ia-
ctati, magnum in periculum demergendi nauigij
venere, tandem noctis conticinio ad urbem appu-
lere. Et cum id temporis esset, vniuersus tamen
populus, qui iam de illorum aduentu certior factus
erat, ad eos excipiendos sese obuiam effudit, tanta
cum gratulatione, quanta excipi par est aduentum
Sacerdotum à populo Christianae pietati dedito,
& Sacerdotum prorsus experte. ex quo etiam quã-
ta laborum moles eos exceperit in magna Christia-
norum multitudine, conijcere difficile non est.
Decem circiter dies apud eos substiterunt, donec
omnibus, qui aut baptismo aut confessione expian-
di, aut matrimonio iungendi forent, satisfieret,
quibus satis instructis Villaricam uersus discessere.
Iter triduo fecerunt per Paranam subeuntes in
Vbayum amnem, qui in Paranam influit, intra-
runt. Huic flumini imposita est Villarica, ad
quam octo dierum nauigatione ascenderunt,
cum ex itinere tres quatuorue senes vicos inui-
sissent, à quibus magna beneuolentiae significatio
ne excepti usitata nobis ministeria exercue-
runt: & si quod Villaricam ad Epiphaniam ijs
veniendum esset, non ad ipsorum vota apud eos

subsisterunt: moerorem tamen leniuerunt sic diuturnioris moraę cum redirent. Villaricum cum veneruni, ab opido praefecto populoq. vniuerso ei obuiam est proditum, cum bombo tympanorum, & dissonione fistularum, saltationibus, aliisq. laetitiae significationibus: patres incolumes Dei beneficio offenderunt, qui mutua gratulatione, & laetitiae significatione tantâ ex eorum aduentu se voluptatem percipere declararunt, quantam homines arctissimo caritatis vinculo coniuncti, tanta locorum distantia diuulsi, post diuturnum desiderium percipere debuerunt. Habent iam ędem Villaricae nostri sedem, & templum sane commodum. hinc subinde ad duas excurrunt ciuitates, seu potius prouincias, Guayram de qua dictum est, & Sanctum Iacobum ad Xeras, aliosq. circa populos innumerabiles, qui iam pridem ad Christum traducti, nullos habent in tam late patentibus oris omnino Sacerdotes. in ijs eadem exercent nostrae Societatis ministeria. Est recens condita Vrbs Xerae à vetere, vt puto, Xerâ, quae est in Hispania, nuncupata. ab ea nomen habet vrbs, quam saepius, S. Iacobi ad Xeras nominauimus. In huius finibus, vti supra demonstrauimus, Niguarae aduenae consederunt. hanc quoque vrbem, quod vna cum tota regione caret Sacerdotibus, Praefecti rogatu, Villaricenses adiere; ipsum cum vniuersa ciuitate, atque adeo Niguaras aduenas solennibus nostris expiarunt ministerijs. Amantur nostri ab indigenis, eosq. iniecto studio religionis facile continent, imperium vt aequo ferant animo. ac nisi nostri praesto essent, contineri populi non possent, quin rebellarent. Duae sunt in his locis

fa-

feroces, ac bellicosae nationes, Guaranies imperio
aueni, & Christiano adhuc nomini valde infesti, &
Ibyrayare: homines magni animi, pugnaces, &
Christianae religionis amatores: eorum iam ali-
qui baptismum susceperunt: alij magna illius te-
nentur expectatione imperio fideles, & eorum sae-
pe auxilijs Hispani Guaranium contumaciam re-
tundunt. & quidem, quae sint Ibyrayarae constan-
tia exemplo vnius licet intelligere. hic, iter fa-
ciens, incidit in Guaranies, quorum illi sunt imi-
micissimi; à quibus captus, ac despoliatus, Hispa-
num hominem, qui forte superuenit, rogauit, vt
caussa cognita se vindicaret. eius iussu solutus, re-
busq. suis receptis, cum mitteretur, professus est se
Christianum esse, ac monita sacerdotis, à quo ba-
ptizatus esset, memoria tenere; quibus iniurias
omnes inimici condonare iuberetur. religionis
metu prohibitum, nihil in suos inimicos asperum
decreuisse; alioqui non honorarij cuiusquam
arbitrium expectaturum; sed ipsum sua sibi manu
ius dicturum fuisse. & vt magis mirere in neophy-
to constantiam, vix mensis ab illius baptismo prae-
terierat. Aduentu nouorum auxiliorum res Vil-
laricenses magnum coeperunt incrementum. nam
vt aggestione materiae incendium augetur: ita
duplicato operarum numero, simul etiam opus du-
plicatum est. Magnum incitamentum est homi-
nibus ad benefaciendum opportunitas, praesertim
si quam res habet nouitatem; quam habuit vtique
in tanta spiritualium rerum solitudine, virorum
talium accessio. Auxit pietatem Iubileum ab ipsis
promulgatum: nemoq. fuit in tanta multitudine,
qui non eius particeps esse studuerit. induxere

prae-

praeterea supplicationum vsum, Catechismum, & Doctrinae Christianae cantiones, qualia Assumptione esse diximus, concionas per suas quisque vices habuerunt ad Hispanos, & indigenas. denique noua Ecclesiae illi facies, nouus nitor addi visus est. Haesere patres Villaricae mensem totum in reditu populos illos, quos properando paene praeterierant, reuisexunt; ac diuini verbi pabulo, Catechesibus, Sacramentorumq. administratione recreatos confirmarunt. incidere in hominem longa diaboli familiaritate, & maleficiorum consuetudine omnibus suae gentis ita formidabilem, vt nemo auderet ei in re vlla refragari. quin, neque calamitate afficerentur, omnes ei studiose gratificari contendebant; tam crudeliter eum malus efferauerat, vt omnem plane humanum sensum exuisse videretur. nam & Hispanum puerum, & indigenas duos, insuper etiam duos suos paruos liberos iussu daemonis ei sacrificauerat. Placuit diuinae bonitati tam efferatam immanitatem emollire ad poenitentiam. itaq. aduentu nostrorum ita vitam moresq. immutauit, vt planae alium factum mirarentur omnes. Extrema demum Quadragesima Assumptionem cũ peruenisset, P. Salonius in grauem periculosumq. morbum incidit continẽti quadraginta dierum febri, ingentiq. dolore oculorũ conflictatus, Dei tamen beneficio tandem conualuit.

MISSIO ALTERA EX Assumptione.

ET quoniam experientia compertũ est, incredibilem esse eiusmodi excursionum vtilitatẽ, potue-

re

re quidē ij, qui in his locis versantur magnum ejus rei studium concipere, rem exequi pro voto operarum paucitate nequaquam potuere. Quae res cuiusmodi sit è duobus capitibus litterarum, quae ad Patrem Ioannem Sebastianum Peruuij Prouinciae eiusdem Sacerdotes duo P. Alfonsus Barzana, & P. Marcellus Laurentiana diuersis temporibus dederè, cognoscere licet. Quod omnium maxime, inquit, expetimus, non modo nos R. V. filij, sed vniuersa quoque Hispanorum natio, & huius terrae populi, idem est quod & R.V. in votis habet, traductio harum gentium ad Christum. cuius rei conficiendae ratio nulla iniri potest opportunior, quam vt crebrae ad eos profectiones suscipiantur. has Hispani flagitant ad continendas in imperio nationes; has ipsi expetunt neophyti, omni alio Sacerdote destituti, & nostrae Societatis amatores; harum beneficio speramus ingentem bellicosarum nationum numerum, Paranae accolarum, aliorumq. innumerabilium populorum ad Christi gregem aggregandum. qui, quamuis ab Hispano nomine abhorreant, Societatis tamen homines, quod sui esse studiosissimos intelligant, nihilq. ijs, nisi salutem animorum curae esse, & beneuolentia, & veneratione prosequuntur. huius rei causa sedes in his terris constituimus, vt esset vnde in omnes partes Euangelij praecones mitterentur: ac nisi operarum numerus duplicetur; vt dum alij castris praesidio relicti, Hispanos indigenasq. Euangelica instituunt doctrina, alij circumiectos populos peragrando, innumerabilem, quae adhuc superest, Ethnicorum multitudinem ad Christum traducant:

nulla alia causa, quam hominum paucitate infinita seges animorum interibit. *Haec* P. *Barzana*. P. *Marcellus quoque cum certiorem* P. *Provincialem feciſſet de duabus miſſionibus, ad quas eum* P. *Salonio exiuerat; adſcribit extremis litteris. Sedere ſe ad exercenda Societatis miniſteria Aſſumptione in Hiſpanos, & indigenas.* In miſſiones, *inquit*, quod tam pauci ſumus non eximus. veniunt ex remotiſſimis finibus Chriſtiani ſuam orbitatem deplorantes. Patres, inquiunt, vos quoq. promiſſorum fidem frangitis. promiſſis ad nos redituros: & nos quotidie vota facimus: o ſi noſtri redeant patres: haec omnium vna vox eſt. Patres matreſq. ſenio confecti plorantes aduentum veſtrum praeſtolantur, vt ſaltem ante diem mortis confeſſionis Sacramentum obeant. quos matrimonio iunxiſtis, iam liberos procrearunt, neque eſt qui eos expiet baptiſmo; multiq. intereunt eius expertes. quos baptizaſtis, matrimonio maturi iam ſunt, neque eſt qui eos in facie Eccleſiae coniungat. *Haec Pater Laurentiana. His querelis laceſſiti contineri ſe non potuerunt, quin ſupra vires tenderent. itaq. poſt reditum patrum è Prouincia Guayra*, P. *Rector cum* P. *Laurentiana vicos villaſq. circa vrbem ad quinque vel ſex leucas obiuerunt; & praeter conſuetorum miniſteriorum vtilitatem, incommodis multis, quae tum inter Hiſpanos tum inter indigenas inueterauerant, opportunis remedijs occurrerunt; & cum hoc laborum ſuorum manipulos reuexerunt; tum non modicum materiae, caeduae numerum ad templi aedificationem comportandum curarunt.*

Te-

Tertiam missionem idem P. Rector cum P. Barzana tentandam constituerunt: seq. ad populum octo leucis Assumptione dissitum contulere. vbi ingentem aegrotorum numerum versari in periculo mortis Sacramentorum ope destitutos acceperunt. fructus eius profectionis valde magnus exstitit. nemo enim in frequenti admodum populo fuit, qui non confessionis sacramento expiarit animum. Infantes omnes baptizati sunt. Multi coniugij Sacramento copulati. sed, quod imprimis magnifaciendum fuit, illa profectio P. Rectorem Guaranica lingua, quae communis est orae totius, praedicatorem nobis reddidit. nam cum antea per occupationes eam plane addiscere non posset, vnus P. Barzana concionibus habendis, & confessionibus audiendis operam ponebat. ita viuidus senex, quamuis confectus aetate, tamen tanquam generosus equus praelia init, animo prorsus infracto. P. Rector Catechismo, quem Guaranica lingua conscriptum habent, rudes instruebat. Sed cum animaduertisset P. Barzana eum inter Catechismum locum aliquem subinde belle commodeq. pertractare: suadere instituit, vt breuem aliquam concionem conscriberet, quam memoria comprehensam, populo deinde explicaret. Risu ille quidem consilium initio excepit, cumq. acrius contenderet, adiecit animum ad ingenium periclitandum. quod tanta felicitate gessit, vt tum Hispani tum indigenae mirarentur omnes: animiq. illi adderentur ad idem studium vrgendum. & iam Deo grates agunt patres, quod ad huius gentis apostolatum à Deo iam factus esse videatur. id cum circa natalitia Apostolorum Petri, & Pauli con-

contigißet, ipso die Visitationis Virginis sacro non dubitauit confeßionibus Guaranica lingua audiendis se exponere; idq. tanta animi alacritate, & aßiduitate, vt nocturnis diuturna tempora coniungeret. ita duplicata opera factum est, non modo vt breuiore tempore omnes se confessione expiarent, sed etiam Christianae disciplinae praecepta commode tenerent; in domibus familiae, in vicis cateruae illa decantarent; ußq. vocibus per noctem loca omnia passim personarent. populi incredibili patres amore prosequũtur; in eosq. pro sua tenuitate omnia humanitatis conferunt officia. quam illorum benignitatem nostri rosarijs sacrisq. aliꝰ munusculis distribuendis compensare solent. Hinc ad populum alterum transierunt, eosdemq. illic nostrorum ministeriorum fructus tollegerunt. P. Rector maiorem iam nactus linguae facultatem, hic quoque quotidie maiore animo conciones habuit, nullo adhito iam adiumento commentariorum. Tantus omnium amor erga patres excitatus est, vt multi eos quocunque exirent, prosequerentur. cognouere demum triam dierum itinere alios abesse populos, in quibus magnus hominum numerus partim Baptismi voto cõcepto, expertes tamen Sacramenti: partim asperßione expiati, sine confessione morerentur. eum necessarij temporis articulum esse statuerunt; vt licet iter difficillimum, periculosumq. obÿceretur: ad opem tamen ferendam occurrendum foret. eo igitur destinauerant: sed grauibus de rebus P. Rector literis Assumptionem reuocatus, magno cum vtriusque maerore coactus est consilio supersedere.

MIS-

MISSIO QVARTA EX Vrbe Assumptione.

SED hae duae proxime breuiores; & propinquae fuere missiones: quarta & longinquior, & diuturnior, ad quam P. Ioannes Saloninus, cum P. Marcello Laurentiana exiuerunt. Duxentas forme leucas peragrarunt: semiannum in peregrinatione posuerunt: quo tempore populos multos obiuerunt, magno cum Christianae rei emolumento. quocunque venerunt, obuia gratulatione excepti sunt, cum timpanis reboantibus, fornicibus excitatis, triumphorum Romanorum more, ouario frondium vestitu, & terrae frugibus ornatis: obuiam longo tractu Caciquij primum Praefecti q. locorum praedibant: paulo post puerorum agmen praelata cruce Dominicâ orationem Hispanico sermone decantantiũ: ad extremum vniuersi sese effundebãt, aduentum gratulantes, sospitatem, faustoq. omnia precantes. Ingressi menia templum recta petebant, vniuersa prosequente multitudine. ibi cum aliquantisper supplicatum esset, patres populo paucis rationem suae peregrinationis, & sui ad ipsos aduentus exponebant: inde domos quisque suas repetebant; nostri ad hospitium deducebantur: illi interim non rogati cibaria in victum nostris submittebant, esculenta varij generis, gentis more praeparata: liba ex pulmentis commista (potatas Hispani vocant) ientaculo varijs decocta condimentis, alij maizam ferebant, farinam alij ad faciendum manducam, qui panis

est harum regionum. ea pinsitur ex arbusculae radice medicae altitudinis, denum pro se quisque, quantum pro sua tenuitate poterat, contendebat, maxime se praebere erga nouos hospites liberalem. Haec fuit ferme consuetudo populorum, quos adierunt. Nostrorum porro exercitationes, & labores idem, qui in missionibus esse olent, fuerunt. quotidie post solennem statamq. precationem, post diurnarum, nocturnarumq. horarum persolutam supplicationem, bini ad populum ipsorum linguae sermones habebantur, priar sub Missae sacrum, sub vesperam posterior. quotidie vterque Missae offerebat sacrificium. Inde primis diebus P. Salonius confessionibus audiendis dabat operam: Laurentiana pueros Ethnicosq. ad catechismum euocabat. paucis inde diebus, inducta iam consuetudine, negotium cogendae multitudinis, Christianae doctrinae alijs tradendae, peritioribus ex ipso populo dabatur. Laurentiana deinde se ad confessiones audiendas conferebat: vespere rursus catechismū explicabat, orationibus decantādis verba praeibat: hora ferme in ea exercitatione ponebatur. absoluto catechismo sermo iterum ad populum à P. Salonio habebatur: totum reliquum tempus audiendis confessionibus, à primo diluculo in multam noctem ponebatur. Confessiones, id quod fieri necesse est, vbi nulli nisi raro versentur Sacerdotes, generales fuere, aut vitae totius, aut certe plurium annorum. ad eas vero incredibili studio accurrebant; & cum de peccati grauitate admonerentur, intimis sensibus afficiebantur; magnoq. animi dolore patria locutione respondebant, se ad id tempus dies ignorasse: quod ipsorum phrasi, est nihil se scisse;

stisse; sed nunc admonitos in posterum diuinam offensionem vitaturos, aliquibus in locis tantus fuit feruor pœnitentium: vt nocte intempesta ad nostrum se hospitium conferrent; totumq; necessariae quietis tempus interturbarent. iussi ad templum se conferre, nostrosq; ibi Sacerdotes opperiri, dum modica quiete corpus leuaretur: paulo post, vt gens est humanae consuetudinis ignara, idem stolido feruore flagitantes, domum nostram repetebant: rursusq; moniti necessariam nobis concederent quietem; futurum alioqui, vt deficeremus; cum persuasi discederent, alij rursus importune superueniebant, idem eadem rustica sedulitate contendentes. ita saepe molestissima vigilia ea maior molestia redimenda fuit. Importuna quidem fuit imperitia: laudandus tamen amor pietatis, & stolida simplicitas naturae bonitati condonanda. Gratiae tamen imprimis diuinae agendae prouidentiae, quae tantum illorum animis ardorem excitauit. qui si quam idoneorum sacerdotum haberent opportunitatem, non dubium quin ingentes ex ijs colligerentur fructus pietatis. sed, vt laudandi qui his Euangelij lucem intulerunt; ita venia à Deo precanda ijs, qui pessimo publico tantam de bonis male suspicandi occasionem praebuerunt. Nam sola diuina virtute Christiana res in his locis adhuc stetit; ac tantum non ab ijs euersa est, à quibus sustentari debuit, & augeri. Et quidem cum alias saepe, tum hac maxime missione intellectum est, quantum inter pastores, & mercenarios interfit; atque inter eos qui sua quaerunt, & qui Iesu Christi gloriam. Nam primi illi populi, ad quos initio nostri venerunt, non sane fidenter ijs sese credebant, quorundum, & etiam

sacerdotum, qui ante nostros eam gentem adierunt, grauissimis iniurijs exterriti. ita ratio nostros eiusdem esse ingenij, trepidi ad osculandam manum accedebant viri feminaeque: perfunctiq; ea venerationis officio, magna festinatione pedem referebant. tum pueri qui circumstabant, suspenso gradu prompti ad fugam circumspicere: expectare in singula momenta, si quis derepente à nostris corriperetur. nostri (re cognita) maiorem se ad mansuetudinem; componere, blandaq; oratione omnem ex eorum animis metum abstergere; distribuere illis rosaria, piaculares globulos, acus, aciculas, pectines, aliaq; id genus xeniola, testes iucundae in eos beneuolentiae. denique omni comitatu genere eorum sibi animos adiungere, his rebus tandem victi, atque nostrorum perspecta innocentia, metum in beneuolentiam vertere: omnium maxime pueri, capti nostrorum lenitate, non poterant ab eorum consuetudine auelli, quin occasiones subinde quaeritabant, cum ipsis colloquendi. qua erat ijs transeundum, caeteruae se colligebant puerorum; cursimq; ad osculandum manum conferebant. estque relatu iucunda res, quae contigit P. Laurentianae, dum per aream quandam inambulans solitas percurreret precationes, ingens confluxit puerorum numerus, qui in singula spatia, (cum ad caput veniisset) ad eius osculandam manum accurrebant; idq; quoties rediret, multa festiuitate repetebant. lepida sane res, & molestia non iniucunda, rusticam simplicitatem syncerq; ingenuitatem spiritu diuinae caritatis contemplanti. Et quoniam de pueris sermonem ingressi sumus, pergam loco huic, quae reliqua sunt, attexere. Tanopere nostrorum fide, integritate, comi-

tate

sate pueri tenebantur, ut eos discedentes, atque populos alios adeuntes sequerentur: & nec parentum auctoritate, nec suasionibus nostrorum possent retineri, ita tribus interdum, quatuorue ex populis puerorum greges itinerum comites nostri sacerdotes habuerunt. eratq; negotium Caciquijs etiam pueris comitibus hospitium parare. resq; ad diuinam gloriam cecidit perbelle. Primum enim magno nobis erant adiumento ad rudes alios pueros exercendos; tum ad doctrinam Christianam, tum ad carmina per vias decantanda, & diuturna consuetudine assiduitateq; ita penitus Christianos mores imbibere, & tam firmiter catechismi explicationem sua lingua percepere; vt ex ijs boni catechistae ad suos populos mitterentur. neque fere vllus vicus fuit, in quem non idonei ex ijs remissi sint magistri. Et cum obita iam prouincia, elapso definito ijs tempore, nostri reditum pararent, eandem quoque peregrinationem cum ijs suscepere. ita non modo populorum primarij, sed etiam ipsi Caciquij liberos suos, quod ante maxime horrebant, nostris studiose committebant: eorumq; peregrinationis libenti animo comites addebant. Fuit inter pueros vnus insignis, pupillus ille quidem, sed Caciquio, Praefectoq; sui populi fratris filius, aliorumq. primariorum, & Caciquiorum propinquus. hunc P. Laurentiana catechismo instruxerat, & bapizarat; eiq; à S. Ioanne nomen dederat, quam Hispanica flexione Ioannicum nunc appellant. Hic nostrorum cognito discessu, statuit, & ipse illorum iter comitari. apparebat eius propinquos id aegre laturos. nostri puero blande satisfacere initio conati sunt; eumq; ab ea mente auocare. cum nihil proficerent, iusserunt eum quieto

animo esse in patria ; & ibi studiose pietatem colere ; nunquam omnino se passuros , vt secum iret , patruis inuitis , peteret ipse veniam, tunc se illius studio non defuturos . Refragati sunt pueri precibus propinqui . cumq; ne ille quidem sic quiesceret, & animum in sententia sua obfirmasset : nostri ne cuiuspiam animum offenderent, Caciquiorum praesertim ; adhibito puero , propinquos alloquuntur: statuisse se omnino puerum relinquere , ne quem eorum offenderent: & (quanta maxima possunt efficacia) puerum iterum monent , in potestate patruorum, aliorumq; suam regentium aetatem esse velit : posse ipsum in patria , & in suorum obedientia placere Deo ; &, quoniam optime teneret catechismum, agere magistrum aliorum inter suos. Puer magno animo Patrem intuitus , sensu prope virili : Quos tu mihi patruos . inquit, quos propinquos narras ? populares istos nescio . Cumq; illi interpellarent : An nos patruos tuos non agnoscis ? Nullos ego patruos, respondit: nullos propinquos, nisi hos sacros patres noui , qui me baptismo expiarunt , ad Dei cognitionem adduxerunt, & iter mihi aperiunt ad coelum : vos me in terra & in diaboli ditione vultis retinere . Haec aliaq; in hanc sententiam tanto spiritu , tantaq; mente prosequutus est, vt admirati tenerae aetatis constantiam propinqui ; repente , mutata voluntate , perhumaniter & magna cum voluptate illius voluntati acquieuerint . Ita cum aliis Caciquiorum filiis nostros Assumptionem vsque secutus est . &, cum ceteri eius comites bene mysteria edocti in patriam redierint , ipse à nostrorum consuetudine abire noluit ; atque ita probus cordaturq; successit, vt ei ianitoris manus in nostra domo demandarint .

Digitized by Google

rint. ac, si quando eius patrui, consanguineiq; nostros visendi causſa, illuc eunt: illorum deuitat congressus; & cum abeunt, eorum se aspectui subducit, abditq; in latibula, ne ab ijs in patriam inuitus retrahatur. Neque vero puerorum studio erga nos adulti grandesq. cessere: nam qui inter eos dignitate praestant, magna gratiae significatione, ac multis humanitatis officijs nostros prosequebantur, frequentes inuisebant, terrae munera mittebant, vicissimq. nostri ex ijs, quae mittebantur alios, à quibus ante salutati essent, remunerabant. quod illi sibi esse gratissimum magna animi significatione prae se ferebant: in primis vero nostros magni faciebant, & amabant, quod homines ab omni cupiditate alienos, nec quicquam sibi, nisi ipsorum, quos adibant quaerere salutem, longa iam consuetudine perspexerant. Scribit P. Laurentiana id sibi contigisse, cum in quodam populo homines ad concionem, catechismum, conuentusq. alios non ita frequentes conuenire existimaret, offensum se ea, quam putauit esse negligentiam, Caciquium, aliosq. populi primores ad se vocatos grauiter increpuisse, quod cum ipse relicta patria, amicis, rebusq. suapte natura homini carissimis, ex vsque transmarinis oris tam longinqua itinera, tanto cum labore susceperit, ipsi ex suis domibus ad Ecclesiam venire grauarentur, ad illa cognoscenda, quae sunt ad animi salutem necessaria, sed tanto seueriorem rationem tantae opportunitatis aeterno iudici reddituros, quanto minus excusabiles futuros. Subrisit Caciquius, miranti Patri, Neque te, inquit rideo, neque te offendere sane velim; cum te amemus, & parentis loco habeamus omnes, sed rideo errorem tuum, qui alienos nos es-

Digitized by Google

se à diuina lege arbitreris; nec frequentes conueniere, cum quotquot in hoc populo fuimus conuenimus. fatebor tamen vera: Ex primo die, quo huc appulistis, omnium in vos vestrumq. manus fuere, oculi comites; inuenere, si quid corrodendum, aut in vestrum emolumentum clam derivandum. sed, perspecta iam vestra innocentia, probitateq. qui nihil de nostris rebus auferatis, sed potius vestra nobis largiamini, liberos nostros instituatis, labores ingentes nostra causa suscipiatis; incredibile est, quanto vestri amore teneamur omnes: vt senes, matronaeq. iam futurum praedicent, vt omnes ad veri Dei veniant cognitionem; cum vere deos tandem magistros ab omni libertate cupiditate, multi simus. ita & qui in vpide, & qui in agro ad vnum omnes accurrerunt: ipsa montium nemora se se ad vos audiendos, & videndos effuderunt. Hos flores pulcherrimos, decorosq. vos appellat P. Laurentiana: obsitus tamen bene saepe spinis acutissimis. Proinde magna in Deum amore, magno ardore patientiae, magno succensos animorum Eelo esse oportere, qui huc se contulerunt. Quod si quis laeto tantum rerum euentu ad has peregrinationes obeundas, quasi ad laetas excitatur epulas, magno eum versari in errore. nam, praeter itinerum incommoda, periculaq. persaepe accidit, vt ex multis laboribus nulli fructus: quin etiam non raro hominum odia, insectationes, aliaeq; acerbissimae iniuriae referantur. his enim variis coloribus distinctam esse Christi crucem. Addit idem, videri sibi maiorem vim numinis quadam ratione nostrorum laboribus adesse, eorumq. conatus promouere, quam olim in primitiua Ecclesia factum esse nouimus: siquidem illa tempora magis strenuos habue-

Digitized by Google

habuere Euangelij praecones; & ea quae praedicabantur, miraculorum magnitudine confirmabantur: tum inter Christi discipulos erat cor vnũ, & anima vna; cum tamen hoc tempore nulla miracula cernantur, contraq. bella potius, seruitutem, ac crudeles iniurias hae miserae gentes patiantur; in ijsq. quos virtutum exemplo praelucere oporteret, Euangelices praedicatores magnorum scelerum exempla intueantur: quorum vero perspectam habent innocentiam, eorum vident nullo miraculorum testimonio doctrinam illustrari: & tamen ad diuina cognoscenda, & ad animi quaerendam meditinam simplici vnius ignoti hominis, ac peregrini tanto impetu animi concurrunt. vtique diuini spiritus afflatu fiunt omnia. Haec P. Laurentiana. Commendandi igitur summis precibus tam praeclari conatus Diuinae bonitati ne improborum iniuriae iter interrumpant Euangelio. Hic erat rerum status in Paraquarijs, & missionum cursus hactenus processerat; cum P. Ioannes Romerus Rector Assumptione obeundi muneris sui caussa discessit. Cal. Decembr. anni CIↃ IↃ XCV. vt domicilia, quae sunt in Tucumanibus inuiseret. eius discessum ciuitas acerbe tulit supra modum, quasi communi parente orbaretur. nauigio discessit secundo flumine Paraquario Paranam versus descendens. Discessere eodem comitatu balsae sex, genus est nauigij ex lignis pluribus compactum. Veram venere, quae vti supra demonstrauimus, est ad Paranam duabus leucis infra confluentia Paranaè, & Paraquarij. Assumptione socium fratrem Ioannem Aquilam, adiumento, & solatio illorum trium sacerdotum reliquit. is quartodecimo die, quam P. Rector discesserat, ex

hac vita vocatus est, magno cum illorum patrum maerore, qui & optimo fratre, & fructu quem ex eius consuetudine percepissent, uno tempore priuati sunt. eius mors iustorum morti, & vitae, quam summa caritate, atque humilitate per omne pietatis genus vixerat, similis fuit. eodemq. die, quo maiorem ex cruce Domini fructum boni sodales perciperent, columen eius exiguae familiae P. Barzana graui paralysi repente oppressus, omnes corporis sensus prorsus amisit, ita vt ad sex horas iacuerit exanimato similis. post sextam demum horam sensim ad se rediit, balbutiente lingua, vt quae diceret exprimere non posset: tenuitq. supor sex ipsos dies, cum P. Saloni litterae, quibus haec accepimus, datae sunt. quo tempore nihilo, aut non multo melius habebat. itaque spes de illius salute pertenuis ostendebatur; cum accederet ad morbi grauitatem aetatis imbecillitas. ita aerumnosa illa familia graui percussa calamitate in sola spe diuinae prouidentiae respirabit. Sed redeo ad P. Romerum. Veram cum venisset, ibi substitit quinque diebus, quotidie ad Hispanos, & indigenas sermonem habuit: reliquum tempus confessionibus audiendis insumpsit: etsi omnibus plane satisfacere minime potuit, comitibus diuturniorem moram non ferentibus; & ab iis digredi periculosum erat. solet enim ea nauigatio canois piratarum, ac praedonum esse infesta; coeuntq. saepe excipiendis nauigantibus ad quadraginta. & quamuis Pater aliquot haberet in suo comitatu fistulatores, quorum missilia ea gens formidat horribiliter: tamen quod in Balsa una duos haberet equos, qui eminus sagittis confici possent, (sunt enim indigenae sagittarij admodum exercitati,) noluit se periculo com-

committere. Itaque magno suo aliorumq. cum maerore discedere necesse habuit. Omnino haec itinera molestiarum, & incommodorum plena sunt: nam cum partim pedestria, partim nauigabilia sint, conducendi sunt operarij multi, qui balsas trahant. ad haec imponendi equi ad vsum terrestrium itinerum, tum aduersus latronum, & piratarum insidias adhibenda militum praesidia; cibaria praeterea in victum comportanda per regionem inhospitalem, & à commeatu imparatam. ad haec incommoda accessit molestissimus tota illa nauigatione Auster, qui aduersus vndarum fluxum exoriens alueum totum permiscebat. Tridui tandem nauigatione ipso die festo S. Thomae Sanctamfidem venit, exceptus summa gratulatione omnium. nam iamdudum magno nostrorum hominum tenebantur desiderio: domus ei percommoda tributa prope Coenobium Franciscanorum. Coepit magna eorum voluntate in eorum templo nostrae Societatis exercere ministeria. quotidie Christianam Doctrinam indigenis tradebat, & Hispanis. diebus festis binas habebat conciones ante, & pomeridiano tempore: puerorum tum Hispanorum, tum indigenarum supplicationem à Franciscanorum ad primarium templum traducebat. procedebant pueri indigenae ad quingentos, Hispaniq. plus minus septuaginta: inde repetita catechismi exercitatione indigenae accurate exercebantur: secundum indigenas Hispani pueri: tum sermo ad populum diem claudebat. Confessiones praeterea tum Hispanorum, tum indigenarum, & qui in Vrbe, & qui in agro circa vrbem habitant, excipiebat Guaranico Sermone, quem omnes ferme intelligunt, & loquuntur: licet ipsi suo proprio idiomate

mate vtantur. His muneribus exercendis, & hac ornanda Ciuitate quinque menses insumpsit. quo tempore morum magna facta mutatio est in omnium ordinum hominibus; vt à prima face ad tertiam noctis horam priuatorum domus carminibus Christianae Doctrinae personarent. Et quidem aliquot annis ante eodem venerat P. Leonardus Armenius Italus, domo Neapolitanus, vt ēs praeesset, qui tum ex Brasilia haec loca petebant. is primus Societatis nomen in hanc vrbem inuexit, qui vitae, & doctrinae exemplo magnam attulit vniuersae ciuitati vtilitatem: mirumq. studium omnium animis iniecit nostros homines reuocandi apud se. tanti refert quocunque venias, odorem diuini spiritus efflare. eius rei causa ciues locum valde commodum assignarunt, templumq. & aedes nostrorum habitationi se aedificaturos promiserunt. Nunc aduentu P. Romeri idem studium repetierunt: eaque de re Collegium Capitularis Ecclesiae perhonorifice scriptis litteris, & magna cum testificatione suae in Societatem observantiae, & famae de ipsa per eas gentes dissipatae, suiq. studij ab ingressu ad eos P. Armenij ad aduentum vsque P. Romeri omnium animis concepti ad P. Prouincialem ad vj. idus Maias anni CIↃ IↃ XCVj. *dederunt. quibus adscripsere viri primarij septem, qui publico dicundi iuris munere funguntur, quos Alcaldes, & Rectores vocant. sedes erit multis nominibus opportuna, quod & ipsa per se ciuitas est satis frequens, & inde commodus Assumptione Traiectus in Tucumanes, aliasq. gentes permultas, quae subinde aperiuntur Euangelio. Rebus ita compositis discessit P. Rector Sancta fide, pedestriq. & incommodo itinere S. Iacobum*

volum ad Exsterrum peruenit. eo patres omnes Tucumanum ad solemnes conuentus renouandi studia pietatis, votuq. iterandi euocauit.

TVCVMANES.

HACTENVS de Paraquarijs. In Tucumanibus versati sunt sacerdotes quinque & vt putamus non minore cum fructu; sed ad magis ex strenuarum operarum virtute & industria conijcere, quam ex eorum litteris cognoscere potuimus, cum perlatae prorsus nullae sint: vnae aut alterae tantum P. Petri Annascij, & eae quidem perbreues venere. Ex quibus cognitum est, ipsum cum Patre Gaspare Monroyo, in vallibus Sultae, & Xuxuiae Tucumanum ora Peruuio proxima, diu versatos, omnes eas circa regiones Christianam doctrinam, & sacramenta circumferentes excurrisse. P. Monroyum grauem in morbum incidisse; quo vehementer diutius anno conflictatum, medicorum, curationumq. & rerum omnium opportunitate destiturum, magnam sibi patientiae, alteri caritatis exercendae fuisse occasionem. quo tempore Xuxuiae subsistere ijs necesse fuit. Decreta erat missio ad populos, quos Omoguacas nominant: sed fluminum alluuione agris vndique stagnantibus, aditus ad eos intercluſus. accessit ad hoc incommodum & P. Monroyi morbum, sociorum paucitas: vt neque qui ad aegrotum iuuandum relinqueretur, neque qui comes esset itineris Annascio suppeteret. Interim Viltipocus praepotens quidam Caciquius, & totius prouinciae Omoguacanum late Princeps viuendi finem fecit, magna Dei miseratione mortis genus sortitus, quod

vnis

vnis immaculati agni Christi meritis tribuendum est, nam saepius extremo tempore magno cum animi sensu, & ante actae vitae paenitudine peccata confessus est: & è nostris sacerdotibus alter ad extremum vsque spiritum illi affuit. & sane is multum ante sua auctoritate rem Christianam promouerat: nostros, nostramq. doctrinam apud populares commendando, omnibusq. honoris, & beneuolentiae officijs prosequendo. quod in viro summae grauitatis, & maximae apud suos existimationis valde magnum fuit. Post Viltipoci mortem Caciquius alius ex interiore regione pertractus est, non minoris famae, vt aiunt, & existimationis, quam Viltipocus. hic quoque cum duobus ex ea gente ferocissimis catechismo instructi magna voluntate, & animi fructu; apparatu pro copia magnifico, & festa gratulatione tormentorum baptizati sunt, ipso Praefecto eos è sacro fonte suscipiente. hos sua sponte ex interioribus item finibus sequutus est alius Caciquius cum aliquot è suis popularibus, qui etiam post idoneam institutionem baptismo expiati sunt. Denique per eos dies septuaginta circiter adulti sacro fonte abluti: spesq. erat plures in dies ad Christi gregem accessuros. Inter haec cum iam P. Monroyi morbus remisisset, ineunte anno CIↃ IↃ XCVJ. Xuxuia Saltam, vbi eorum stata sedes est, eo consilio rediere, vt ibi Quadragesimam exigerent. In reditu cum propter P. Monroyi infirmitatem itineris contentionem ferre non possent, necesse habuere non modo lente progredi, sed etiam in singulis populis subsistere: vbi commode nostrae Societatis ministeria exercuere; multos catechismo instruxerunt; multos sacro baptismo abluerunt, ac, praeter pueros,

ros, triginta adultos sacris vndis expiarunt. in quibus plus decem senes fuere, tam grandi aetate, vt mors ijs abstinuisse videatur, tantum vt baptismi compotes efficerentur. Diuinae bonitati grates, quae ex tam horridis syluis etiam sibi suos deligit, quos è sathanae faucibus eripiat. Multorum excepere confessiones, tum aegrotorum, & quorundam in ipso mortis confinio versantium; tum validorum, & multorum, qui nunquam ante ob paucitatem sacerdotum confessi erant. Interim felicem rerum cursum malitia inferni hostis non leui detrimento interturbauit. Caciquius vnus ex ijs, qui iam pridem venerant ad fidem, pertaesus seruitutis, & onerum à Praefecto Prouinciae impositorum, Caciquium illum, quem Viltipoco parem esse diximus, sollicitare instituit, vt Hispanorum imperio relicto ad interiora regionis se reciperent. homini nondum in noua religione satis firmo proposita spe libertatis, non difficile fuit rem suapte natura apprime gratam persuadere. itaque, re probata, consilium quam maxime acceleranr. erat veteri illi Caciquio filius duodeuiginti circiter annorum nomine Philippus. hunc pater, quo erat in filium amore, in consilij vocare instituit societatem. Ergo eum magnis pollicitationibus inuitat ad defectionem. adolescens, qui, vt est sincerae captus aetatis, & nulla maiore labe inquinatae, Christianae pietatis studium alte admodum imbiberat; donaq. multa in eius animum diuina gratia infuderat, acerrimae voluntati Patris aduersatus, eum à tam audaci facinore auertere conatus est; eaq. patri suadere coepit, quibus meliora opportunioraue multae prudentiae, & magnae santitimoniae vir dicere non haberet. at

extre-

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

diendis, & sermonibus ad populum habendis. de eorum laborum fructu copiose ad P. Provincialem litteras dederunt, sed eae una cum alijs, seu culpa earum quibus datae sunt, seu qui illas intercipiunt, explorandi caussa, si quid contra se scribatur, interciderunt. In Vrbe S. Iacobo ad Exterrum, quae Tucumanum caput est, P. Angulus, & P. Petrus Biuara Hispanis, & indigenis iuuandis occupabantur. ac ne horum quidem vllae litterae perlatae sunt. Huc mense Iunio peruenit P. Romerus Rector: eoq. vti supra dictum est, Patres omnes, qui Tucumanes excurrebant, euocauit. qui cum venissent bifariam diuisi, sua vtraque pars hebdomada in secretum sese nostrarum commentationum recepere. Votis ipso Apostolorum Petri, & Pauli die repetitis, dulces mutuae caritatis fructus ex communi quindecim dierum consuetudine conuictuq. post diuturnam peregrinationem solitudinemq. sacerdotes sex, instar sex magnorum collegiorum perceperunt. Qui, breui spatio elapso, à dulcibus inuicem complexibus in suas quisque quasi prouincias discesserunt. P. Angulus ad suum munus obeundum (est enim in his locis cum publica Commissarij in causis fidei potestate) occupationem bene operosam. P. Petrus Annascius cum P. Biuara ad populos Christianae religionis valde rudes; id rogatu huius Prouinciae Praefecti, viri de nobis omnibus optime meriti, & qui nunquam desinit sua in nos quotidie cumulare beneficia. is etiam de fructu, & vtilitate, quam his terris affert Societas ad P. Prouincialem, ad P. N. Generalem, atque adeo ad ipsum Regem litteras dedit. Spes est ipsius opera ex nostrorum laboribus ingentes fructus in ea gente, quae est huic missioni destina-

ta,

ta, reportatum uri. P. Mauricius, & P. Viana in S. Lucæ maxuris erant, ubi spera ūs cum Hispanis: & insignis abunde superabit. P. Rēus frater uno Comite in Valles Saltae, & Xaxuae ad iam aiultas excolendas segetes profectus est. Haec ae Tucumanibus, & Paraquarijs.

MISSIO ET RESIDENTIA S. Crucis in Montanis.

SVPEREST missio, & sedes S. Crucis in Montanis. Hic nouem occupantur sacerdotes, de quibus illa fere dici possunt, quae veram faciunt P. Laurentianae monitionem: esse in haec loca venientibus vnam Domini Crucem intuēdam. Et vero nomen à rebus non dissenit. hi enim dum Sanctam Crucem incolunt, veram in se Christi Crucem patiuntur, laborum, aerumnarum, & periculorum plus satis: laetitia ex fructu pene nulla, atque hi saepe, licet optandi non sint, seriores tamē tutiores q. esse solent fructus Crucis. diuina vtique laudanda prouidentia, quae sapientissimo consilio alumnorum suorum studia, labores hac mercedis varietate iustissima trutina compensat. Etsi, quid apud eas gentes omnino actum sit ignoramus, conijcere q. ducimur ad messem solito maiorem exspectandam. quam spem nobis faciunt tum operarum peritia, & vsus; tum maior, quam antea variarum linguarum cognitio & facultas. nam cum multae gentes circa sint, suo quaeque idiomate vtentes, patres non linguam vnam omnes, sed diuersi diuersas ex ijs, quae maiore sunt in vsu, didicere: partitiq. inter se prouincias, ad suam

quisque

quisque gentem, cuius linguam nouit, tuendam excolendamq. discurrunt. Quid in tam disiectis dissipatisq. regionibus profecerint, nullae hoc anno litterae significarunt. Huius rei caussa est infrequentia itinerum & magnae ac diuturnae fluminum inundationes, aquarum reflagnationes, & loca interiecta armis hostium infesta. Rursus tantum incommodorum plena P. Didaci Samaniagi litteris cognita sunt, ex vrbe S. Laurentio Cal. Aprilis datis hoc anno, & P. Andonij. Chriguanes, qui horum montium latera tenent, ad quos inuisendos tentandosq. superiore anno P. Didacus profectus erat, sese hoc anno Hispano nomini hostes professos esse: multis quamuis à Praefecto eius prouinciae beneficijs affectos; cum debellatis vxores, & filios bello captos gratis remisisset. hi tamen magnis coactis copijs vrbem S. Laurentium nocte, quae inter Sabbathum, & Sanctum Paschae diem intercedit, adoriri, ferroq. & flammis omnia vastare constituerant, rati hominibus religione occupatis vrbem imparatam nudamq. defensoribus se facili negotio oppressuros. Sane ingentem apparatum comportabant; vt direpta vrbe, & incensa, quod incendio superfuisset, machinis euerterent. tantaq. fuit Barbaris fiducia, vt magnam vim funium attulerint, ad Christianos captiuos vinciendos. sed furiosum imbellium hostium consilium, nihil minus nostris cogitantibus, diuina prouidentia disiecit. Et est operae pretium barbaras stultitiam, leuitatemq. cognoscere. Gens est omnium stultissime dedita superstitionibus, sacrisq. cerimonijs multum delectatur. Crucem in magna veneratione habent, Christo licet Crucifi-

xo minus impendant cultum. desinam tamen in salutifero ligno vim esse sentiunt; praesentiq. eius opem saepe experiuntur. idcirco eam, & in suos annos intruxerunt, & cum iter faciunt, etiam extra suos fines eam manu gestant. quod ii, qui Potosi versantur, gestare potuere, cum spi sanctum nequissimum cani, aut in eorum fines venerit, aut illi Potosium se conferunt. ita, quamuis neque vitae, neque sanctitatis in aliquem tamen inferarum potestatem crucianum dominicae crucis gloria ostendit. Cum nactarum diuinae providentiae vestem fuerit, hae imagines umbrae huic aliquid proferent in lucem. Creauit nostri eos ex Paraguarios hanc religionem habere; à quibus Christianae sunt profecti; multas de Christiana religione acceperant, quarum inceptam ac ridiculam imitationem fecere. nam multis cercopitheci, ex eis quae de Christianis mutuauerant, spū quoque sibi sanctum compagem fecerant, Cardinalesq. illi attribuerant; qui indulgentias communicabat; &, quasi tota res esset in nominibus, globulos etiam precatorios ad expiationem animorum bardus ille papa conferebat. Sane contra talem Ecclesiam quilibet, vel inimicus sine piaculo Caluinus esse posset. Et haec paucis annis ante, non per risum, sed seme stultiae pecudes; sed serio & stolida persuasione eam rem sibi esse salutarem fecerant. Sed à Provinciae Praefecto pro dignitate ea religionis contumelia punita est: feliciore omnino conatu, quam recentis sectariorum conspiratione, umbratilem illum sustulit Papatum. Nam ventosum Papam cum suarum Cardinalibus comprehensos è furca suspendi iussit omnes. Hac stulta religionis imi-

tatione

tatione facellum in castris adornarant : in eo crucem venerabantur ; orabantq. sibi victoriam daret è Christianis (vide caliginem religionis, & ingenij stuporem) pridieq; quam vrbem adoriri constituerant, vt postea è captiuis cognitum est, maleficus magnae apud eos auctoritatis, cum ad eam in precibus fuisset, narrauit sibi Deum esse visum, qui diceret, ipsos postero die victum iri : sed tamen sine detrimento. Perculit ea denunciatio multorum animos; itaq. à belli consilio auerterat; vt nisi vnus è Caciquijs eis animos addidisset, è vestigio, re prorsus intentata, redijssent. sed illius oratione confirmati, rem vti conuenerat, proxima nocte exsequi constituunt. neque prorsus inconsulte omnia fecerunt. siquidem cum semileucae spatio copias ad vrbem promouissent, militem in equo praemisere, qui rerum statum exploraret. ea res saluti fuit. nam ad vrbem accedentem sensere canes : quorum latratu aliqui exciti, eo se conferunt: scisciantur, quid hominis sit, & quid id noctis sibi quaerat. Cumque ex Barbari trepidatione, & inconstantia sermonis, doli subesse aliquid animaduerterent; hominem conantur retinere: ille equi celeritate ex eorum manibus elapsus, redijt ad suos, retulitq. sua consilia iam ab hostibus teneri. Tanta tum Barbaris diuinitus iniecta trepidatio, vt totis castris, nullo dum hoste apparente, fuga fieret turpissima; neque prius subsisterent, quam septem progressi leucas tutiora iam tenerent : multis in fuga ex ijs, quae tulerant, relictis. eos aliqui è nostris persequuti, cum ad montium fauces venissent, sequi destiterunt, captis aliquibus, qui in fuga fuere segniores. In vacuis castris cum alia inuenerunt,

tum sacellum adhuc integrum, ac perpetuum, cum cruce, ad quam supplicauerant, pulcre fortibus contectum deprehendi. His finis terræ tractus Barbarorum. Viginti circiter diebus exactis P. Didacus ad gentem quandam se contulerat, qui Tamacocies dicuntur; vt eos ad Christi fidem imitaretur. sed quod parum pacati viderentur, baptismum iis credere eius non est. paucos tantum infantes aliosq. periculoso morbo aegrotantes baptizauit. Patres ceteros, qui in eo tractu versantur, bene habere audisse se significauit: sed ab iis iamdudum litteras nullas accepisse, aquis vbique late restagnantibus, & itineribus ab hoste occupatis. Haec ex vrbe S. Laurentii, quae vna est ex tribus praecipuis eius ditionis, cognita sunt. Ex ipsa vrbe S. Cruce superiore anno P. Hieronimus Audienius cum ingenti colonia, quae in interiora regionis deducebatur, profectus erat. is post longam aerumnosamq. peregrinationem, per ost multos itinerum, exundationum, inediae, famis, saeue etiam graßantis luis, toleratos labores, & incommoda; post nouas opulentasq; & vt locorum capius est, etiam cultas nationes inuentas, magno suo cum moerore, vnde discesserat, coloniam reducere coactus est; magna ipe frustratus infinitam multitudinem Euangelio aperiendi. hoc vno solatio sustentatus, futurum, vt in insequentem annum eadem colonia iterum diligentiore apparatu, ac meliore euentu deducatur.

Haec de illo tractu, atque omnino de vna, & viginti Prouincijs cognita sunt. magno fane volumine, ac maiore fortasse quam opus fuit comprehen-

prehensa. id eo feci, quod data mihi libertate omnia persequendi, quae prouincialibus litteris scribuntur, arbitrij mei, quae eligenda, quae reijcienda forent, esse nolui. qua in re, dum singulis obsequutus sum, vereor maxime ne omnibus molestus fuerim. Sua enim quisque vel minutissima audit libenti, & libentiore etiam animo alijs narrari patitur; nec perinde ijs taedio afficitur, atque alienis. Et vero singulis annis eundem concionum numerum, eandemq. frequentiam referre, non gratam legenti affert oblectationem. Tum Doctrinae Christianae pueros per vrbem circumductos, quadraginta horarum supplicationes celebratas, aditos carceres, ac nosocomia, morientibus operam praestitam, haec aliaq. similia commemorare, nisi res aliquam habeat aut nouitatem, aut admirationem, inanis est, & superuacua; cum haec iam Dei beneficio, quotidiana sint, & vsu trita. Sed detur hoc vel imperitiae, vel insolentiae meae, vt quo primo anno haec scribere aggressus sum, vetustissima quaeque, & notissima, noua, & non ante scripta esse iudicauerim. Insequentes anni, si opus erit, luxuriantes harum narrationum ramos amputabunt, ne vltra modum epistolae volumina excrescant. Diligentia in rebus perpoliendis persaepe desiderabitur; quippe non eadem potuit omnibus adhiberi. alleuat culpam temporis breuitas, & operis longitudo. Quae licet excusatio alijs in rebus vitio non careat: necessitas tamen omnium legum violatrix, eam iusta reprehensione liberabit. Nam quo vestrae omnium exspectationi, imprimis vero Patrum nostrorum studiosae voluntati satisfieret, fuit tam longa scriptio ita festinanda, vt intra

cessit ad incommoda tempestatis, etiam iniqui pondus oneris, quo tam immaniter oneraria grauabatur, vt aegre eam vela molirentur. Incommodiore adhuc tempore oneraria altera, cui à S. Hieronimo est nomen, mense iam elapso à prioris profectione discessit. sed cum haec imbecillior, & periculosior putaretur, quippe magis intempestiue ad nauigandum mari discedebat, nullae ei nostrorum nisi vnae litterae commissae sunt, & illae per breues, de quibus fit mentio in Mexicanis; quibus de nostrorum Manilam *aduentu, qui ex Hispania in supplementum missi erant, & de obitu P. Antonij Sedenniy* Proprouincialis *scribebatur. litterae, quae plenam rerum aliarum cognitionem continebant,* Rostratae *S. Philippi commissae erant, vt etiam in* Mexicanis *litteris perscripsimus. sed futuri prorsus improuidae sunt hominum mentes. nam haec posterior, etsi magnis difficultatibus conflictata, portum tenuit: quae autem validior & firmior putabatur, vi tempestatis est in diuersum auecta. nam tertio à discessu mense in Iaponium mare delata, feda coorta tempestate, magnum adijt naufragij discrimen; ac parum abfuit, quin armamentis nudaretur omnibus, tã atrox fuit ingruentium ventorum procella: vt vehemens decumanus impetu in onerariam illisus, ex ea quatuordecim homines eiecerit, è quibus septem tantum apprehensis tenacissime rudentibus, seruati sunt. hoc aegre periculo perfuncti, iterum, & tertio eadem maris asperitate iactati Iaponem tandem tenuere. ibi à Iaponiorum tyranno nauigio adempto, & mercibus, & vita spoliati sunt. Sed haec fusius Iaponiorum litteris narrantur, eo qui insequutus est anno, exeunte mense Iunio de*

ijsdem

Digitized by Google

ijsdem rebus litterae datae sunt, quibus res anni huius saeculi XCV. & XCVj. continentur, quo tempore in Prouinciae formam hae Insulae redactae sunt. quanquam nondum plane Prouinciae nomen illis datum est, sed Praeses tantum Proprouincialis nomine praepositus. Habuit igitur haec quasi prouincia de Societate homines quadraginta tres, sacerdotes viginti duos, ex ijs quinque solenni votorum quatuor professione insignitos, tredecim domesticae operae administros, nouicios octo, qui in Manilano collegio instituebantur. Hi collegium vnum, & vndecim tenebant residentias. Sacerdos praeterea, fratre vno comite in Mindanaum clarissimam in ijs oris insulam profectus, ibi missionis nomine versabatur. His postea superuenere, quos paulo ante significauimus Manilam attigisse, sacerdotes quindecim, fratres tres. de eorum itinere, & laboribus, Mexicanis litteris perscriptum est. sed horum accessu varijs in locis Societatis domicilia constituta sunt. Omnes dei beneficio commoda vsi valetudine. neque fere in his terris morbi paulo grauiores sentiuntur, tanta regionis totius est salubritas. vnus P. Sedennius Proprouincialis, quod parum labori, parum aetati parceret, vitam per omnia dura exercitam, non tam morbo, quam laboribus, & multa incommodorum perpessione confecit. vir de re christiana cum primis meritus; & qui, post multos in transmarinis prouincijs exhaustos labores, primus de Societate ad Philippinas nauigarat. quibus in locis tanto cum fructu, & virtutum exemplo versatus est; vt quemadmodum Xauerius Indorum, & Iaponiorum, ita is Philippinarum Apostolus quodam modo nominari possit. & sane apparet ad harum gentium

tium vtilitatem à diuina prouidentia fuisse destinatum. nam cum in Italia veuisset ad Societatem, magnaq. cum laude Laureti, ac Romae versatus esset, specimenq. egregium magnae ad regendum prudentiae dedisset, à P. Francisco Borgia Praeposito tum generali destinatus est in Iaponem: sed excluſus opportunitate nauigandi, data optione vtram vellet, Peruiuiumne, an Floridam insulam petere: Floridam, vt incommodorum, & aerumnarum feraciorem, sibi delegit. hic aliquandiu cum P. Baptista Secura laborioſiſſime vixit. eo martirij corona donato, noſtris, qui ibi verſabantur, inſumma rerum inopia, & laborum abundantia, praefuit, vt vere, quod auebat vberrime Crucis fructibus ſatiaretur. Victum infelicem bacchas, lapidoſaq. corna dabant rami: & ſi quid humus, ipſorum manibus conſita, ferebat. Hac victus tenuitate vtcunque ſuſtentatus ingenti laborum ſegete recreabat animum; inſulanos adiens, eorum tuguria, ſeu potius latibula ferarum ſubiens, eos Chriſtianis myſterijs imbuebat. Super haec quotidie metus, fugae, pericula ingentia ab hoſtibus, à Gallis circumnauigantibus, ab indigenis inimicis. ſaepe actidit vt in fuga graui aeſtu febrium abiectus commouere ſe non poſſet, & iam infeſtus hoſtis immineret, liberaretur, nec ſciret ipſe, qua ratione euaſiſſet: numine haud dubie famulum ſuum protegente: vt vere illud cum Apoſtolo vſurpare poſſet: In itineribus ſaepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis in mari, in labore, & aerumna, in vigilijs multis: in fame, & ſiti; in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate. E Florida poſtmodum in nouam ſe tranſtulit Hiſpaniam, primuſq. de Societate eam regionem

Digitized by Google

gionem adijt, cuius vitae sanctimonia eius Prouinciae Praeses, qui Proregis nomine honoratur, ita captus est; vt in Vrbe Mexico collegium Societati constitueretur, cui aliquot annis ipse praefuit. inde ad Philippinas cum P. Alfonso Sancio, ac duobus fratribus nauigauit. In itinere eum virtutum odorem emisere, vt si vel modo supra tabulata nauis eorum vnus appareret, quod raro contingebat, omnes tum vectores, tum nautae se ad modestiam componerent. In victum nihil omnino praeter nauticum diarium vnquam acceperunt. Ceterum tanta rerum omnium penuria, vt cum Manilam venissent, praeter paucos libros, atque apparatum Missae, ne pallia quidem retinerent, quod ea marinis aspersa fluctibus putruissent. Hic quoque noua incommodorum, & penuriae materies oblata. Nam solus cum fratre relictus, aliquandiu in angusta & incommoda Manilani ciuis domo, maleq. à pluuijs defensa habitauit. Hic praeter tenuitatem victus, qui non modo vulgaris, & intra frugalitatis modum, sed etiam tam fuit exiguus, vt miraculo esset, eo posse humana corpora sustentari, perpetuos concionum & confessionum labores infracto prorsus animo tolerabat. praeter haec corpus ieiunijs & vigilijs, ciliciorum, cathenarum, flagellorumq. asperitate atterebat. Et licet angustioris esset animae, & asmate persaepe laboraret, vt maximam anni partem eius morbi periculo ad somnum decumbere non posset: nihil tamen de indicta sibi seueritate remisit vnquam. ac, si quando minus commode haberet, adduci nunquam potuit, vt exquisitiores cibos adhiberet; omnia valetudinis incommoda inedia curare solitus. Constituto iam collegio & inducta disciplina, nihil

hil vnquam neque in victu, neque in cultu aut praecipuum admisit, aut commune recusauit. Refectorium ita frequentauit, vt omni singulari specie amota cum communibus cibis vteretur, omnibus tamen insigne praeberet exemplum continentiae. ita enim vescebatur omnibus, vt in omnibus tamen genium sibi suum defraudaret: vt neque in ipso fructu rerum religiosae abstinentiae fructu priuaretur. & haec omnia admirabili artificio ab ipso prudentiaq. tegebantur. Eratq. illud eius animo infixum, & ipsius quasi axioma: Oportere eum, qui ad spiritualem vitam contendit, sibi persuadere nihil sibi exquisitum habendum, aut lautum, neque in cibo, potuq. neque in veste, ceteroue cultu, neque in otio, functioneue vlla. Et cum tam rigidam sibi viuendi rationem praescripsisset, tanta tamen fuit aequitate, & prudentia; vt non alios eiusdem seueritatis amatores esse vellet; sed vnumquemque eam tenere viam, ad quam diuino ductu ageretur. Elucebant in eo cum ceterae virtutes, tum summa integritas, & vitae tanta aequabilitas, vt qui cum eo vixerint, nunquam multorum annorum spatio, quidquam in eo deprehenderint, quod vel leuissimam culpam redoleret. ad haec duabus illis maxime virtutibus enituit, quae in ijs, qui praesunt praecipue laudantur: erga eos, quos regebat, lenitate admiranda, & animo à regendi munere prorsus alieno. illud singularis caritas, qua omnes in Christi visceribus complectebatur; hoc crebrae eius litterae testabantur, quibus P. N. lacessiuit vt ab eo munere amoueretur; saepeq. illa eius vox audita, cum diceret: illud vnum iam pridem habere se in votis, biennio saltem dulcedinem priuatae vitae degustare; &

parent-

parendi, non imperandi cura cogitationeq. occupari. Neque in Societate solum illius fuit virtus, & prudentia frugifera; sed consilium quoque, & industria ad remp. se protulit. Nihil maiorum rerum illo inconsulto gerebatur: ad belli consilia, expeditionum, munitionum vrbium, adhibebatur: feliciq. omnino ingenio fuit ad commune bonum. nam lapidibus, ac cementis aedificia exstruendi princeps ipse artem in his oris demonstrauit; cum antea ex materiatione tantum strueretur. rationem coquendae calcis indicauit: primam ipse suis manibus tegulam finxit. Ecclesias plures aedificauit. Consuluit praeterea alia ratione insulanorum pauperibus, vt serica pectere, vellera, eaq. in fila deducere docerentur. vt pecunia, quae eius mercis caussa quotannis exportabatur in Sinas, in pauperes huius orae verteretur. eiusq. rei caussa mororum plantaria instituenda, bombycum sementem importandam, textrinas struendas curauerat: & haec tanta cum facilitate gesserat, nihil vt de suis functionibus, nihil de spiritalibus detraheret exercitationibus. tam alte insederat animo proximos iuuandi studium, & par studio industria. Per hos labores, vtilesq. occupationes, multos iam annos in his terris exegerat; cum anno CIↃ IↃ XCV. N. P. decreto, vt hae insulae instar essent prouinciae, constitutum est. Et Sedennius huius quasi prouinciae Proprouincialis declaratus. Quod ille munus eo scilicet animo suscepit, quo suscipi par est ab homine obedientiae amantissimo. Quare, nouo pietatis studio suscepto, dum ad prouinciam strenue obeundam se parat attentius, ex nouo concepto impetu obediendi, interitus illi occasio enascitur. Erat illi re-

li rerum constituendarum causſa in earum insularum vnam, quas Pintatorum prouintiam appellant, nauigandum: tantumq. fuit obedientiae studium; vt, dissuadentibus omnibus, aduersa admodum tempestate discesserit, in itinere tam saeua procella iactati sunt; vt, qui Pater illi Comes erat, scripserit, se ex Hispania venientem, neque Oceano Athlantico, neque Xurio tantam vim tempestatis pertulisse: neque tam imminens naufragij periculum adijsse, quantum vna illa nes longissima nauigatione adiuit. xi. tandem Kalend. Augusti ipso die Magdalenae sacro in portum euaserunt; cum extremo mense Iunio Manila discessissent, fratre, qui illis comitabatur, prope iam exanimi. Pater, quod non satis veste instructus conscendisset, ex itineris asperitate multa passus incommoda, afflicta valetudine exscendit, fractusq. ac male affectus, duas habuit ad populum concionnes. inde vehemens febrium horror afflixit hominem: neque illi vt firma olim aetate robur ad reluctandum morbo suppetebat, & medicis regio carebat. itaq. ea curatio adhibita, quae ab hominibus id genus artium expertibus adhiberi potuit, quare glisscente in dies vi morbi, iussit se in nostram domum, quae tum primum instructa erat, transferri. nam adhuc in conductis aedibus nostri habebant. Kalendis igitur Septembribus, cum patres fratresq. omnes ad se vocatos ad officium cohortatus esset, venia & precibus eorum flagitatis animam Deo reddidit. voluit etiam vltimo illo tempore humilitatis fructus deguſtare. nam extrema illa oratione, cum in eum sermonem ingressus esset, suas vt culpas detegeret, humilitatis quidem suae meritum est consequutus; sed reuerentia, &

pre-

Digitized by Google

precibus suorum prohibitus, sermonem omisit. Qui cum viuens egregium virtutum omnium exemplar fuisset, in morbo, & in morte illustria patientiae, & pietatis documenta dedit. Haec ex multis, quae de illo Manilani scripsere in hanc summam contraxi; & ne modum excederem epistolae; & vt haberent, qui ad haec vocantur, vnde peterent exempla. fuit illud etiam obseruatione dignum post mortem, ipsius corpori, & ori coloris, & vultus dignitatem accessisse, vt non sine pia iucunditate illius faciem intuerentur; membra porro ad vsque sepulturae tempus sine vllo rigore tam mollia tractabiliaq. fuisse, quam si bene validus adhuc viueret. Elatus est totius concursu ciuitatis. Eius rei nuncius Manilam perlatus communi totius ciuitatis luctu exceptus est; non secus, ac si communis omnium parens obijsset. illaq. praecipue res moerorem auxit, quod cum tam multos annos Manilae exegisset; eam sibi legisse profectionem videretur, vt locum sepulturae sibi quaereret extra huius ciuitatis fines. Ei funus Manilae quoque totius ciuitatis frequentia celebratum est. rem sua praesentia cohonestantibus, tum Ecclesiasticis, tum laicis magistratibus. affuere religiosarum familiarum sacerdotes: sacras cerimonias Capitularis Ecclesiae Clericis exequentibus. Dictae ab vno è nostris in concione eius laudes ea modestia, & cura, quam pius concionis fauor postulauit. Ceterum quod ad spiritualem nostrorum attinet militiam, si vsquam alibi, in his maxime finibus ingens omnino campus eorum pijs votis aperitur, qui diuinae legis promulgandae, & multos pro Christo labores tolerandi studio tenentur. neque postquam Oceani nauigationes tractare coepimus, ma-

ior

ur rerum Christianae rei promovendae sese ob-
tulit occasio. non enim unam aut alteram gentem.
sed ferme prope alium ad immensas quatuor par-
tes orbis terrarum locis addendum aperuimus.
Ingens ea rerum numerus bene magnarum, &
frequentium: tanta amplitudine earum multae,
sunt, ut non modo cum iis, quae Europae adia-
cent, & magna regna continent, sed cum quibus-
libet latissimis nostri orbis provinciis conferri pos-
sint. numerus earum unius non est, neque omnium
adhuc compertus magnitudo: sed totum, quo conti-
nentur, amplitudine Europae totius dicunt aequare
magnitudinem: sed videtur latioribus adhuc finibus
aperire magna ex parte negotiatio animorum.
De iis, partim ipse adeundo, pleraque scisciteando
ex Hebraeis, & indagine, multa cognoverat P.
Ioannes à Campo, qui ut sui loco dicetur, docu-
lorum erat; eaq; diligenter collecta, redegerat in
Commentarium; & Romam ad R.P. Praepositum
Generalem miserat; qui cum alios litteris re-
vocasset S. Pontius, de ea dictum est, interiit.
Ita ne tum quidem ceteris, hoc quoque non contem-
nendis rerum accessit. sed quae ex Maximi
litteris cognovimus, summatim proponam,
Nec vero est mirandum earum regionum, aut ea
omnium vel. notae, vel penitus earum ignorari, ut
Indiae, ac Sinae: sed cum commercium suis ha-
beat omnibus, & proprie nomine certo censeat: pa-
ret tamen ex eadem vicinis suae, in quarum ma-
gnitudine conjecturam nationem: eadem incipa,
quae hic vere compertae sunt, cognitae; cognos-
cat. quae est vicinitatis ratio numeris. cognoscit.
cognosci videtur. Deus earum oblivisci potu-
erimus affectus, quosdam enim Lazarum,

subitas

insulas appellant, in queis videtur Manila numerari: alias à coloribus, quos corporibus allinunt. Hispanico vocabulo appellant Pintatorum. *Aliae multae, ac peramplae supersunt adeundae, quae scilicet operarum paucitate Euangelij praeconibus destituuntur. vt sacerdotem vnum è nostris in tam ampla Domini messe non collegij vnius; sed Prouinciae bene magnae instar esse opus sit. Harum multae iam pridem in potestatem venere: aliae amicitiae, & mercimonij federe coniunctae. Sed in ijs, quae in regia sunt potestate, vrbes multae, amplaeq. ditiones, diuersis nobilibus Hispanis, vt quisque rebus bello gestis meritus est, in fidem & patrocinium commissae. eas clientelas, Commendas vulgo nominant: quique illis potiuntur Commendatarij nominantur. Hae non perpetuo iure ad haeredes, sed exstincto Commendatario transeunt ad alios, vt cuiusque Regis arbitrio merita penduntur. Quae vero liberae, & Christianorum colunt amicitiam, eae suis magistratibus, & suis reguntur institutis. Tum & quae deuictae in prouinciae formam redactae sunt, & quae liberae, amicitiae federe continentur, Euangelij lucem sibi postulant inferri. & est fere quocunque accedunt, nostrorum gratus aduentus. persaepe etiam vltro ipsi populi nauigant ad nos, fidei nostrae caussa suscipiendae, licet vbique veteris prauitatis multi sint retinentissimi. Ac ne qua dissidiorum caussa suboriatur, quae de nouo aut veniunt, aut ad fidem inuitantur; siue eae insulae totae sint, siue in eadem insula oppida populiue plures, alijs atque alijs religiosis familijs instituendae assignantur: Societati plurimum; & has ab infundenda ijs populis Christianae fidei doctrina, vulgari etiam vocabulo Do-*

Ebrinas nostri nominarunt. Haec initio monenda esse duxi, vt & cognitioni prodessent, & ne ignota nomina, ignotaeq. consuetudines, quae subinde nominabuntur, dubitationem aliquam obiiciant legentibus. Porro immensa omnino in tam latis finibus praeparata seges animorum: & iam Regiones albae sunt ad messem: sirenuis colonis tantum opus est. hominum immensa multitudo, ingenia mitia, à feritate prorsus aliena, & prona ad diuinam lucem intuendam. Religio apud eos aut nulla, aut perleuis. Superstitio tantum, & maleficorum fallaciae, non tam iis veneration, quam timori sunt, vt ex rerum narratione intelligetur. Anitos quosdam diuino afficiunt honore, à quibus bona malaque sibi proficisci putant. Hi haud dubie aut inferni daemones, aut perditi homines fuere, & nefaria diaboli familiaritate suis populis pernicios. Quare non hic cum bonzijs, aut brachmanis vllum certamen: neque ea opinione imbuerunt animos, mordicus esse religionem retinendam; cum nullam nouerint nisi diaboli terrores. sed inanitate superstitionis patefacta, facile dant manus; & Deum caeli reuerentur, fallacijs eiectis: cum praesertim illius numine, diaboli, quem maxime timent, frangi potentiam intelligant. Et, quo proniora esse omnia intelligantur, licet diuerso diuersae harum insularum nationes vtantur idiomate: est tamen vnumquodque eorum ad perdiscendum facile. sexto enim mense, quam hic versati sunt nostri, ita illud didicere, vt & confessiones expedite audiant, & concionentur. fuitq. qui septuagesimo quarto, quam venerat die, & confitentibus operam dare, & populum publice docere coeperit. quod non modo nos diuinae acceptum bonitati referimus: sed ipsi etiam

Philippi-

Philippini palam profitentur fieri diuinitus, quo commodius ijs opem ferre valeamus. Ipsi porro homines in nostrum ordinem valde propensi. Duo illi praeter cetera in nostris valde admirantur, paupertatem Euangelicam, promptumq. studium iuuandi proximos; cum tanta alacritate diurna, ac nocturna, maritima, ac pedestria itinera, tam sine vllo apparatu suscipiant, tantum vt ijs opem ferant, qui illorum operam desiderant, omnis prorsus mercedis expertes. Ingenio praeterea sunt ad bonas artes admodum idoneo, & praeter Christianam doctrinam, quam singuli tenent, legere etiam; & scribere bene didicerunt; multi etiam musicis cum laude exercentur, tum cantu vocis, tum flatu tibiarum, aliorumq. instrumentorum; & luculentum habent harum rerum apparatum ad Missae sacrum solemni cerimonia decantãdum. Laudes Diuinae bonitati, cuius beneficio in tam ab orbe nostro, atque ab omni antiquitatis memoria remotas regiones non modo fidei lumen, sed selectior etiam cultus est illatus. Sunt praeterea nostrorum opera triginta per hasce insulas Ecclesiae exstructae, & nostrorum curae demandatae, in ijs optima constituta disciplina, praefectiq. instituti, qui praesint neophytis; eos doceant statis temporibus persoluendarum precum rationem. quod illi faciunt tanto studio, vt diu, noctuq. voluptati illis sit, inter opera easdem preces doctrinaeq. carmina decantare. Haec de hac Semiprouincia vniuersè. nunc de locis quibusq. singillatim.

COLLEGIVM Manilanum.

EST Manilanum Collegium, vt vnicum in his terris, ita etiam totius nostrae familiae caput, & quasi fons, quo se recipiunt ij, qui in his locis peregrinantur, & vnde prodeunt, qui in alias residentias, & Missiones proficiscuntur. Insula Tagala nominatur. ipsa vrbs Manila totius Regiae administrationis caput: conuentus primarius Hispanorum, & emporium omnium frequentissimum. Ex indigenis Christiani longe plurimi, & Christianae pietatis ita studiosi, vt ipsis etiam Hispanis admirationi sint. Collegium proxime fundatum est liberalitate clarissimi Capitanei Stephani Roterici à Figheroa, annuo mille & quingentorum aureorum vectigali assignato: qui etiam suo sumptu suscepit reliquam fabricae partem absoluendam. quae impensa ad octo millia aureorum existimatur peruentura. Adiecit idem fundator ad sacram templi symphoniam seruos nouem, quos nobis dono dedit, bene peritos artis musicae, & maiores, minoresq. tibias inflandi, quae flauta, & piferes seu ceremiae in Italia, & Hispania nominantur. sunt hi magnum diebus festis templi ornamentum, & honesta illecebra ad sacra frequentanda: consuetudo iam in transmarinis partibus recepta, & probata. Ac ne iterum huc reuoluamur, templum Dei beneficio iam, & magna domus pars est absoluta: ea scilicet quae templum spectat, multo quam vetus & laxior, & amenior. siquidem prospectum habet ad mare, &

in

in hortos: quos quidem paulo etiam instruximus duobus hisce annis accuratius. Templum ipsum in primis amplum, & eorum iudicio, qui ea loca viserunt, omnium quae Societas habet cum in his insulis, tum in noua Hispania, pulcherrimum, maximaeq. dignitatis. Tria distincta habet spatia, mediam cellam cum alis duobus, concamerationa eleganter arcuata, omnia contecta. Alae, ambulationes sustinent, quae in cellam prospiciunt, ad similitudinem earum, quas habet Romanum templum professae domus. è quibus, & sacras cerimonias prospicere, & concioni commodum est interesse, si quando, quod saepe fit, magno hominum concursu spatia templi occupantur. ad caput alterius alae ad dexteram aræ principis, sacellum est B. Virginis; ad leuam in capite alterius sanctarum reliquiarum. Templum totum dicatum S. Annae, cuius die festo primum anni CIↃ IↃ XCV. *usui esse coepit. Itaque eo die sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum honorifice illatum, & tabula eiusdem Christi Domini Anuae eleganter depicta in ara primaria locata, cum argentea lampade, utraque viri pij sumptu comparata. Templi tanta oportunitas materiam nostris dedit maiore studio in hominum utilitatem incumbendi. Xenodochia, & carcerem inuiserunt, caritatisq. officia in egenes exercuerunt. quae eo fuere in hac urbe opportuniora, quod plerique eorum, qui ibi uersantur, exteri homines sunt, & aduenticij. habitae etiam ad coenobium monialium piae hortationes ad officium. Doctrina Christiana magno cum fructu consuetudine iam transmarinarum partium in foro explicatur: interest non raro animi caussa Vr. bis Praefectus, & subindeq. praemiola victoribus*

Digitized by Google

ad eosdem habeantur, & ab ijs, qui gentis sermone, & promptius, & melius vtantur; quippe vix sesquiannus est, cum eum nostri discere coeperunt: tanta tamen est frequentia, vt amplissimo templo excluſi multi, è platea ſtantes aures accommodent, cuius rei aliam causam esse nullam, nisi gentis beneuolentiam, & animorum in nos propensionem intelligimus, quam Societati P. Sedennius, aliiq. qui primi venerunt & vitae exemplo, & sanctimonia conciliarunt. Tanta indigenarum pietate permotus Proprouincialis, cogitationem susceptit de congregatione inter eos excitanda, saltem periculi faciendi causſa, vt se horum ingenia accommodent ad eam disciplinam. &, vt res ire coepit, spes est magni progressus. pauci lectis sunt, quo res sit maiore aestimatione. sed mirum quantum in eam veniendi studium sit in multis excitatum: quamq. serio tum sodales, sodalitatisq. candidati, tum reliqua neophytorum multitudo studia colant pietatis; quantaq. cura diuini numinis offensionem vitent. quod cum per se magnum est in nouella Christianorum sobole, tum multo maius natura perspecta ciuitatis ad omnem licentiam propensae. magna est enim variarum gentium colluuies, ingens desidia & otium, vini magna copia: &, quod haec vrbs infestis nationibus obijcitur, militibus abundat. eorum plurimi validi iuuenes, omni soluti matrimonio; vt, inter tot inuitamenta ad flagitium, mirum sit virtutis studium constantia tanta retineri. Cuius rei praeter viros, feminae quoque praeclarum specimen dedere. septem menses ab Hiſpano homine mulier indigena promiſſis praemijsq. sollicitata, adhibitis etiam minis, & scelerateae matris verberibus, nunquam de sen-

...ratos fetosq; potant execrandis veneficiis: donec alio veniam peremptorum sceleris auctores, mactam fecit. Alios omne ...ficium infantis oppetisse. Vera virtute resistebant. Earum una audacem ...is animis importunam preces maleficium frequentes sacerdotum usu exemptas. Altera ...ebat omne commercium; maledicendi tamen pernicissimus. Parcam imperat. Nam semel ...rum formam pudori accidisse exegra exasperat. Ea invitum tunc hac referente à parente amatore oppressa, voluptatibus ab infantia accepcis, se ex adulterio praecocem ferocem vitam. Feisseve cursu annum Christiana res praecederet, non veterum Christianorum praecepta ita vocaret impeccantem, cum vix ita severis praecepta, minimum tam se praebeant ex praecepto reliquum cursus conjuges. Ita enim vere virtus, tam feminae illae primum virtutis fugere occasione, mercia veneficii facerentur. Earum confessiones generales excipere meminiscimur. Malis partim nostrorum conscientia, partim fama communis, nostros homines praecipuam curandam animi ascendis perniciosis vetere: quod non ante nostri confessi erant, suae ignaros conscientiae, nunc vitae confessionem exigunt. Malis praeterea nostros de vocis ad arcana animi pernicissimis consulere. Magis quidam cupidi annos maleficium artem exercuerat. Is circum vitas e nostris sermones, pacis natus plenos, nostrum adit sacerdotem: ecce Satanas. Sapientem: jam a me arcanum confessione, expiatum animum. Aiter sum maleficos quosdam, quocum pactum cum daemone se plicabant, assertus, ex aliis populis dixiam veni, nostros consulendo causa, cognitaq. nefariarum exsecra-

tionum

sionum igni comburendum tradidit. Scholae anno CIↃ IↃ XCIV. ineunte aperuimus, tum clericorum caussa, tum iuuentutis huius modestae disciplinae continendae, clericos conscientiae casibus, iuuenturem Latinis litteris instruimus: resq. Dei beneficio cum fructu, & vtilitate animorum bello praecedit. Duo scholae vtrique praesunt sacerdotes; quorum alter cum initium factum est, latinam habuit orationem, quae & argumenti dignitate, & rei in his terris nouitate, admirabili gratia excepta est. Interfuere Praefectus vrbis cum clero, & magistratibus, alijq. viri primarij. Idem sacerdotem alterum magno studio audierunt, cum scholas suas de conscientiae quaestionibus auspicaretur. Promouit rem litterariam incredibiliter sua liberalitate Illustrissimus Aloysius Peresius de Marinis, Regius harum insularum Praetor, it quingenta pondera (id monetae pretio octo denariorum genus est) ad scholas studiosorum extruendas dono dedit. Idem auctor fuit, vt ex regia liberalitate mille, & quingenta pondera ad collegium indigenarum in studio alendorum constituendum assignarentur: mille quidem annua, quingenta ad aedes alumnis exstruendas. & spes est magnam ad Dei gloriam, & fidei propagationem, ex hac collegio vtilitatem profecturam. Sacra templi supellex, multis, iisq. pretiosis rebus instructa, cum copiosissimis Hispaniae ciuitatibus comparari potest. Vmbellae altaribus impositae cum limbis circumquaque demissis ex holoserico damascano, aut villoso. peripetasmata, & casulae ex trilici Attalica veste: quas lymbi vnionibus, gemmis, argenteis. caelatis bracteis distincti magnifice exornant. omitto calices, sacras pyxides, reliquumq.

Digitized by Google

quumq. totius rei ſacrae apparatum pretij permagni. quae in locis tam remotis in nouo populo tam breui tempore comparata, admirationem ſane habent incredibilem. Sed omnem excellentiam ſuperauit, tum rei nouitate tum ipſius maieſtate religio, qua ſacrae ſanctorum martyrum reliquiae, huc opera P. Alonſi Sanoij Roma miſſae, magna cerimonia, publica laetitia, exceptae collocataeq. ſunt, ad quas venerandas inſulani per eos dies, quibus religio celebrata eſt, tanta frequentia, pietateq. confluxerunt, vt Hiſpani ipſi mirabundi ſe rerentur, diuino conſilio ad huius gentis patrocinium eſſe tranſmiſſas. res tanto apparatu geſta eſt, vt in qualibet è primarijs Europae ciuitatibus posuerit eſſe admirationi. Igitur Prid. Id. Ianuar. anno ↀIↃ IↃ XCVIJ. (nam eo anno v. Kalen. Iul. Manilanae litterae iterum datae ſunt) religio peracta. ſacra pompa maxima totius ciuitatis gratulatione per celeberrimas quaſque vrbis vias traducta, proſequentibus clero, religioſis familijs, ac ſodalitatibus, quae, explicatis vexillis, mirum quanto eam fecerint laetiorem. viae tanta cura, artificioq. ornatae, vt plane appareret, tantum hominum animis iniectum ſtudium eſſe diuinitus, tanta concordia apparata, tanta rerum omnium tranquillitate, tam appoſite omnia euenerunt, vt diuini ſpiritus praeſentiam rebus intereſſe tantum non oculis cerneres. Erant certa per interualla ad iuſtam altitudinem fornices ſublati. fuere omnino vndecim: quorum partim tabulis, ſignis ornabantur, partim Sinenſi peristromate, tenuiſſimiſq. byſſinis eleganter inter ſe implicitis veſtiebantur. Hiſpanico etiam carmine aliqui ornabantur. erant praeterea certis in locis fontium

ſimu-

simulacra dispositā, siphonibus aquas alia, alia vernacula vina emittentia. sed praecipuam laudem habuere duae fenestrae cuiusdam aedificij impositae, è quorum altero lac, altero vinum aduectum è Castella erumpebat. vtriusque rei pretium à quolibet non imperito aestimari potest. Vehebantur sacra pignora pegmatibus sex, non minus eleganter artificioseq. quam opulenter ornatis. nam quidquid auri argentiue, quidquid gemmarum fuit, contulit eo die ciuitas ad venerationem sanctarum reliquiarum augendam. tantusq. fuit diuinae fauor bonitatis, vt ex tanta tamq. multiplici opulentia rebus minutis, maximeq. damno proclinibus, nihil omnino deperierit. ipsa pegmata religiosorum virorum humeris gestabantur. Erant praeterea in proprijs thecis quatuordecim reliquiae aliae insigniores, has quatuordecim sacerdotes, partim laici, sed honore Ecclesiastico insigniti, partim religiosi pluuialibus solenniter indati ferebant. inter eundum opportune à membris, ac turribus tormenta omnia maiora minoraq. magno boatu displosa rem totam reddidere augustiorem. Ad nostrum templum pompae totius agmen processit. Templum etsi quod recens absolutum erat satis sua dignitate ipsum per se speciosum, & elegans, pulchre tamen totum peristromatis contectum erat ornatius, additō scriptionum vario genere, quae nostri Hebraicè, Graecè, Latinè, Hispanicè, & Togalanicè, qua lingua vtuntur Manilani, composuerant. haec membranae descripta triplici versu excurrentia, mediam templi cellam circumcingebant. erant alia poëmata certis in locis ratione disposita. Tenuit ea religio in nonum diem, neque per id tempus vlla fuit hora, quae aduentantium

tantium frequentiam desideraret. Religiosae familiae, vices inter se partitae, suum sibi quaeque diem sumpsere celebrandum. initium fecerunt Augustiniani, qui vt vicinitate domicilij nobis omnium proximi, eam celebritatem quasi propriam augendam exornandamq. delegerunt: ita non modo promptis animis, sed multis etiam officijs, & suam erga sanctissimas reliquias venerationem, & aduersus Societatem obseruantiam declararunt. Varia enim symphoniae, & saltationum genera gentis more adduxerunt; praeter eas, quas Sinae, Iaponij, indigennaeq. exercuerunt. Augustianorum studia reliquae familiae suo quaeque die exceperunt. quotidie Missae sacrum solenni cerimonia decantarunt, & sermonem ad concionem habuerunt. sub vesperam per nostros sermo ipsorum lingua habebatur ad indigenas. &, vt assidua illorum pietas, pia aliqua compensaretur oblectatione, per Symphoniacos antiphona Salue Regina, multo apparatu varietateq. cantabatur. Extremo die declamationes habitae, & Hispanica dicta poëmata: vtrum potius fuerit sanctorum corporum reliquias vna cum animis in caelum tolli, an ad mortalium solatiũ in terris relinqui. has actiones praemiorum distributio ornandae studiosorum diligentiae sequuta. noua res, ac per se plena gratulationis, incredibili iucunditate affecit spectatores. ad extremum reliquiae intra sacellum collocatae. sacellum seu tabernaculum ex lignis incorruptis, & aduersus caries semper integris (molabi vocant) sua amplitudine totam cappellae, in qua situm est, tenet laxitatem, octo columnis sublatum, auro nobiliq. nigrore distinctis. Iria habet maiora loculamenta, praeter alia minora,

nora, quae intus continent reliquias. medium duplicibus foribus occluditur. foris extra nucibus, pineis aureis, intus specillis Sinensibus apte dispositis ornantur. quae sunt in vtroque latere loculamenta, quoniam minora sunt, facultas suppeditauit ea maiore cura, subtilis ex ebore, & ebeno emblemate, miro elaborandi artificio. In vtroque latere extremo binas inter columnas signa Apostolorum Petri, & Pauli constituta: Totum opus bombycinis velis duobus è diuerso adductis, & reductis contegitur, aperiturq. quorum extremae orae aureis pinnulis excurrentibus ornantur. de totius operis elegantia, & forma, reliquoq. ornatu plura quis desideret: sed plura, quam accepimus, reddere ipsi, qui spectatores non fuimus, non potuimus.

RESIDENTIA ANTIPOLItana, & Taytayana.

RESIDENT Antipoli sacerdotes duo, cum duobus fratribus, huc Proprouincialis iussu è Taytaijs, vbi superioribus annis habitarunt, trãslato domicilio. Distant hi duo populi spatio leucae vnius. caussa autem transferendae sedis ingens fuit conuenarum è diuersis locis multitudo; qui, relicto patrio solo, has terras adamarunt. Et quidem quinto ab hinc anno cum ethnici permulti, tum Christiani huc se conferre coeperunt. nec singulae solum familiae, sed populi etiam vniuersi: vt mirum in modum loci frequentia in dies augeretur, proxime tamen hoc anno multo, quam ante, maior superuenit multitudo, tenebant hi postremi montes, hinc biduj dissitos itinere. sed suae suae terrae asperi-

asperitatem pertaesi, siue mitioris loci bonitate capti, biennio iam nostrorum opera magistratus fatigabant, sibi vt potestas fieret has terras incolendi. id cum longius fieret, nullo expectato imperio, quasi per secessionem è suis sedibus egressi, Antipolim, quae Societatis institutioni commissa est, & Doctrinae nomine censetur, commigrarunt: paucis admodum relictis, qui vna cum suis sacerdotibus, quos Catalones appellant, antiquos fines retinerent. Aegre tulit initio eam secessionem Commendatarius is, qui huic orae praesidet: sed cognita postmodum vtilitate, & religionis incremento, optauit vniuersam suam commendam in Doctrinam venire Societatis. quare etiam qui reliqui erant in montibus, Antipolim deduxit, etiam ipsos Catalones; vnaq. omnes baptismum postularunt. Venere omnino capita nongenta: ex ijs baptismo iam lustrati sunt quingenti. Catalones ipsi suos errores, fallaciasq. detestati, Anitos suos (sic enim vti supra diximus appellant Deos suos) abiecerunt. quorum beneficio, pro hominum stultitia, magnis prouentibus augebantur. nam magna mercede sortes ab ijs exquirebant, quae ad Catalonis arbitrium reddebantur. ipsi Catalones deprecatores apud suum quisque Anitum adhibebantur, & hac scelerata nundinatione impostores nequissimi ditescebant. magnum ad id momentum attulit Catalonis cuiusdam conuersio, qui inter ipsos princeps habebatur; quod Anitum, quem ille coleret, omnium maximum potentissimumq. esse existimarent. nam cum illi sacrificabat, Catalonem ipsum insiliebat; eumq. miris modis exagitabat; inq. varias figuras, vultusq. transformabat. eunam, quam promissam, muliebrem in morem

alebat.

alebat, illi artificiose contexebat, eam tamen hic, nefaria impietate abiurata, praefecuit. Cuius exemplo Catalones alij permoti, idola multa igni cancremanda tradiderunt. Et, vt appareat, quam stultae sint hominum mentes, caeca superstitione occupatae, agri pars erat in eo tractu, in qua hominis malefici, & multa olim per diras artes diaboli familiaritate notissimi cadauer conditum esse fama erat: eas terras incolere, aut serere audebat nemo, quod persuasum esset, omnibus ijs, qui id ausi essent, mortem imminere. nostros ea de re consuluerunt. qui cum intrepide nihil esse timendum respondissent, nostrorum constantia audentiores facti, noualia illa prosciderunt. magnis sementibus factis, magnarum segetum copia experimento comprobarunt, aduersus Christianam pietatem inanes esse diaboli terrores. Clementia, & aequitas, qua recentes hi coloni habiti sunt; opinio. quae de nostra probitate emanauit, alios syluestres, & multo proximis asperiores exciuit, vt eorum multi in has terras se reciperent. Hos primos, & antiquissimos huius terrae incolas esse ferunt, ipsorum lingua Yitae nominantur, quod perinde est atque apud nos eorum nomen, qui ab atro colore nomen trahunt. hi viuunt in diem, & ea quam sibi arcu, & sagittis praedam comparant, hos Hispani non vi aut armis vnquam elicere potuerunt, vt à ferino victu ad mitiorem cultum se reciperent. quod Dei tandem beneficio, aequitate, & clementia hoc anno consecuti sumus. ita vt, cum Antipoli centum domus ante censerentur, ex quo horum populorum institutionem, ac patrocinium suscepimus, septingentae numerentur. Hactenus de ijs, qui recentes ad fidem venerunt, aut

ab

ab ea non ita longe absunt. Porro, qui iam pridem Christiana sacra susceperunt, magnum religionis hoc anno coeperunt incrementum, recepto iam à plerisque eorum usu sacrosanctae Eucharistiae suscipiendae. nam cum antea non nisi pauci, & ij ex omnibus lecti ad sanctam illam admitterentur synaxim, tantum illi integritatis, & sanctimoniae documentum praebuere, vt ceteri diffiderent, se ad tantam integritatem peruenire: proinde ad sacram communionem inuitati, ne tam seueram sibi sancte viuendi legem praescriberent, multis dilationibus, frustrationibusq. rem trahebant. ad extremum consilium ceperunt generali confessione sese expiare; purgatoq. animo, magna facta vitae morumq. commutatione, ad diuinam tandem mensam impauidi plerique accesserunt. quae res non ad priuatam solum, sed ad publicam quoque vtilitatem promanauit: multis publice sublatis vitijs, quae non facile coerceri ante potuissent, tantaq. aduersum sacrosanctum Christi Corpus reuerentia, viuendiq. sobrietas ac temperantia secuta est, vt ipsi incolae, si quem videant paulo viuere liberius, sacerdotem nostrum moneant, illum ad sacram synaxim, vt compellat; illud sibi persuasum habentes, non posse eum, qui caelesti conuiuium, ad veterem cõsuetudinem redire.

In Taytayis nostrorum absentia, nisi periculum diuina prouidentia auertisset, religionis damnum magnum factum esset. Habent in ea gente quemadmodum viri suos Catalones, ita etiam feminae suas Catalonides. eae mulierculae sunt veneficae, & diabolicis superstitionibus addictissimae. hae post discessum nostrorum clam vniuersum populum suis irretiere fallacijs, ad eas passim in

in suis calamitatibus confugiebant; & maxime in morbis. tantusq. mentis erat stupor, vt quamuis multi eorum, quibus illae vitam promittebant, morerentur: vulgo tamen illis fides haberetur; eas largis muneribus cumularent, oriza, praesertim messis tempore, auro, argento, rebusq. magnae aestimationis; vt ea sola praeda omni alio prouentu destitutae abundarent. vna inter eas magni nominis magnas sibi ijs fallacijs opes comparauerat. haec Anitum suum amicum esse Deo Christianorum dictitabat: eumq. de caelo ad terram descendisse, idque ipsius nomen significare. Erant impurae veneficae terrori omnibus, hominesq. ad magnos sibi largiendos congiarios minis importune adigebant, incusso metu, ni praeberent, fore vt ab Anito interficerentur. metumq. illud augebat, quod eae mali daemonis furore interdum agitari cernebantur. earum fere domus consultorum turba refertae erant; ibiq. ad ebrietatem vsque crapulae, ac vinolentiae indulgebatur. ac, ne quo tempore execrandae sobolis germina deessent, earum vnaquaeque suam sibi diaconissam subrogabat, quae post ipsius mortem nefarium in sacerdotium succederet. ad earum domos viri primarij, quo tempore pestilentes lamiae sacerdotium inibant, nocte concubia deferebant Anitos; in quorum honorem triduo conuiuia celebrabantur, compotationes, ebrietates. nec mirum in gente nuper ad fidem traducta inueteratae adhuc superstitionis reliquias haesisse. serpebat omnino intestinum malum, manassetq. longius ad publicam perniciem, nisi, re detecta, maleficarum poena ceteri sapere didicissent. nam nefariae Catalonides comprehensae, conuictaeq. suas prodere fallacias in Ecclesia iuf-

ſae ſunt; ὕſq. praeſentibus ipſarum crimina de ſcripto recitata, vanitaſq. confutata eſt: inani earum Anitorumq. potentia deluſa, errore metuq. ſimul & ſcelere populum exſolutus: ipſae certis aedibus pro carcere obtruſae, omnium commercio, colloquioq. prohibitae: dira omnia maleficiorum inſtrumenta igni tradita: ingens idolorum numerus detectus, quorum alia figlina, alia lignea erant. duo praeter cetera inſigna ex duobus dentibus ferae euiuſdam è genere Amphibiorum, quam Caimana vocant, crocodilo ſimilem, auro inſerta erant. haec omnia igne conſumpta. vnum omnium aſtutiſſimum, periculum euaſerat: craſſa arundine incluſum, maleficae, quae illum ſeruabat, ſilentio imperato, quae ne conuicta quidem poſtea fateri audebat veritatem. ſed optimis monitis confirmata, narrauit daemonem ſibi praedixiſſe, nunquam futurum, vt in ſacerdotis manus deueniret; ne ſi domum quidem omnem diruiſſet; neque eum mulier timeret; ſe longe ſacerdote illo eſſe fortiorem. vide quot ludibriis infernus humano generi canis illudat, ſed hoc quoque combuſto, noctu diabolus, caterua aliorum comitatus, terruit mulierculam, quod myſteria quaedam abdita euulgaſſet: ſed cruce, qua ſe tueretur munita, deſiit ei tandem moleſtus eſſe. Hac compreſſa peſte, Chriſtiani ad priſtinam pietatem rediere; factiq. hac victoria alacriores, quaſi de infernis aciebus triumphatum eſſet, certatim omnes reliquias veteris ſuperſtitionis igne comburendas attulerunt. ſigilla, veſtes, aliaq. ſuperſtitioſa ſymbola, quae eorum maiores in ſua quique familia, quaſi proprios lares, & gentilicia numina coluerant. Et licet maleficarum, quae ſania è Taytays multi ſe tam grauibus piaculis obſtrin-

Digitized by Google

obstrinxerint: multi tamen superfuere, qui nulla se earum rerum labe inquinarunt, quorum indicijs pedetentim fraus deprehensa. quippe suorum interitum dolentes, multi propinquos, intimosq. detulerunt; foeda superstitionis simulacra detexerunt. omnes denique errati cognitione, ac poenitudine nouo susceptoe diuini spiritus feruore, conceptam religionis maculam deleuere. quin hoc uno scelere omisso, sagarum malitia obtruso, Christianam pietatem coluere. Est ijs solenne sementis tempore, antequam terrae semina committant, ea deferre ad Ecclesiam à sacerdote precationibus saeris expianda: Orizae segetem aqua lustrare consecrata: & haec omnia vt quam maxima cerimonia fiant, curatur, ne ad Catalonidum superstitiones reuoluantur. fuitq. qui non publica religione contentus, priuato consilio, quod rei militatem expertus esset, aquam ex Ecclesia acceptam suis segetibus aspergeret. postea religione tactus, veritus, ne quid offenderet, nostros consuluit, an ea res liceret. Testabatur idem multum interesse inter Christianorum segetes, aliorumq. qui huiusmodi piaculo usi non essent. fame hic suae simplicitatis fructus tulit. Celebrata sunt aliqua baptismata: ijs anus duae expiatae, vsque eo senio confectae, vt earum altera diceretur annum centesimum excedere. hae ex montibus hinc longe dissitis huius rei caussa hue venerant. quae statim atque baptismo ablutae sunt, cessere de vita. Institutum est, vt pueri bis quaque hebdomade agmine per vias euntes, Christianae doctrinae carmina decantent. ad eos aliarum aetatum multi se adiungunt. quotidie vero ad templum precandi caussa conueniunt; Dominicis diebus ijdem, adiunctis

adolescentibus maturis iam ad nuptias, agmine item per vias incedunt, cum cantu doctrinae. vbi ad templum venere, sermo de Christianae Doctrinae rudimentis ipsis, & matrimonio iunctis explicatur. Tum multa nocte signum datur ad preces faciendas, conscientiamq. diurnarum offensarum reuocandam, vt eo piaculi genere pontificiam consequantur indulgentiam, quã globuli huc à P. Sancio transmissi continent. quin etiam in singulis vrbis regionibus crux defixa est. ad eam noctu, signo dato, cum eo, qui illis praepositus est vir inter ipsos Primarius ad orandum conueniunt. Confessiones generales auditae permultae, magno animorum sensu doloreq. vsque eo vt potestatem sibi fieri publice aliquod de se supplicium sumendum, etiam cum lacrymis, aliqui postularint. feriam v. Caenae Domini magna pietate peregerunt: supplicationem cum flagris Hispanorum more, apparatuq. celebrarunt: pueris ornatu angelorum agmine, traductis cum suis signis ceteroq. apparatu, quantum pro sua tenuitate imitari potuerunt.

RESIDENTIA Zebuana.

ZEBVS insula, cum vrbe eiusdem nominis, videtur esse à Tagala, in qua est Manila, disiuncta circa Leitem, & Boholem, insulas nostrae doctrinae attributas, sita. Haec prima omnium pacata est Hispanis, cum primum Adelantadus Legaspius Praetor ad has occupandas insulas missus est. Ciuitas est Hispanorum, nuper Philippi Regis liberalitate Episcopatu ornata.

Ex

Ex quo spes est tum ciuitatem ipsam, tum nostram Societatem maiora indies incrementa habituram. Caeli temperies est adhuc mitiore, quam Manila. lenioribus caloribus, & salubritate meliori. id bona eorum testatur valetudo, qui primi hasce insulas ceperunt; qui hic optima corporis habitudine tranquillissimam traducunt senectutem. magna omnium beneuolentia, ne vita multo ante hic Societas excepta est. aedes ad inhabitandum opportunissimo Vrbis loco nobis attributae, tam litori vicinae, vt ex alluuione aestuaria intra parietes habeantur. contulere ciues, quae cuique prompta fuere, magna liberalitate ad domum nobis instruendam. & nunc ad templi fabricam eadem sunt in nos benignitate. Praeter priuatorum ciuium eleemosinas impetrauit P. V. Prouincialis ex aerario Regio ducenta pondera in annos singulos, ducentasq. Orizae hanegas, quod est mensurae genus, quo toto commeatu abunde octo homines alantur. sex ibi residunt, sacerdotes tres, totidem fratres. eorum occupatur opera praeter Hispanos, circa tres quoque alias nationes, Tagalanos, qui huius sunt gentis, Bisayas, & Sinas: duoq. sacerdotes, quo melius iuuari possint, in eorum addiscenda lingua occupantur. Petiere magna contentione à P. V. Prouinciali ciues magistrum suis dari liberis è Societate; se extruendi Gymnasij negotium suscepturos. eorum postulatis benigne satisfactum: eq. tribus Patribus praepositus vnus ei curae. Rerum aliarum progressus ignoratur: erant enim Manilae de his rebus litterae in expectatione.

INSVLA Leite.

INSVLA Leite est omnium optima frequentissimaq. earum, quae traditae sunt in nostram disciplinam. eam Religiosi alij expetiere: vnaq. cum circumiectis insulis Prouinciam à Manila seiunctam facere cogitarant. sed diuina prouidentia videtur eam Societati delegisse: siquidem cunctantibus alijs P. Sedennius, accepto supplemento eorum, qui primi anno CIↃ IↃ XCV. superuenerunt, occupauit in eam, proximamq. alteram Ibabaem sacerdotes mittere. etsi initio quidem, quod maior copia non esset, quatuor tantum destinauit, nouem enim tantum primò venerant, alijs alio itinere venientibus. ij residentias duas, in Leite vtramque constituerunt, alteram Carigarae, alteram Dulacij (oppidorum nomina ea sunt) etsi postea superuentu aliorum tres aliae fundatae sunt, & gradus factus etiam in Ibabaem, de quibus suo loco dicetur figillatim. Iidem primi Leitae primam sementem fecerunt Euangelij. Tota insula ab ortu in occasum quadraginta leucas excurrit, ab Arctico in Austrum, non magna aperitur latitudine, eam perpetui montes, qui à Carigara nomen capiunt, mediam diuidunt, admirabili omnino ingenio naturae. vtraque enim Insulae pars, quasi partitis inter se caeli vicibus, alio tempore vna, alio tempore altera imbribus irrigatur; eodemq. tempore in vna hiemat, dum aestas est in altera. cuius rei causa binas, easq. vberes singulis annis meses faciunt. solum opimum

& ap-

& apprime ferax, vt messis tempore oriza optima denarijs tribus venui sit in singulas hanegas, quo mensurae genere vtuntur. Insula tota gallina, porcello, apro venatuq. reliquo abundat; vt quaternae gallinae denario vno praestinentur: gallinacei pulli eodem pretio octoni. frugiferae arbores varij generis tanta copia fructus fundunt, vt nullo pretio pendantur. praecipue vero iuglandium nucum magna vbertas. nullus est populus, cum multi sint, qui non sua habent palmeta, aquis perennibus irrigua. haec ob vicinitatem, quasi continuata, praesertim arboretis alijs adiunctis: continenti vmbra itinera opacant, magno viatorum leuamento; vt licet iumentorum, vehiculorumq. vsus nullus sit, opaca tamen amenitate pedestris laboris fatigatio leuetur. ipsae palmae praeter dactylos praenobilem etiam dulcemq. admodum liquorem exsudant, quem tubam nominant. multam in aedificia materiam, ingens vis arborum suppeditat, quarum quaedam tam immani trunco sunt, vt decem duodecimue hominum complexum crassitudo excedat. Earum quasdam ethnici, quippe rem inuentu raram, tanquam numen aliquod adorabant. sed imprimis caeli temperies laudanda. nulla vt in Europa aestuum frigorumue hyperbole: vt qui recentes venerunt, eorum rideant errorem, qui in Hispania mirabilia quaedam de huius orae caloribus narrabant. & quamuis multo infra nouae Hispaniae altitudinem hae insulae sitae sint, apparet tamen eorum error, qui caeli temperiem ex situum altitudine definiunt, cum mitiores multo aestus hic, quam in multis nouae Hispaniae locis sentiantur. Ipsi porro homines sinceritatis, & fidei amatores, ingenioq. praediti

admodum idoneo. Duae vigent inter eos consuetudines in primis laude dignae, & quae raro alibi reperiantur, neque in hac solum, sed in alijs quoque insulis, quae Pintatorum nominantur. prima est; si quando iter faciunt siue mari siue pedibus, nullum trahunt secum apparatum, commeatum nullum: sed eadem fiducia ad tecta hospitum se conferunt, ac si suam quisque domum peterent: hospitaliter excipiuntur, cibos postulant ad libitum, abunde illis omnia praebentur. Altera, vt siue copiosa, siue maligna sit messis, in commercio tamen vnius insulae cum altera, Orizae pretium nunquam mutetur, vt qua quisque domi suae fuit in exteros hospitalitate; eadem ipsi peregre vicissim rependatur. ac si quo anno frugum inopia laborent, eadem benignitate à vicinis insulis subsidium accipiant. Sunt in hac insula iam quinque Residentiae Societatis, tamq. commode spatijs inter se deductae, vt non longius dimidiati diei itinere altera distet ab altera. ita non magno labore patres, si quando opus est, solent hinc inde commeare. Ex his ad alios, atque alios populos tota insula disseminatos, inuisendos, atque in fide instruendos, se se conferunt. Et iam eorum magnus numerus venere ad baptismum, alij ad id catechismo instituuntur. sed iam singula percurramus domicilia.

DOMICILIVM Dulacense.

IN Residentid Dulacensi, quae prima est insulae Leitae, sacerdos vnus fratre vno comite versantur. multos hic ad Christum traduxere: nec

cessat

cessat diuina bonitas, suae diuinae lucis radios diffundere, quibus vniuersa iam haec natio agnoscunt, & fatentur, nullum esse numen aliud, praeter Deum, quem illis praedicamus. Bono animo neophyti ad Christianam doctrinam, aliaq. pietatis officia conueniunt, crebro peccata confitentur; confessionisq. fructus est vitae, morumq. reformatio. Pium B. Virginis cultum studiose admodum suscipiunt, precationibus valde delectantur, noctu diurnorum erratorum conscientiam excutiunt, mane è stratu cum surgunt, in genua procumbunt ad orandum: missae sacro intersunt quàm religiosissime, denique, vt saepe ipsi sacerdoti protestantur, nihil omittunt ad omnem pietatem, nisi quod pro sua adhuc imperitia non assequuntur. constantes se praebent in suscepta religione; quod, occasione oblata, declarare non verentur. In quodam conuiuio feria vj. carnes erant appositae: intererant cum veteribus Christianis neophyti tres: hi reuerentia diei vesci carnibus abstinuerunt, quod Christianos iam se esse dicerent. cumq. à veteribus Christianis peruerse riderentur: stulteq. prudens eorum taxaretur imperitia, quod illa reformidarent, quae ipsi, & peritiores, & Christiani veteres non timerent; posse enim postea confessione piaculum deleri, & in praesens appositis frui licere: perstitere nihilominus in sua religione; & peritioribus ipsi sapientiores, erroneae doctrinae non acquieuere. neque mirum, cum ijdem alijs in rebus neque minis, neque praemijs pellici potuerint ad flagitia. Est & illud in hac gente adnotatum, eos qui nostram religionem susceperunt, praeter quandam animi magnitudinem, qua praestant ceteris, ita etiam miteſcere, ac liberalem quandam

in duere

induere naturam, vt ea cum eleganti venustate in ipsum corpus etiam redundet, vt qui modo et hnicus, bruto similis, asper esset, & intractabilis; is postmodum, Christiana fide concepta, humanus, facilis, specieq. decorus omnium oculis appareat. Videas pueros, vix sermonis compotes, qui si de Christianae doctrinae praeceptis interrogentur, tam prompto, tam viuido ingenio respondeant, vt illa ex aluo materna traxisse videantur. & qui modo neque Deum esse inaudierant, eos nunc subinde pia verba iterare, quibus IESV CHRISTO laudes, Diuinae bonitati gratiae agantur.

RESIDENTIA CARIGArae, & Pali.

QVAE in duobus domicilijs Carigarensi, & Palensi contigere, ea promiscue narrantur, nulla adiuncta definitione eorum, quae in vno, & quae in altero facta sunt: promiscue item reddamus necesse est. fuit ad circumiectos horum opidorum populos nostrorum peregrinatio omnis prorsus humani expers leuamenti, quo puriore intentione Christi tantum causa suscipereiur. siquidem tam alienis incolarum animis excepti sunt, vt multi horrore metuq. nouorum hospitum, aspectum vt vitarent, alio fuga se proriperent: pauciq. illi qui manebant, tam auersi, & infensi, vt Euangelij praeconibus ad Christi crucem meditandam fuerit confugiendum. sed Dei benignitate, non ita diu in tam sterili haesere sabuleto. siquidem illi ipsi, qui ante fugiebant, consuetudine sensim deliniti, in primis vero diuino instinctu illorum praecordia tan-

tangente, cognita vtilitate, nostros iam fatigant, vt ad se redeant inuisendos quam saepissime. ita tam propensis animis nostrorum studia excipiunt, vt omnem praeteriti temporis molestiam compensent. Incredibili passim baptismi studio tenentur; qui iam baptismo sunt initiati, quotidie statas preces mane, & vespere persoluunt. in concione audita studiose referunt, tractantq. inter se: intra suas domos Christianam doctrinam decantant, atque adeo inter festas gratulationes audito signo statim se in preces dant: quin in ipso mari, dum nauigant, ne precum tempus praetereant inane, tintinabulum secum ad signum precationi dandum ferunt. Est inter eos insigni probitate, & vigilantia vir, qui neophytis de suo populo praepositus est, neophytus & ipse (fiscales nominant, qui eo munere funguntur) hic absentibus nostris strenue admodum munus exercet suum: catechismo rudes instruit, solatur aegrotos: denique omnia sedulo facit, rem Christianam vt promoueat. Quadragesima semel, & iterum confessionis sacramentum obiuerunt; extremis vero diebus suppl.cationem sese flagellantium duxerunt, plus quadringentis hominibus cum facibus magno silentio, & ordine flagellantes comitantibus. sane mirum est, & quanto amore pietatis hi neophyti accendantur, & quanta copia caelestibus donis perfundantur. multi diuino monitu, caelesti viso alij, euentis tum secundis, tum aduersis alij venere ad baptismum. vsque eo diuinus eos prosequitur fauor, vt aliqui ex desperata valitudine, ac tantum non depositi, repente conualuerint. ipse nonnunquam malus daemon cogitur illorum pietati suffragari. siquidem intentis ethnicis cuidam sacrificio, Christianum

hominem

hominem forte praetereuntem, ne ad sacra inuitarent, respondit nequam: Christianos enim terrori magno sibi esse. Horrent vicissim Christiani illorum sacra, vt pote tartarea immanitate, & diabolicis terroribus horribilia, ita eorum vel sola commemoratione terrentur. Suntq. qui si qua signum audiant ad eorum exsecranda piacula, repente se in pedes quantum possunt: ac ne qua contagione polluantur, tutum est ijs perfugium preces percurrere. adolescentulus recens baptizatus narrauit sibi graui morbo decumbenti hominem decoro, ac venerando aspectu, ac multa luce circumfusum esse visum; quem ille Iesum Christum esse, existimauit, ac sibi rosarium collo iniecisse, iussisseq. perpetuo secum ferre; ea ratione à daemonis insidijs tutum futurum: statimq. se validum è strato extitisse. Mulier grauiter aegrotabat: haec se iuxta sacras imagines somno dedit, statimq. omni morbi molestia leuari sensit. passimq. depraedicauit, se pristinam valetudinem sanctarum imaginum virtute recepisse. sacerdos dum hanc insulam obiret, venit Campuatum, vicum huius insulae. in hospitio, quo diuertit, decem reperit aegrotos: coepit ijs Christi praedicare Euangelium: nemo ex eo numero aures illi dedit. inter eos anus decumbebat. Hanc adortus puer vnus è patris comitatu, multa de paenis infernis disputauit, tanta vi, tantaq. copia, vt exterrita mulier quaesierit, an illa vera essent, quae dixisset: & vnde ea didicisset. enimuero infirma mundi elegit Deus, & saepe plus simplici humilitate, quam alta rerum cognitione proficitur. Puer, vt magnus ille Spiridion, nullo alio nixus argumento, quam constanti fide, magno animo respondit, non esse de illis dubi-

dubitandum: siquidem ipsius Dei verbis pronunciata esse, non distulit aegrota, quamuis multis clam dissuadentibus, petere baptismum: votiq. compos facta, statim melius habere coepit. In ijs qui baptizati sunt, duo notatu digna euenere. Femina primaria baptismum aliquandiu aspernata erat, non religionis negligentia, sed quod intoleranda nostri ei videretur matrimonij necessitas: nec posse, si quid incommodi euenerit, dissolui. victa tandem rationibus, constituit Christo nomen dare, dieq. baptismo dicta est: sed fallacia daemonis deterrita, supersedit eo die. postridie diuino instinctu permota, plena paenitudinis, redijt ad nos; suamq. stultitiam professa, quod inepto timore optimum consilium deseruisset, iterum petijt quod omiserat: sibi plana fore omnia, quae ardua metus ante proposuerat. persuasum enim sibi esse, non posse quenquam sine Christiana fide ad aeternam salutem peruenire. Puer praeterea non plus quinque natus annos petendi causa baptismi venit ad Ecclesiam: re cognita, parentes minis ac blanditijs eum ab ea mente amouere conati sunt: eumq. aecessu Ecclesiae prohibuerūt. adhaesit nihilominus tenello pectori diuinus ignis: dictitabatq. velle se omnino in filiorum Dei numerum referri; quod qui Christiani non essent, diaboli mancipia, dirae illius addicerentur seruituti. Contigit vt vna cum vitrico, plūsq. suae gentis infidelibus è populi primoribus puer coram nostro sacerdote versaretur. ignarus sacerdos vitricum ab ea mente esse alienum; blande puerum percontatur, an christianus esse velit. annuentem vitricus grauiter obiurgat. ille nihilominus constantiam tantam prae se tulit, vt circumstantes ipsius causam

suscepe-

ſuſceperint; vitricumq. ab ea mente deterruerint. ita puer, impetrata venia, magna ſua noſtrorumq. voluptate per baptiſmum Chriſtianorum cetui adiunctus eſt. Et vt ingenio docili magnoq. animo ſunt ad fidem capeſſendam, ita etiam cauti diligenteſq. ad quamlibet vel leuem offenſionem vitandam. rem dicam in gente adultae fidei ridendam, in nouello adhuc germine Eccleſiae indicium verae pietatis. incitabatur quidam contagione aliorum, qui die vetito veſcebantur carnibus, ad menſam cum ijs communicandam; trahiq. ſe vehementer ſentiebat: ſed cognito periculo, inde ſe ſubducens, nixus genibus dedit ſe in preces; praeſenſq. Dei ſenſit auxilium. Alius quod ſimili die per imprudentiam biberat è poculo, in quo paulo ante carnium iuſculum ſeruatum erat, ratus ſe piaculum ingens admiſiſſe, non ante ſtrata ſe commiſit, quam illam imprudentiam confeſſione expiauit. Saepe ſacerdotem precari ſolent, ne ſe ad hunc vel illum locum accedere permittat; quod licet, diuina freti gratia, lapſum non timeant; periculum tamen vitare, ſapientis eſſe ducant. Haec alioqui per ſe leuia, magna in nouo populo videri debent. Deus orandus, vt haec tam bene culta noualia caeleſtis ſuae gratiae rore perfundat.

OGMVS ET Alangala.

HORVM quoque domiciliorum Ogmuenſis, & Alangalani, è quinque, quae habet inſula Leite, res promiſcue narrantur, & vt in alijs quoque

Digitized by Google

quoque factum est, vtro duorum annorum actae sunt, non distinguitur, quamobrem confusa hac qualicunque narratione contentos esse nos necesse est. Hoc anno primum (existimo nonagesimo sexto non inani ductus coniectura) nostri ad haec loca contulere sese. excepti tanta omnium benevolentia, ac comitate tanta, vt si inter eos antea vixissent. Praefectus vnius populi, cum eo de more doctrinae caussa proficiscerемur, paruo actuario regionis more magna gratulatione nostris obuiam processit, quippe qui futurae salutis iam laetitiam praeciperet, is statim nulla mora interposita, cum vno è patrum comitibus agere coepit, vt sibi nostrae fidei mysteria diceret, quae scripto in commentarium excipiebat; vt cum illa edidicisset, peteret baptismum. Praefecti exemplo moti reliqui, eandem ad idem studium alacritatem assumpserut; & ipsi quoque in arundinibus, quas illi habent pro charta, ad memoriam iuuandam, praecepta descripserunt. atque vt certum animi sui specimen praeberent, liberos suos omnes in nostram tradidere disciplinam. qua re ad fidem in his locis propagandam, opportunior esse nulla potuit; non solum quia, vti supra dictum est, sinceris puerorum mentibus fides radices agit altiores, puriorq. & ab omni labe mundior exsurgit seges pietatis: sed etiam quod in his terris pueri magno parentibus sunt inuitamento ad eos ad Christi disciplinam adducendos: idq. in Leite insula praecipue. nam parentes suos Christiana rudimenta docent: domi referunt, quae audiunt in schola: inuitant, orant, hortantur: & cum denique illi rudimenta didicerunt, ad patres referunt, parentes suos maturos esse ad baptismum. Porro patresfamilias, senesq.

reliqui

reliqui dulcedine victi puerorum, se iucunde tuhi sinunt ad salutem. His Adam funiculis Diuina bonitas homines ad sui pertrahit cognitionem. Puer in hac insula viri primarij filius, non plus quatuor natus annos, tam vivido fuit ingenio, tamque in puerili importunitate festiuus, vt tantula aetate, & infans parenti baptismum persuaserit. Puer alius cum inter epulas ethnicorum carnes die vetito imprudens degustasset, diei post modum religionem recordatus, eas ore eiecit, epulisq. relictis, confestim recurrit ad confessionem, tanto animi angore, suiq. poenitudine, vt fuerit confessarij oratione subleuandus. Manilam scripsit ex ijs locis P. Alfonsus Rotericus, neminem inuenisse, qui, rogatus an christianus esse vellet, abnuisset; sed illud esse in mora, quod nondum preces, & rudimenta didicisset. Cumq. aliquando idem Pater hominibus vnius ex ijs populis locum designasset, vbi domum, & Ecclesiam exstrui vellet; idq. per vesperi: mane vniuersus populus ad solum complanandum iam accurrerat; dixitq. vnus è primarijs nostro sacerdoti: quo citius perficiatur opus, virss suo munere perfunctis, feminas quoque vicissim in suam operis partem successuras. Quadragesima hi quoque ad confessionem, & hebdomadæ sancta ad sacras cerimonias, aliaq. pia obeunda munia conuenere. Diebus sabbathis ad canticum, quo caelitum Regina Mater misericordiae pio modulamine salutatur. neque hoc studio solum se alte religionem imbibisse declarant, sed constantia quoque & virtute, qua in lubricis occasionibus vaferrimi hostis insidias deuitant. Mulierem accepimus in varijs occasionibus, muneribus promissisq. saepius sollicitatam, ne diuinam incur-

incurreret offensionem, cuncta magno animo repudiasse; cum praesertim sciret, nullum tam occultum crimen esse, tamq. abditum, quod diuinam possit fallere cognitionem: saepiusq. lacessitam, oblatum etiam aurum contempsisse, quod diceret nulli sibi fore vsui post mortem. Et vero elucet in horum animis firmandis Diuina bonitas: eiusmodi enim exempla in veteribus Christianis, cum laudantur in ijs, qui à praua viuendi licentia impiaq. superstitione ad Christianam religionem, nouamq. viuendi nuper modestiam venere, admirationem habeant necesse est. Non minus & in alio Diuina bonitas eluxit. In vno ex his populis, qui multi sunt, Praefectus tenaci aeque ac pernicioso nodo tenebatur, quo minus ad baptismum se conferret. Alebat hic tres coniuges: ac, ne quam earum dimitteret, duae res erant impedimento: illecebra primum voluptatis, tum damna rei familiaris, quod dotis earum iactura facienda esset. Sed videlicet in huiusmodi occasionibus homines esse ambidexteros, est operae pretium. Sacerdos enim, qui animas illas venabatur, vbi doctrinae remedia sensit parum valida, exemplo tum Sanctorum patrum, tum etiam Apostolorum ad humanas artes se conuertit. vnam ex ijs mulieribus, quae à viro omnium maxime amabatur, ad amorem Christianae pietatis coepit adhortari. respondet illâ, id se iam diu in votis habuisse, & in praesens sibi certum esse, quoquo animo id vir eius accepturus sit, cunctationem omnem abijcere; idq. praesente viro, alijsq. testata est. & quo magis vacuo animo rudimenta, precesq. condiscceret, relicto coniuge, in domum feminae Christianae se recepit; pauciscq. diebus idoneam nostrarum rerum cognitio-

nem assecuta, magno apparatu baptizatur. Quam diem populares saltationibus, aliisq. gratulationibus more gentis celebrarunt. Hac ratione iniecta esca hamo est ad maritum quoque capiendum; qui se totum tandem nostrorum permisit voluntati. ipsoq. die sancto Paschae una cum sanctis animabus ex inferno carcere per redemptorem nostrum eductis, baptismo expiatus, ipse quoque è tartari faucibus extractus est. Auxere laetitiam undecim alij è populi principibus, cum ipso sacro baptismate lustrati. celebratus dies est magno aliorum quoque concursu populorum. Praefecti huius facti admiratione affecit omnes circa populos, itaque illius exemplo nemo iam est, quin eodem suscepto consilio, una retenta, coniuges ceteras emittat. vt ethnicum quoque nulla facta baptismi mentione alteram è duabus emisisse acceperimus.

INSVLA Ibabáe.

IBABAEM insulam mare Xurium omnium primam offert nauigantibus. Insulis reliquis omnino parem, orizae copia, gallinaceis, venatu, palma. Multis scissa fluminibus irrigatur, quae magnam vltro citroq. commeandi praebent facultatem. Iumentorum vicem explent actuaria lenia, quae vento cum adest, cum deest remis impelluntur. Ius in eam tenent Commendatarij sex, Societas duo habet praecipua domicilia: in quibus quinque de nostris versantur, sacerdotes tres cum fratribus duobus. inde exeunt ad vniuersam insulam lustrandam, loca in quibus sedem habent, alter

ter Sumar nominatur, alter Catubig. Et quidem Sumarem nostri ad regiones albas iam ad messem demetendas, sed magno cum labore deuenerunt: vnde nec fructus, nec laborum ijs copia defuit. Siquidem tam opportuno tempore illuc appulerunt, vt non plus incommodi illis obijceretur, quam quantum laborum in insula obeunda adierunt. Saeua lues per id tempus ea loca infestabat, quae multos quotidie mortales absumebat. itaque perennis fuit labor, languentium obire domicilia, qui desperata valetudine non grauate ad spem aeternae vitae excitabantur. Quare, vt temporis natura postulabat, instruebantur catechismo, lustratiq. sacris aquis è vita excedebant. qui sic diem suum obiere, ad mille peruenerunt. in ijs magnus puerorum numerus. itaque peropportunus nostrorum fuit in eam insulam aduentus, si nihil aliud, ad tantum certe animorum numerum caelo inferendum, qui miseranda alioqui praeda tartari fuissent. Accidit inter haec, vt sub vesperam sacerdos, dum aegrotorum domibus lustratis se reciperet, oculos aduerteret ad domum, quam eo die forte praeterierat: intro se infert: hominem videt vastae magnitudinis, in solo stratum, in ipso mortis confinio versantem: eum pater multis verbis ad Christi fidem amplectendam adhortatur, diceret non alia de caussa homini relictum vitae sensum, nisi vt de sua salute monita reijceret, tam durum ad haec, & ad alia omnia stupidum se praebuit, cum diu multumq. Pater nullo fructu laborasset, re desperata, discedebat: cum tantae iacturae dolor, & interior quidam motus faces animo inijciunt, rursus rem deploratam vt pertentet, iterum igitur hominem aggreditur: qui momento e-

mollitus totum se ad sacerdotis arbitrium effinxit. demum priorem vitam detestatus, & sacro fonte ablutus, diuinam Dei opem implorando animam emisit. Porro cum validis praeclare est opera posita, nobilioribus praesertim, quorum repertus est nullus, qui Euangelio se difficilem praebuerit. quin illi nostris viam monstrant, qua ad plebem demerendam eos insistere oporteat. Puerorum scholae sex sunt institutae sex in locis: pueri porro parentes domi docent. non diu nostri in hac insula versati erant, Doctrinaeq. semina disperserant, cum ipsis natalicijs Christi ferijs, tantus lemborum numerus huc appulit, tantam hominum multitudinem aduehentium; vt, cum quidam è nostris languidus decumberet, voluptatis magnitudine, quam ex eorum cognito cepit aduentu, ad eos inuisendos instruendosq. omni morbo liber è strato exsurrexerit. Eorum vere potuit cum primitiua Ecclesia feruor comparari. Duo viri primarij inter ceteros ad Christum adiuncti sunt, quos magnum Christianae rei allaturos existimamus adiumentum. Eorum alter Maglentius nomine, pollicitus est, si pestilentiae periculum euaserit, facturum se vt vniuersa Samarensium natio patrum se dedat disciplinae conformandam: & ea est animo vis, ea sermonis efficacitas, praestiturum vt speremus. Alter Praefectus populi alterius, cuius vocabulum est Cabbiga, (ambiguum vtrum hominis, an loci nomen: sed puto esse hominis) hic studio impetrandae filiae aegrotanti valetudinem, nostrum adijt sacerdotem, petijtq. vt illam baptismo expiaret: cum sacerdos rem differendam esse existimaret, protestatus est se optime tenere vnum Deum omnium esse conditorem, quem

ille

ille praedicaret: ac nisi hoc sciret, se iam seruos missurum fuisse, qui porcos, aliasq. victimas Anitis sacrificarent. hac ratione vitibus Pater puellam catechismo instructam baptizauit. secundum puellam petijt, vt eodem beneficio suam coniugem, item aegrotantem, afficeret: qua baptizata, vt qui accurate, & ordine agere solitus esset, petijt tertio loco, vt parvum filium idem ad sacramentum admitteret: quem quoniam validus esset, ad Ecclesiam Sacerdos adduci iussit. Itaque proximo die Dominico palam baptizatur, ceteris incitamento fuit ad idem diuinum beneficium petendum. Fuit in eadem insula populus alius initio tam a nostra religione alienus, vt ne vnam quidem intra suos fines erigi crucem pateretur, quin etiam ad nostrorum aduentum fuga se in montes receperunt. sed Christianus indigena vir primarius, Dei adiutus ope, ita eorum animos demulsit, vt se doceri paterentur: & iam breui admodum tempore Ecclesiam, & domum nobis excitarunt, praecelsamq. & perpulchram crucem erexerunt. proxime cognitum est Maripipem, insulam circa Ibabaem, totam iam in Christiana sacra conspirasse. Venere inde viri Principes Samarem cum magna caterua eius gentis sacrum baptisma postulatum, quibus cum Pater doctrinam Christianam ante discedam esse respondisset: vir inter eos Princeps, qui totius gentis nomine legatione fungebatur, totam memoriter percurrit; eamq. se a reliquis, quos secum duxerat didicisse affirmauit. Pater, periculo facto cum omnes tum pueros, tum grandes, viros, & mulieres eam tenere comperisset, baptismo lustratos, voti compotes & plenos laetitiae domum remisit.

RESIDENTIA.
Catubigensis.

CATVBIGE alterum est huius insulae domicilium: de quo non multa suppetunt scribenda; siquidem exeunte anno, eo commigratum est. Tantum accepimus loci naturam esse optimam, hominum incredibilem multitudinem, ingeniaq. propensa ad omnem probitatem. Sacerdos vna cum fratre ad eam sedem occupandam magno ipsorum labore profecti sunt. nam cum in itinere à via deerrassent, in salebras tam asperas incurrerunt, vt persaepe manibus, pedibus repentes niterentur. Super haec omnia incommoda ingens vis imbrium effusa, & densa caligine caelum obseptum eos aqua madidos itineris aspectu intercluſit. vt modo ad femora, modo ad lumbos vsque aqua, merſi iter facere cogerentur. Sed leuauit tandem incommodum Catubigensium humanitas, nam ad populum, qui est circa ostium Catubigis amenissimus peruenere. Est hic populus Commendae initium, quae à flumine, quod eum irrigat, nomen accepit. Hic magna beneuolentia incolarum excepti sunt: & ex viae incommodis recreati, incolae non minus laetabantur, quam admirabantur nostrum sacerdotem ipsorum lingua secum agere: &, qui nunquam ante nostros homines vidissent, modestiam, morumq. elegantiam in eo vehementer adamabant. pueros ad doctrinam Christianam decantandam coegit: habitaq. breui concione, ad populum alterum se transtulit magno prioris populi comitatu: tantam erga hominem beneuolentiam

volentiam conceperant, ita ab vno ad alterum populum, priuris populi semper comitatu prosequẽte, ad superiora fluminis iter faciens, ad vltimum populum, qui Commendae totius caput est, peruenit. hic quoque magna omnium benevolentia exceptus est. est inter eos Datus (hoc titulo, qui apibus, & nobilitate praestant ceteris, afficiuntur) commodis apprime moribus, & singulari humanitate, bonaq. imprimis praeditus natura, neque vnquam prauam eorum consuetudinem probauit, qui multiplici coniugio vtuntur, vna ipse coniuge contentus. hic sacrum baptisma petiuit, atque in suae fidei testimonium comam, quam gẽtis more aluerat valde copiosam, vniuersa spectante, & mirante multitudine, deposuit. neque minorem habuit admirationem senis, & viri primarij alterius factum, qui periculoso admodum morbo grauatus, nullius monitu sua sponte, magna significatione paenitudinis, & contemptu eorum, in quorum cultu Deorum consenuerat, nostra sacra postulauit; magnumq. eius ad Ecclesiam accessu Christianae rei momentum additum speramus. Hactenus arui bonitatem perspeximus, & felix initium sementis nacti sumus: ex his uberes frugum prouentus exspectamus.

INSVLA.

Bohol.

DISTAT Insula Bohol à Zebua traiectu octo leucarum, ferax, & multis nuper inuentis auri venis diues; montosa aliquibus locis, & multis fluminibus irrigua: aspectui amena:

Digitized by Google

syluestrium pecudum tam copiose abundant, vt multa earum capita parua admodum pecunia vendantur. vt affirment auctores fide digni vicena quina eorum capita (si modo verbo absit hallucinatio) ternis denarijs emi. magnas sementes faciunt orizae, arundinumq. saccariferarum. Hispani huc delati, loci natura explorata, gradum fecerunt in Zebuam. homines bona corporis habitudine, colore, quam ceterae gentes, minus fusco; ingenio aperto, & simplici; atque à fallacia omni alieno. non vt apud ceteros Pintatos multiplicia coniugia, quae res magnum amouet impedimentum Euangelio; cum alij vxores superinductas dimittere instar mortis esse putent. non tamen non aliqui fuerunt errores exstirpandi. sed illa imprimis foeda consuetudo. Mortuorum cadauera praesertim primariorum virorum abluebant, odoramentisq. condiebant, tum optimis indutos vestibus tribus diebus luctu, & lachymis prosequebantur, donec graueolentia tabescentium viscerum cogebantur putrida iam membra terrae dare. tunc cadauer arca vna, eius indumenta altera condebant; itaq. obstruebant, vt ab humore illaesa seruarentur. addebant varij generis esculenta, quibus ei opus esse existimabant. quibusdam etiam in locis ancillas eorum ministerijs deuouebant, quas ientaculis, quibus vterentur pro viatico, oneratas praefocabant; vnaq. cum hero ad infernas oras demittebant. Huc Euangelium nostri anno CIↃ IↃ XCVJ. *summa cum omnium voluntate intulerunt. neque vlla maior ad haptismum difficultas hic obijcitur, quam tantulum morae, dum percipiunt doctrinae Christianae rudimenta. quae res tanto studio suscipitur vbique, vt in populis, quo venturi*

Digitized by Google

uiri nostri expectantur, eorum aduentum senes anteuertant, discentes à iunioribus, & filijs, quae illi ante didicerunt. quod studium quanto planius iter faciat Euangelio, non fallit quenquam. Huc accedunt ingenia docilia, molliaq. in quamcunque honestatem pertrahantur: quidquid iniungitur, obtemperant; suntq. eorum retinentes, quae vel ad rationem virtutis, vel ad officia humanitatis docentur pertinere. Et quoniam palmetis haec abundat insula, quae vicem vinetorum explent in his terris: ante nostrorum aduentum popinis, ganeisq. referta erant omnia. passimq. vocibus ebriorum personabant. est enim harum gentium consuetudo cantare inter pocula. haec ita cohibita sunt, atque repressa; vt vix tam antiquae, tamq. inolitae prauitatis vestigia appareant. & nunc pro vinolentis cantionibus diuinae laudes audiuntur. Estq. iam hoc vsu receptum, vt cum in aliquem vel de Societate, vel Hispanum incidunt, non alia eum conceptione verborum saluere iubeant, quam hispanico sermone IESV CHRISTO laudes tribuendo. Summa in templo reuerentia, vtroq. nixi genu ad eam normam se componunt, quae illis praescribitur à patre. baptismis frequentes intersunt aliorum: sacraq. peracta ceremonia, magna caritate in mutuos veniunt amplexus; proniq. in genua in gratiarum actionem Salue Regina decantant. Incredibili animorum laetitia P. Viceprouincialem exceperunt, cum hue ex Zebua insula Mindanum tendens, appulisset. sed magnae imprimis ipsi Patri voluptati fuit alacritas puerorum, qui cum suis lynthribus ei obuiam ire festinarent, eorum multi siue vt primi aduentanti salutem dicerent, siue quod festinatione con-

scenden-

scendendi alteri alteris essent impedimento, siue quod multitudinem actuariola non caperent, in mare se eiecerunt; nauteſq. ad lembum, quo Pater vehebatur, peruenerunt. Eundem abeuntem viri feminaeq. ac pueri ad littus deduxere. Sublatoq. velo omnes in genua procumbentes, sublatis manibus, matrem misericordiae solita consalutarunt precatione, faustum illi iter à caelitibus precantes. Neque vero diuina prouidentia suae bonitatis fontes huius nouellae Ecclesiae pietati clausit. Vulgati quidam capitis stomachiq. dolores omnem hanc insulam infestabant, tanta cum hominum strage, vt populi nonnulli redigerentur prope modum ad vastitatem. Ii vero, quo nostri venerunt, diuinam in aqua benedicta opem sensere. Nam quotquot salutari eo poculo vsi sunt, morbi saeuitiam superarunt, duobus pueris exceptis, qui morbo iam ante contracto, & inolito consumpti sunt. Sed feminae tres praecipue maiore, quam ceteri miraculo ex ipsis mortis faucibus extractae. Ethnica mulier eo progressa erat morbi vi, vt in noctem totam trahere vitam non posse appareret. accersitur sacerdos è nostris ad eam baptizandam: is, quantum natura temporis patiebatur, instructam rogat inter cetera, an credat sactam illam aquam posse diuina ope languentes sanitati restituere; annuentem baptizat, hausturnq. illi aquae benedictae praebet; mane nunciarunt illam iam conualere. Altera iisdem capitis stomachiq. doloribus grauiter affecta vexabatur, eodem potu paullo post conualuit. Ad puellam iam agentem animam patrem accersierant: quo cum venisset, dum scalas domus conscenderet, voces tolli sensit puellam tanquam mortuam deflentium: ipsam reperit

iam

eam omni sensu destitutam. rogat qua maxime corporis parte laborarit: cumq. illi stomacho eam laborasse respondissent. quando iam integrum non erat, neque aquam stomacho infundere, neque eam ad spem in Deum adhortari, rogat circumstantes, vere ne credant, Deum Christianorum per eam aquam posse feminam iam deploratam, & quasi depositam, ad vitam, & valetudinem reducere. assentientibus ijs, aquam eius corpori aspersit in eam partem, qua laborabat. parentibusq. pia oratione confirmatis cum discessisset, sub vesperam puellam conualuisse nunciarunt. Quibus permoti rebus eo maiorem in Deo spem & contemptum Anitorum, veneficorumq. suorum conceperunt.

Nostri Octauum iam mensem in Bohole versabantur cum hae litterae datae sunt v. Kal. Iulias, & iam populum eum vniuersum, qui caput est totius insulae, ad Ecclesiam adiunxerant; alijq. populi nostros rogatum venerant, vt ad se quoque erudiendos, sacraq. communicanda mittere ne grauarentur. Lupenses, montani homines sunt ab alijs aliquanto semotiores, à Lupo flumine nomen sortiti. Censent omnino capitum plus tria millia. hi à nostrorum consuetudine initio abhorrebant: sed eorum humanitate multisq. beneuolentiae argumentis deliniti, non modo metum omnem posuere; sed id agunt, vt relictis sedibus in plana mora, & opportuniora loca ad flumen alterum concedant, quo commodius nostrorum consuetudine fruantur. Duarum praeterea circa insularum incolae cum munusculis nostros adierunt; eosq. ad fidem magna animi significatione inuitarunt. Magnus numerus eorum, qui in his populis versantur, baptizatus est. in ijs duo extremae iam aetatis se-


nes

scendendi alteri alteris esset
quod multitudinem aestuariol
mare se ejecerunt; nauteſq.
ter vehebatur, pervenerat
viri feminaeq. ac p
toq. velo omnes ir
manibus, matres
runt precatione
canes. Neq
nitatis fonte
sit. Vulgo
omnem h
minum
pomad
neru

ha

INSVL
Butuane.

EST Butuane insula contra oram frontemq. Leitae insulae obuertit- multis rebus instructa, zapetij ferax, in primis vero auro abundans. populi lae ripas ferme accolunt Butuanir nis, à quo insulae toti nomen indi bellicosi, & feroces, & ab insita ti. quae res aliquandiu magno fuit semenți Euangelicae. In hanc nuper cerdotes duo transiere, P. Valerius P. Emmanuel Martinus; qui breui tum profecerunt. Statim catechismo bus populum docere instituerunt. cis concionem habebant, populumq. tem Dominicum diem inuitabant.


Digitized by Google

nes; quorum alter nomine Catunaus, annum pene tabatur centesimum excedere. is eum primum Hispani huc delati sunt, Adelantadum Legaspium Praetorem de insula Zebua docuit, magnusq. sequester fuit pacificationis. traxit ad hunc vsque diem aetatem: quippe Diuina prouidentia eum caelesti beatitudini praedestinauerat. Eum P. Proprouincialis magno apparatu baptizauit, & nunc aetate confectus aegre se iamdudum sessu erigit. posituſq. in summa mentis tranquillitate, nil aliud habet in ore totos dies, nisi IESV nomen, & MARIAE. Neophyti ceteri Quadragesima tanto studio, pietateq. ad sacramenta conuenerunt, vt veteres Christiani iam haberi possint. Christo Laus.

INSVLA Butuane.

EST Butuane insula contra oram Mindanai, frontemq. Leitae insulae obuertit. fertilis, & multis rebus instructa, zapetij ferax, & amomi, in primis vero auro abundans. populi eius insulae ripas ferme accolunt Butuanis rapidi fluminis, à quo insulae toti nomen inditum. homines bellicosi, & feroces, & ab insita ferocia animo elati. quae res aliquandiu magno fuit impedimento sementi Euangelicae. In hanc nuper nostri sacerdotes duo transiere, P. Valerius Ledesmius, & P. Emmanuel Martinus; qui breui tempore multum profecerunt. Statim catechismo, & concionibus populum docere instituerunt. Diebus dominicis concionem habebant, populumq. in insequentem Dominicum diem inuitabant. Pueros ad doctrinam

Brinam Christianam euocabant. eorum alter crucem praeferebat. cum ad destinatum locum peruenissent, aliqua de nostrae fidei mysterijs explicabantur: hanc explicationem concio excipiebat; & quanquam initio, vt sunt ingenio elato, & contumaci, duros admodum praeceptis fidei se praebuerunt; in eo tamen fuere valde obsequentes, vt ad concionem inuitati, & rogati, frequentes conuenirent. sic in summis difficultatibus promiora fecit omnia Diuina prouidentia, aliquot è principibus viris diuino lumine perfusis. Eorum primus fuit is, de quo omnium minime spes erat: (Elian ei nomen est) ingenio ferox, & omnibus nota ferocia formidabilis. is cum concioni interesset, qua post explicatum pueris catechismum, de rebus nostrae fidei ad reliquum vulgus ethnicorum disputabatur, repente in media concione, abiectus in genua, baptismum postulauit. initium autem tam subitae mutationis attulit grauis, & miserandum, quo repentino percussus est, casus. Erat ei filius adolescens. is in iurgio cum famulo, vt fit, rixa verborum ira subcrescente, vehementer excanduit. hastile, quod forte venit ad manus, contorsit in famulum, eiq. pectus transuerberauit. eodem momento temporis saucius, spiritu nondum penitus exstincto, atque ira sufficiente vires, extractum telum in herum retorsit, pariq. illi vulnere pectus traiecit. ita eodem pene temporis momento, eodem leti genere, eodemq. ferro, miserando admodum euentu in vestigio corruit vterque. Creditur tam luctuoso filij interitu paternum emollitum animum, vitae inconstantiam, diuinamq. numinis potentiam sensisse: quae res hominem tandem ad diuini verbi semen concipiendum reddidit

idoneum.

idoneum. quo factum est, vt tam alte dicentis oratio in eius animum insederit; vt morae impatiens iamiam sibi ad Christi Ecclesiam aperiri postulaverit, Hispanis, qui aderant gaudio lacrymantibus, atque ad rei nouitatem stupore indigenis defixis. Perturbauit ea res concionem vniuersam. Ergo tumultuantibus veteris P. Valerius praetenta Crucifixi imagine interruptam P. Emanuelis concionem prosequutus, eam animorum motionem vehementius accendit, & vsque eo Elianis animum permulsit, vt fine dicendi facto, sua sponte, magna pietate ad Crucifixi osculanda vulnera, accesserit. Elianem insequuti Osolus, alter vir primarius, alijq. cum eo idem fecerunt. neque hac protestatione contentus Osolus, è vestigio vxoribus nuncium remisit; aurumq. quod ab vnaquaque acceperat redhibuit; neque domum inde rediit; sed domi nostrae, quo commodius rudimentis imbueretur, tandiu mansit, quoad idoneus baptismo visus est. publice etiam edixit creditoribus suis, vt paterent, se omnia ijs repraesentaturum. Interim nihil nisi de animi salute loquebatur. Tantus ea die animorum motus factus est, tanta in vtriusque sacerdotis oratione vis diuini spiritus infusa est. His rebus cognitis Datus alius (nomen dignioris ordinis is est, & eorum qui dignitate praestant ceteris) venit; protestatusq. est, quando aliorum pater (sic enim Elianem appellabat) Christiana sacra suscepit, consentaneum esse neminem ab illius iudicio discrepare. Huius omen Dati multitudo reliqua secuta, iam Christianam religionem se suscepturam profitetur. Silonganus est vir huius insulae in primis clarus, à quo maximam partem reliqui pendet multitudo. eum nostri ad Chri-

stum

stum adiungere peroptabant. nempe id vnum deesse videbatur ad omnem multitudinem trahendam: sed arduum negocium & impeditum videbatur, sex enim duxerat vxores, & vnaquaeque amplam dotem importarat. omnia tamen plana fecit bonitas diuina. is enim eodem prorsus modo, atque Elias, se tot vinculis exemit. Venerat is ad concionem multo fastu, holoserica veste, auroq. conspicuus. Concionante igitur P. Emanuele, genibus accliuis petijt se Christianorum numero adscribi. accurrit P. Ledesmius, hominem magno ardore caritatis complectitur; prolatoq. signo Crucifixi, (nempe euentus artem ante aperuerat) hominem ad consilij constantiam retinendam hortatur, quae res vehementer omnium animos accendit. eo die eius filius baptizatus est. Ille quinque vxoribus, sua quaque domum cum dote, remisit, primam tantum sibi retinuit. Interim catechismi rudimentis imbuebatur, vt cum illa perceperit sacro baptismate fidelium gregi adiungatur. Hoc ad Christum adiuncto vniuersa Butuanensium natio in Christi religionem consensit. & iam toto hoc populo nihil aliud nisi diuinae laudes, & sacra doctrinae christianae carmina exaudiuntur: in domibus, in itineribus, inter opera, inter nauigandum concinuntur. P. Valerius singulas domos obiuit, atque in singulis rationem catechismi praescripsit: pueros catechistas distribuit. Et quoniam numerus puerorum instruentium multitudini familiarum par non est, instituit, vt plures familiae in vicinam primarij alicuius domum, quasi in paruam quandam pareciam conueniant; puerumq. singulis domibus attribuit, qui concinentibus praeeat verba, ita cunctae Principum virorum

rum domus diu, noctuq. sacris hisce personant cantionibus. Diuina bonitas, quae tam felix rebus attulit initium, det etiam progressus laetiores.

EXPEDITIO IN MINDANAUM Insulam.

PRAETER eas, quae iam nobis notae sunt, ingens insularum numerus est in eodem mari, vti dictum est, bene magnarum, & frequentium, quae nondum in potestatem venerunt. quarum prima se offert Mindanaus: de quibus Manilanis litteris praeter Mindanaensia, illa tantum cognita sunt: immensam aperiri hominum multitudinem, quibus si operarum copia suppetat, lux inferatur Euangelij. essequ. non longe à Mindanao insulam alteram, quam Mateum nominant, ambitu plus quingentarum leucarum. hanc ciuitates habere, vt Hispani referunt, plus centum millium incolarum, bene moratas, & institutis optimis munitas. Ex quibus eam consuetudinem laude dignam referunt. Diebus operosis mane cum ex vrbe exeunt, alia via viros, alia feminas ad opus proficisci. Alias praeterea insulas bene magnas esse, quas Iauas nominant: de quibus praeter nomen nihil referunt. Porro ipsa Mindanaus non Luzonum tantum insulas, sed alias circa positas amplitudine antecellit, tanta hominum frequentia, vt P. Ioannes de Campo, qui in ea consederat, affirmarat centum de Societate sacerdotibus satis operae futurum. sed quod omnium ille maxime probabat, pueri tanta comitate, & animi simplicitate, vt ab ipso, ignoto homine, & aduena non modo abhorrerent,

rent, sed ita cum ipso agerent, vt si cum ijs vixisset: quod satis magnum argumentum est futuri prouentus animorum. In hanc insulam multis annis meditatam expeditionem Hispani cogitarant; tandemq. consilia belli, quae ij coxerant, eruperunt. Eam Prouinciam sibi deposcebat strenuus belli Dux Stephanus Rotericus à Figheroa Manilani Collegij fundator; vir egregie pius, & militari laude in primis clarus. fuitq. è primis, qui ad has expugnandas insulas venerunt. Erat ei iam pridem cum Praetore, qui Superioribus annis Philippinas regebat, de tota belli ratione constitutum, conditioneſq. perscriptae erant. proxime vero anno saeculi huius nonageſimoquinto, accepto à Rege diplomate, quo ei expeditio illa mandabatur, è suis Praefecturis, quas Commendas vocant, Manilam venit: vt consilium primo quoque tempore maturaret. Cauſſa autem huius suscipiendae expeditionis nulla scribitur in Manilanis litteris: sed quantum ex ijs odorari potui, illas video fuisse, primum vt pacaretur mare: tranquillaq. regijs expeditionibus, alijſq. institoribus nauigatio redderetur. fuit enim adhuc Mindanaus latronum, & piratarum altrix infeſtiſſima: qui inde ad infeſtanda maria, insulaſq. circumpoſitas prodibant. Deinde vt vel conditionibus, vel metu, vel denique, si aequitas parum valeret, vi & armis aut in poteſtatem redigeretur, aut in fidem & amicitiam reciperetur; aditusq. tum negotiationibus, tum euangelicae legi in ampliſſimam insulam aperiretur. Vnum enim illud in primis semper spectauit Rotericus, vt quam latiſſime poſſet Euangelicae praedicationi ſpatia proferret. fidei certe, seu pacificationis, seu foederis à Mindanai Rege

Rotericum accepisse Manilanae litterae differre scribunt. Cum Manilam venit, res aliter affectas, quam sibi persuaserat, offendit. Ergo dum eae difficultates explicantur, Manilani Collegij fundationem suscepit. Res interim in magna varietate versabantur: diuersis de tota re diuersa sentientibus, atque in suam quisque sententiam litteras Regias trahentibus. in quarum interpretatione à Roterico stabant Societatis Patres, cum Clerico viro docto: dissentiebant quotquot ad litteras interpretandas sunt adhibiti, rebus gerendis fortasse magis, quam germano litterarum sensu introspiciendo, & ambigue scriptis interpretandis assueti. Itaque abfuit propius nihil, quam vt omnia in irritum reciderent. sed vicit tandem rei communis vtilitas. Praefecti enim cognito quanti ad otium Philippinarum interesset, eam nobis insulam pacatam esse, infestasq. piratarum reprimi excursiones, positis dissidijs, Roterici postulatis acquieuere. Rotericus, qui diuitijs, & opibus longe ceteris praestaret, breui tempore classe adornata, ad ostium fluminis, quod insulam totam aperit, peruenit. Comites sacrorum caussa secum duxit Sacerdotem saecularem, & è Societate P. Ioannem à Campo, adiuncto vno adiutore. Triduo ante diem S. Marco Euangelistae sacrum, omnibus copijs flumen intrauit. erat id aluei profunditate, & aquarum multitudine maiorum patiens nauigiorum. Optabat Rotericus aequis conditionibus, ac sine ferro, & sanguine de tota re decidere: idq. omnino sperabat futurum, fretus maxime tum sui nominis auctoritate, & apparatu multitudine, tum Mindanaensis Regis voluntate, qui fidem ei suam obligarat, foedus se cum

ipso

ipso Roterico, non cum alio percussurum. Ergo flumine occupato, Mindanaenses de suo aduentu certiores facit; moneq. datae fidei meminerint. Illi re prius cognita, cum qui fidem dederat non amplius regnaret, se ad propugnationem comparauerant. Itaque castellum ad ripam fluminis excitarant: vt inde tormentis classem subeuntem prohiberent. Sed cognito errore, quod parum, aut nihil damni hostibus inferrent, eo relicto, ad castellum alterum, quod in interiore insula ad montem situm erat, se receperunt. Rotericus iter prosecutus, cum naues appulisset, copias exponit. Instructaq. acie ad castellum proficisci iubet. Erat iter difficile, & impeditum, arbusculis, ac vepretibus densa sylua omnia tenentibus. Praefectus castrorum, qui agmen ducebat, loci naturam contemplatus, veritus periculum insidiarum, Roterico rem significari iubet. Ille nihilominus proficisci imperat. Et, quoniam eo die rem confecere sperarat, ipse paullo post exscendens, agmen sequitur. erat nudo capite, reliquo corpore bene tectus armis. Ei iterum, & tertio nostri Sacerdotis comes galeam imposuit. Sed aduenerat homini statuta dies. quoties enim caput texit, toties, quasi quid ageret non animaduerteret, detractum tegmen puero portandum tradidit: susceptoq. itinere ire perrexit. Est genus hominum in ea gente vitae desperatissimae, qui, quasi se deuouerint, certi, aut vincendi, aut moriendi, in quamlibet certa discrimina se conijciunt. hos vocant Amucatos. rubro ad insigne vtuntur indumento. nullumq. bellum geritur, quo non bini saltem aut terni eiusmodi deuoti vtramque aciem sequantur. horum duo in Mindanaensium castris, hostium ducem

cem petere, & aut illum interficere, aut fortiter cadere coniurauerant. Telum his, vt Mindanaensibus alijs, omnino iners, sed immane, & horrendum: Campilina illi patrium vocabulum: ferrum ad acinacis Turcici figuram conformatum, longitudine palmorum quinque, pondere Italicarum librarum non minus quinque & viginti; multoq. ad capulum addito plumbo libratum. nec sane ad vibrandum primo nisu tolli potest; sed pluribus impetu capto sublatum, quasi moles toto pondere mittitur in vulnus. His instructi armis Amucati duo per dumeta incedentes; tecti ramorum, & virgultorum densitate, ad Ducem accessere. eorum alter progressus hosti sese offert: ac dum segne telum molitur, occupat strenuus Dux, & agilioris ensis acie impeditum bellatorem primo ictu necat. alter interim, qui sylua tectus, subsiliterat, paratum vulnus in progredientem, & nec opinantem Ducem demittit; statimq. nudatum, munimento caput bifariam diffindit. ita miserando, & inopinato casu vir summus, & ad fidem propagandam ei genti datus, cum prope iam victoriam manu teneret, concidit duorum fraude, dicerem latronum, nisi rem humano sensu aestimantibus, patriae defensio iustam haberet cum pietatis laude excusationem. Credibile est virum summa pietate ad mercedem sibi paratam in caelo properasse. Siquidem antequam in eam expeditionem proficiscetur, generali confessione, & Sacrosancta Eucharistia se munierat. & sub ipsam è naui. excensionem, rursus confessionis sacramentum repetierat: prioresq. S. Marci vespertinas preces excitauerat; praecipuamq. erga S. Euangelicam religionem susceperat: cuius solennis die se

eius

eius victoriae sperabat compotem futurum; consiliumq. ceperat Collegium alterum Societati in ea insula fundandi, quod S. Marco dicare cogitarat. Duce interfecto, milites Amucatum statim peremerunt. Occisi vero Ducis cadauer ad nauem, inde Manilam compertarunt. Manilae in nostris aedibus depositum tantisper quieuit, dum de tota reliqua Collegij fundatione transigeretur. inde agi de sepultura coeptum est; statutumq. vt funus ei tãquam collegij fundatori curaretur. quam ad rem abunde, quae opus essent testamenti exsequutores suppeditarunt. Templum totum atra veste contectum. in medio moles imponendo feretro excitata, piraq. ingens superposita, tanta funalium copia referta; quanta in his terris nunquam antea visa. magna item copia scriptorum variis argumentis, Strenui Ducis virtutem illustrantium, explicata. aenea etiam tabula proposita, Ducis insignibus insculpta, illius sepulcro imponenda. Rebus omnibus paratis, sub vesperum funus celebrari coeptum, conuenere in locum, vbi cadauer seruabatur, Praetor, reliquiq. magistratus, atque vna cum clero religioforum virorum familiae, primoresq. ciuitatis. Ibi primum responsorium funebre Ecclesiastico more decantatum. Inde Praefectus castrorum cum senatoribus cadauer sustulerunt, & ante nostrum templum, aliquanto spatio relicto, posuerunt. ibi responsorium alterum decantatum. Sex inde è nostris Sacerdotibus è templo egressi sublatum feretrum in templum intulerunt; locatumq. sub pira nigro eteromallo cum eius insignibus eleganter acu pictis ornato, contexerunt. postmodum vigiliae decantatae, quibus absolutis, solita cerimonia, precibus, & lustrationibus cadauer sepul-

chro conditum est, effosso in media cappella, quae principem aram sua ambitu complectitur. Postero die Missae sacrum solenni cerimonia eadem. Conuentu frequentiaq; celebratum. eius laudes in ornatissima illa concione à P. Prorectore explicatae.

Morte tam egregij Ducis, quid in bello actum sit ad nos perlatum nihil est. sed non videtur res omissa: siquidem P. Ioannes à Campo, qui in eam expeditionem Rotericum sequutus erat, una cum comite in Mindanao mansit Sacerdote laico, qui cum iisdem copijs profectus erat, post Ducis mortem Manilam reuerso. Mansit noster ad Augustum menses; fuitq; illius opera etiam ad rationem bellicam perutilis, vt Manilani scribunt. Idem tamen III. Id. Aug. cessit è vita magnarum effuso virtutum odore; magnoq. sui apud omnes desiderio relicto. Domo fuit Hispalensis: tres, & triginta natus annos: octo in Societate vixerat, incredibili feruore pietatis; vt nullo loco neque Hispanis, neque indigenis, neque AEthiopicis opera sua deesset. magna erga omnes humanitate, magna item tractandis animis dexteritate; vt omnium sibi deuinciret voluntates. &, cum persaepe conciones, hortationesq. haberet ad Hispanos, vt nonnunquam ternas habuerit vno die: magna tamen comitate totum se ad indigenarum salutem impendebat. Ingenio etiam quod apparet expedito, & viuaci. nam & Tagalanicam linguam facile didicerat, & in Mindanaensi breui tempore, multum profecerat. Obedientia in primis singulari; vt quaecunque ardua res iniungeretur, nullum vnquam alienum sensum prae se ferret, acer ipse sibi aduersarius, cilicijs verberibus, ieiunijs, vigilijsq. corpus atterebat; vt à comite persaepe fuerit monen-

monendus, modicam vt aliquam quietem interponeret. ita licet non diu laboraverit, studio tamen & operis contentione multos annos compensauit. ferunt eum octiduo ante quam moreretur, cum Hispano militi sacram praeberet Eucharistiam, dixisse: Age grates Deo frater carissime, qui te sui sacratissimi corporis fecit compotem. Sed vae misero mihi, qui octauo die moriar, neque erit qui me tam diuino beneficio afficiat. quae sane praedicta, ac diuinum sui exitus praesagium à vita in Societate acta, castissimisq. eius moribus non abhorret. Missus erat eodem Sacerdos alter, tertiusq. cum Manilandae litterae dabantur, erat eo destinatus; & traiectus tantum opportunitas expectabatur. Spes est magna ingentis messis, sed rebus adhuc bello fluctuantibus, laetas quidem arua fruges ostentant, sed ad maturitatem nondum peruenere: neque vlla maior res adhuc ad scribendum suppetebat. Orandus Deus vt, pacatis rebus, insulae status componatur, vt Euangelij praeconibus Prouincia tota explanetur.

Sebastianus Beretarius.

FINIS.

Digitized by Google



INDEX PROVINCIARVM.



Aquitania 400.
Aragonia 433
Austria 65.
Belgium 310.
Berica 469.
Castella 510.
Franciæ fragmentum 350.
Germnnia superior 123.
India 818.
Lugdunensis 359.
Lusitania 620.
Mexicana 552.
Mediolanensis 745
Peruuium 871.
Philippinæ insulæ. 618. 999.
Polonia 11.
Rhenana 226.
Romana 656.
Sardinia 463.
Sicilia 703.
Toletana 498.
Veneta 794.

IN-

Digitized by Google

INDEX

RERVM OMNIVM.



Bulensium quorundam fodalium insignis pietas 522.

Adolescens insano mulieris amore confessione peccatorum liberatur 401. alius 231. alius 511.

Adolescens profligatae vitae loca multa pererrat, vt haereses omnes cognoscat, suscepta fide catholica moritur 227.

Adolescens relicto sodalitio B. Virginis, viuendi licentiam sequutus, flammis ambustus moritur 131.

Adolescentes tres studio religiosae paupertatis mendicato viuunt aliquot diebus 242.

Adolescentis Brunsuicensis virtus aduersus fallacias tutorum haereticorum 260.

Adolescentium constantia aduersus haereses 271. 280. 287. 288. 407. 408. 413.

Aduersae res 19. 89. 106. 299. 596. 772.

Aegrota anus pueri praedicatione conuertitur ad Christum 1036.

Digitized by Google

Aegroti duo desperata valetudine Olisipone à P. Iacobo Aluaro sanantur 622.

Aegroti duo in castris contra Turcas, confessione facta sanantur 71.

Aegroti quatuor, facto in honorem B. Virginis voto, conualescunt 67.

Aegroti sacramentis perceptis conualescunt 24. 102. 380.

in Aegrotos egregia Valentinorum nobilium caritas 446.

Aegrotus difficilis, & intractabilis nouicij vnius patientia ad confessionem generalem adducitur 721.

Aere alieno trecenti septuaginta liberantur 440. *plus bis mille* 472.

Aestas & hiems eodem anni tempore in eadem insula 1030.

Agni consecrati virtus 16. 103. 109. 111. 126. 164. 165. 180. 215. 216. 246. 269. 367. 374. 375. 427. 429. 430. 438. 741.

Agni consecrati virtutem rustici duo irrident: eorum alter punitur 181.

Alea exturbata tota paene vrbe Syracusis 728. *Salemij in Sicilia foris aleatorijs interdicitur* 736 *Mutinae lege lata quantum deponere liceat finitur* 810.

Amore insano mulieris liberatur adolescens beneficio exercitationum spiritualium 231. *alius confessione peccatorum* 401. *alius* 511.

Andreas Concreouius Scotus mercs sub Principe *Transyluaniae, morti proximus ad catholicam fidem conuertitur* 116.

Anglos alumnos in patriam redeuntes Rex Catholicus *admittit ad amplexum: hortatur ad fidem*

Digitized by Google

dem propugnandam 520.
Anglus adolescentulus nobilis mira arte è patria excedit 475.
Aniti idola, siue dij Philippinarum 1022.
Anthropophagi in confinio Angolae, & Congi 654.
Antipolis in Philippinis 1021.
Anus Christiana mirae probitatis inter Mexicanos 1004.
Apparatus neophytorum Mexicanorum in celebrandis sacris diebus 592. 603. 604. 606.
Aquae benedictae virtus 103. 176. 236. 431. 432. 438. 839.
Araucanorum, aliorumq. populorum Chilensium ingenia & mores 914.
Araucum ciuitas à nostris aditur 917.
Arbores immensae magnitudinis 1031.
Argenteum flumen 950.
Arundines pro codice, seu charta 1039.
Assumptio vrbs in Paraquarijs 952.
Aymarae populi in Peruuio 904.
Bacchanalia pie traducuntur 93. 150. 190. 630. 635. 641.
ad Balneas qui XXIIJ. *annis antea in Societate, fuerat, moritur* 235.
Baptismo suscepto Turca seruus pestifera febri statim sanatur 693.
Baptismum Caluiniani ministri caro venduntur 45.
Baptismus magno apparatu celebratus 606. *duo alij* 609. *Goae alius* 831.
Baptizantur multi etiam adulti in Septemtrionali ora 37. 45. 48. 59. 120. 121. 322.
Barbae dimidiam partem sibi secat nouicius Societatis ne dimittatur 558.

Barcenis

Digitized by Google

Baronis Halenſis pietas 202.
P. Barzana vir eximij exẽpli 952. 958. 961. ſe-
lam inſtituit adoleſcentium 963. drama corre-
nit 965. 971 paralyſi percutitur 984.
Beneficia Eccleſiaſtica reſignantur 379. 406.
Beneficium in confidentia reſignatur 288.
Beneficium parochiale conſequuturus monetur
nunquam futurum 379.
Bezae diſcipulus conductus aduerſum noſtrum
naſterienſe gymnaſium 289.
Blaſphema vox patris in filium punita 700.
Brigantiae Ducis, eiuſq. familiae pietas 627.
Bubulci populi in Mexicana 617.
CAciquij apud Mexicanos, & Peruuianos
ri potentes. & toparchae 590.
Caciquiorum duorum conſpiratio 989.
Caeci mendicantes catechiſmum adiuuant, Chri-
ſtianam doctrinam docent 833.
Caeli mira temperies 1031.
Caena ſacra haereticorum adulterina 281. à Lu-
theri etiam deflectit inſtituto 262.
Calecuti Rex Zamorinus in Chriſtianos propen-
ſus 859.
Caluiniſtae nobilis inexpugnabilis peruicacia
punitur 46.
Campanae pulſu datur ſignum memoriae Chriſti
expirantis 140.
Cancellarius Principis Cliuiae Societatis aman-
tiſſimus, & beneficus 294.
Canonici Monaſterienſes benefici in nos 890.
Captus ab haereticis noſter Sacerdos biennio cuſto-
ditur: e cuſtodia elabitur 361.
Capuccini in magna fame à noſtris ſubleuantur,
616.

Digitized by Google

Cardinalis Aquiuiuius Societatis amantissimus 371. 397. 398.
Cardinalis Austriacus nobis beneuolus 318. 378. 443. 499.
Cardinalis à Lotharingia 269. 270.
Cardinalis Taurusius 370. 397.
Carnibus integrum annum abstinet adolescens ob reuerentiam S. Catherinae 245.
Carnibus diebus vetitis abstinent neophyti inter infideles, magno exemplo 1033. 1038 1040.
Castimoniae clarum exemplum in adolescente Granatensi 481. in Olisiponensi 631. in Conimbricensi 625. in Maceratensi 699. in Messanensi 724. in feminis Mexicanis 580. & deinceps. in Manilanis 1015. 1016.
Catechismus imaginibus descriptus 139.
Caterina Sunica, & Sandoualis P. Francisci Borgiae neptis 548.
Catholica religio inter haereticos etiam ipsis catholicis vilescit 78. 49. 58. 161. 329. 392. 416.
Catholici hominis in opido Arianorum, & anabaptistarum constantia 17.
Catholicus nobilis in carcerem compingitur à suis ciuibus, quod Lutherum redarguerit 250.
Chilae regnum 907.
Chiriguanae rebelles in Peruuio 993. eorum stultae superstitiones 994.
Christiana doctrina abecedarijs scholis semel hebdomada traditur 326.
Christiana doctrina reformatur vicus veneficijs infamis 239.
Christiana doctrina pueris tradenda catholica religio Masecae restituitur 329.
Christianam doctrinam pueri, puellaeq. lusitationi

Digitized by Google

Cracouiae curam egentium 52. Tiburē S. Getulij sodalitas alendorum pauperum 696. Recinensi iuuandi inopes aegrotos 701. Panormi inuisendi valetudinaria, carcerem, triremes 706. Taurini, & in monte regali Allobrogum inopum iuuandorum 791.

Constantia adolescentium aduersus haereses 271. 283. 287. 288. 407. 413.

Constantia in fide catholica adolescentis Viennensis 68. pueri Pragensis 78. feminae catholicae, 92. Vxoris Baronis Lutherani 109. Dani adolescentis 15. viri nobilis in opido Arianorum 17. matronae Lublinensis 28. Germani adolescentis Lublini 29. puellae catholicae 48. adolescentulae alterius nobilis 49. adolescentis Ratisbonensis 175. matronae cancro laborantis 176. vxoris cuiusdam praedicantis 223. adolescentis anabaptistae 228. puerorum Heilingenstadiensium 260.

Constantia ethnicorum in suscipienda fide 823. Brachmanarum puerorum 823. 825. 826. Maurae mulieris 856. pueri in baptismo petendo 1037. alterius in parente ad baptismum adducendo 1040.

Consuetudines magna laude dignae 1032.

Conuersiones quorundam ad fidem notatu dignae. Bazaini plurium 844. 845. pueri Nairis Cocini 849. puellae Bengalensis Cocini 849. Elianis in Philippinis 1053. Oſoli viri primarij in Philippinis: Silongani item in Philippinis 1054.

Conuersiones quorundam à praua vita notatu dignae. quadringentorum hominum ab impudicitia 25. Scythae vnius à militia ad religionem 56. hominis libidinibus dediti 336. hominis nocturno

Digitized by Google

cturno viso territi 336. *viri nobilis Ciminensis*, 712. *aleatoris famosi* 736. *mulieris Peruuianae* 936.

Conuictor Moguntinus *aegrotans mori mauult in Collegio, quam ad matrem deferri* 243.

Conuictorum *Monachiensium pietas* 151. *Moguntinorum* 243. *Thurocienſium* 108. *Olmuciensium* 87.

Crucis *ſignum, & genuum inflexio obſoleta reuocantur* 103

Cruces *venerantur Ciuncae infideles, & ijs ſe muniunt aduerſus diabolum* 945.

Deuotorum *hominum genus Amucati vocantur in Philippinis* 1059.

Diaboli artibus ludificatur adoleſcens 453. *alius* 527.

Diaboli beneficio quidam ſe iactabat vulnere inuiolabilem 261.

Diaboli poteſtate liberatur qui ei ſe ſuo chirographo addixerat 166.

Diaboli inſidiae eluduntur haereſis abiuratione, & ſacramentis 84. 86. *agno ſacro, & aqua benedicta* 103. 126. 165. 166. 180. 216. 367. 438. 709.

Diaboli mira ludificatio in homine ſimplici, ac pio 246. *in alio* 477. *illuſiones aliae mirabiles* 453. 527. *praeſtigiae, & infeſtationes diſcuſſae* 745. 243.

Diabolo ſe deuouet homo Mexicanus, & eius auxilio magna patrat facinora 583. 585.

Diabolus viſendum ſe praebet 51. 127. 156. *terret adoleſcentem anabaptiſtam* 228. *ruſtici hominis ſpecie paenitentem à confeſſione deterret* 649. *in familiaritatem ſe inſinuat duorum puerorum,*

Digitized by Google

307. item matronae Agyrinensis 708. adolescentem hortatur ad sartum 351. virum honoratum ad interitum sollicitat 86. alium 125. anui persuadet se esse Spiritum sanctum 127. mulierem è peccatis emersam instigat vt redeat ad vomitum, & fugatum suæ specie cernitur 935. suos sacrificulos, inter sacrificia insilit, & exagitat 1022.

Diabolus Christianos sibi terrori esse affirmat, 1036.

Dilinganorum sodalium pietas 136.

Discipuli nostri haereticorum eludunt argumenta 298.

Dissidia grauia & periculosa sedata 234. 846.

Diuionensium pietas, & beneuolentia erga nos, 377.

de Dominica die quando instituta sit, quaestio, 169.

cum Dominicanorum familia coniuncta familiaritas 510.

Ecozacij genus militum rapto viuentium, 50.

Eleemosynae insignes nobis collatae: Serenissima . . . . . quinque sacras vestes, & calices duos magni pretij templo nostro Graecensi dono dedit 74. Supremus iudex Moraviae peristromata magni pretij 93. Posnaniae virgo nobilis candelabra argentea duo 19. Vicecapitaneus Lublinensis pecora & triginta florenos annuos 30. matrona nobilis summam ad mille florenorum 30. Praedium & alia collegio Calissiensi Episcopus fundator 35. femina nobilis florenos mille post mortem 197. nobilis vidua Landspergensis florenos mille viuens 216. Valentinus Agricola florenos

venos mille 270. homo ignotus ſtrenuos centum auro cuſos 315. Brugenſis vidua ingentem pecuniam ſibi debitam Collegio Brugenſi ceſſit 334. Parochus Valencenenſis domum collegio neceſſariam coemit 338. Viridunenſis Ciuitas mille aureos dono, mille ducentos mutuos dedit 356. Auſcitani pro ſe quiſque commeatum nobis abunde ſuppeditant 407. matronae tres Valentinae millenos ſingulae aureos legant 440. Murcienſis Ciuitas ad ſcholarum aedificationem mille aureos, bis mille ad idem à priuatis corrogati 506. Valliſoletanus ciuis periſtromata noſtro templo magni pretij 518. Valliſoletanus iuriſcoſ. ingentem pecuniam moriens 518. matrona Abulenſis quingentos argenteos annuos, & tritici modios ſeptuaginta item annuos moriens 524. vir pius duo cubicula exercitijs ſpiritualibus habendis exſtruxit ſeorſim à noſtris 527. Burgenſis Ciuitas in nos perbenigna 530. lampades argenteas duas nongentorum aureorum Segobienſis Collegij fundator 531. Florentiae multas inopum familias in magna caritate ciuis vnus pene noſtris ſuſtentauit 692. Panormi aurei trecenti vna concione collecti 705. Panormi mille aurei profeſſae domui teſtamento 709. ſacra veſtis magno impendio aucta, & tres argenteae lampades mille aureorum pretio datae 710. praedium pia femina Collegio Syracuſano dedit 728. Marianus Mongiardinius moriens domum ſuam & decem aureorum millia Collegio Drepanitano. 735. Veronae priuati ad aedificationem aureos nongentos 804. Parmenſis Ciuitas bis mille aureos ad templi aedificationem 805. Parmenſis matrona domum ſuam cum agris aliquot 805.

Potosi in Peruuio ex eleemosynis annuum vectigal constitutum alendis pauperibus 896. Peruuiana femina neophyta quatuordecim millia ponderum 899.
Elephantiaci per nostros in suo valetudinario adsuti 252.
Embricenses Societatis studiosissimi 291.
Embricensium scholasticorum pietas 297. haereticorum eludunt argumenta 298.
Energumena puella sanatur 273.
Enses Mindanaensium quales 1060.
Episcopi Derpatensis pia cura 41.
Episcopi Paderbornensis liberalitas erga nos 274.
Episcopi Constantini benevolentia & liberalitas erga nos 278. pietas 283.
Episcopi Liuoniae pietas, & beneficentia erga nos 292.
Episcopi Ruthenorum Graeci schismatis duo Vilnam venerunt, nostros consulunt 14.
Episcopus Calissiensis Collegij Calissiensis fundator 35.
Episcopus Culmensis Societatis studiosus 61. fundationem Collegij Torunensis suscipit 61. moritur 63.
Episcopus electus Viridunensis Henricus à Lotharingia Romam venit consilio Societatis ineundae 647.
Erfurdiensis missio 266.
Ethnici Christiana religione delectantur in India 839. 864
Ethnici, Mauriq. Christianorum templa venerantur 858. 864. 865.
Eucharistia percepta ab homine diabolo addicto remittitur 586.

Exem-

Digitized by Google

Exempla ex vitis sanctorum virorum pro concione explicata 874. 897.
Extremae unctionis sacramento percepto aegrotus sanatur 102. 150.

Falsi criminis periculo liberantur multi. Collegium nostrum Thurocense 106. *Ratisbonae unus* 178. *Treuiris, multi* 233. *Numantiae, multi* 537. *Olisippone unus* 623. *alter item Olisipone* 625. *Mexici multi* 556.
Fame laborantibus nostri ferunt opem 646. 647. 648. 650.
Femina catholica inhumaniter tractata à marito haeretico constanter fidem retinet 92.
Femina insignis pietatis in Peruuio 884.
Feminarum coenobia ethnicarum in Peruuio à maleficis instituta 953.
Feminarum piae sodalitates institutae 888.
Ferdinandi Austriaci liberalitas erga Collegium Labacense 74.
Fertilitas magna insulae Leitae 1030.
Filij pietas in parentem aegrotantem 254.
Filij à parentibus ad Societatem adducti 426. 496. 720.
Filij cum parentibus reconciliati 171. 419. 930.
Filij parentes ad Christianam, & catholicam religionem trahunt 78. 826.
Filius catholicus à patre in haeresi obstinato discedit 414.
Filius & pater ad Societatem veniunt 762.
Flagellis, aliisq. afflictationibus corpus atterunt etiam feminae 627. 884. 890.
Flagellorum, & ciliciorum usus receptus 27. 130. 137. 158. 413. 245. 252. 883.
Flumen Maranon totius orbis maximum 878.

Digitized by Google

Flumen argenteum Paranaus 950.
Flumen Zupimaris spatio decem leucarum plus ventres transitur 943.
Foenebrem pecuniam ex suis bonis à tutoribus collectam pupillus restituit 156.
Franciscanus frater captus à praedonibus nostrorum opera redimitur 296.
P. *Francisci Borgiae meritis frater quartanarius sanatur* 568. *eius neptis eximia pietate* 548.
Fratres dissidentes reconciliati 366. 408. 415.
S. *Fulgentij species viro nobili per visum oblata* 81.
Fulminis ictu liberantur, qui agno sacro muniti sunt 367.
Funera superstitiosa ethnicorum 938. 945.
Fustiona opidum maleficijs, & haeresibus famosum 775.

GEneua septem hominer Chamberiacum veniunt confessionis caussa 344.
Geneuenses inuisi in Germania 290.
Geneuensis catechismi contradictiones 771.
Geneuensium in finibus nostri coetionabundi regionem obeunt, religionem restituunt 386.
Grandes veniunt ad Societatem 417. 435. 557. 763.
Grano benedicto è collo appenso puer tabifica febre liberatur 573.

HAeresis obliuionem religionis adducit ipsis etiam catholicis 49. 58. 78. 161. 329. 392.
Haeresum finis atheismus 112.
Haeretica mulier supplicationem catholicorum irridens punitur à Deo 253.
Haeretici libenter filios suos in nostram tradunt sciplinam 91.

Digitized by Google

Haeretici multi Claudiopoli pestilentia absumuntur catholicis integris 112.
Haeretici nobiles & primates nobis fauent, & nos reuerenter 89. 90. 91. 273.
Haeretici suis contradictionibus magis, quam subtilibus disputationibus conuincuntur 771.
Haereticorum consuetudo perniciosa 195.
Haereticorum filij in nostra disciplina catholicam imbibunt pietatem 78. 40.
Haereti cum pecunia perpulit pia femina vt nostri Sacerdotis concioni interesset 227.
Haereticus confidens in disputatione victus 140.
Haereticus Lutheranus consultus respondet pro salute mortuorum parentum preces faciendas 163.
Haereticus praeses Moraviae honorificum testimonium Societati dat 90.
Haereticus princeps nostram templi Paderbornensis fabricam adiuuat 273.
Hebraeus adolescens haereticorum baptismum repudiat, & nostris se tradit 228.
Henricus Vinitius primus nostrorum hospes Hildesheimij 303.
Hispanus aduena Viennae moriens haeredem collegium nostrum reliquit 69.
in Histrionis scenum inducta concio de morte 411.
Hollandi venire in nostram disciplinam prohibentur 297.
Idolum Zinaloensium lapis piramidalis 591.
Idolum mirabile in Tepeguanis 600.
Ieiunium à Lutherano homine susceptum profuit 162.
Ieiunium pueri continuant à die Caenae Domini ad signum resurrectionis Christi Domini 151.

Digitized by Google

Ieiunium quadraginta in horas continuatum. 160. 245.
IESV & MARIAE nomen inuocatum aduersus artes diabolicas vim habet 708. *puer ex edito loco lapsus Iesu nomine inuocato seruatur incolumis* 864.
Iesum Christum vidit neophytus concionanti verba dictantem 574.
PP. *Ignatij, & Xauerij vita adiumento est nouicijs Societatis* 721.
P. *Ignatij ope implorata, & suscepto voto aeger conualescit* 802.
Incendio absumitur Caluinistae domus ob multa in Deum, & sanctos maledicta 47.
Incendium sedatur iniecto agno consecrato, cera integra postea inter cineres reperta 375.
Infamis iudicij periculo nostri liberantur 106.
Infernarum poenarum species ostenditur 563. 573.
Infernis poenis addicta mulier vetat pro se preces fieri 565.
Ingolstadiensium adolescentium pietas 129.
Inimici sponte in gratiam redeunt concionantis oratione permoti 415. 418.
Iniuriae ferendae, aut condonandae exempla 378. 440. 450. 517. 627. 690. 691. 711.
Insulae paruae in palude miserabiliter habitatae 903.
SS. Ioannis & Pauli capita Friburgi 189.
Irrisores nostrorum discipulorum eorum preces in suis periculis exposcunt 272.
Itinera difficilia inter Peruuium Prouinciam, & Ciuncas 941. 943.
Iudaeus adolescens peruicax emollitur 613.
Iulidensium pietas in Peruuio 933.

Digitized by Google

Iulius Caesar Ricardus Archiepiscopus Bariensis 769.

L

Abacensis Episcopus 75.

Labacensis Missio 65. 74.

Lacerti fluuiales homines vorant 654.

Lacertus in cauea pro Deo 612.

Latronum manibus B. Virginis ope liberatur Parthenius adolescens 628.

Legatio Araucanorum in Peruuio ad Hispanos, 911. *altera alterius gentis* 921. *quaedam earum gentium instituta vtrobique.*

Leite insula vna è Philippinis, *& eius descriptio & amenitas* 1030.

S. Leonardi templum, & anathemata effossa, in eius coemeterio 134.

P. Leonardus Arminius 986.

Libellorum ad confessionem generalem faciendam ingens numerus 345.

è Libidinum altissimo ceno eductus quidam magna cum admiratione caste viuit 336.

Libri de rebus pijs publicè propositi legentibus 875

Limanorum pietas in Peruuio 874.

Lis difficilis quadraginta millium aureorum composita 624.

Loanda insula residentia 944.

Lotharingiae Dux 357.

Lublinensis Vicecapitanei liberalitas erga nos 30.

Ludouica Bellincinia insigniter merita de nobis 810.

à Lupis infestata regio liberatur 383.

Lutherani Baronis coniux cum toto gyneceo catholico ritu communicat 109.

Lutherus verax, liber Lutheri mendacia redarguens 175.

Digitized by Google

Lutherus quae contra Missam scripsit a diabo se fatetur accepisse 250.
Luzonum insulae inter Philippinas numerantur. 1008.
Lychni pensiles duo argentei nongentorum aureorum impensa 531.

MAdura vrbs in India, Naichetis regia 868.
Magdalena Reintelerina insigniter de nobis merita 127.
Mahometanae sectae peritus Christi fidem amplectitur 723.
Mainatae hominum natio in ora Piscariae Christiani fiunt 862.
Maranon flumen totius orbis maximum 878.
Maris tempestatem diuinae matris ope euadit sodalis eius congregationis 715.
S. Marthae domus recipiendis a turpi vita mulierculis erecta 891.
Martinus Garsia de Loyola Praetor in Regno Chilae 912.
Maseca opidum in Belgio 328.
Massangani in arce duo nostri Sacerdotes triennio obsidentur 652.
Mateus insula Philippina perampla & ferax 1056
Matrimonium Christianorum intoleranda necessitas videtur 1037.
Matronae cantro laborantis constantia in fide, 176.
Maurae mulieris in suscipienda Christi fide constantia 856.
Mauri, Ethniciq. Christianorum templa venerantur in India 858.865.
Maurus catechumenus feruens in fide 724.
Maurus Princeps, cognita Patrum probitate Chri-

Christianas fit 861.
Memoria ingens Tepeguanorum 608.
Mendicato viuunt ex deuotione aliquandiu discipuli tres 242.
Mendici Christianam doctrinam docent 883.891.
Messes binae quotannis in insula una è Philippinis 1030.
P. Michael de Vrea transit in Ciuncas 904. 942. eius itineris difficultas ibid. interficitur à barbaris 949.
Miles à blasphemi sermonis consuetudine reuocatus 408.
Miles, qui se inuulnerabilem esse iactabat sclopo traijcitur 261.
Milites sacramenta frequentant 327.
Militis veterani pietas, & virtus 764.
Militum cohortis magna pars cum Praefecto à Calluini haeresi ad catholicam fidem conuertuntur 45. cohors alia cum Praefecto per bacchanalium dies sacramenta obit, & quadragenariam supplicationem 737.
à Militum iniurijs primarij Duces nobis cauent 107.
Militum iniurias nostri patiuntur 89.
Militum pietas in castris 342.
Mindanam insula una è Philippinis perampla, 1056.
Minister haereticorum filium suum in nostram tradit disciplinam, vt prauos mores dediscat, 287.
Ministri duodecim in eadem ciuitate magiae postulati clam solum verterunt 285.
Ministri ridiculi in disputatione exagitatur inscitia 419.

Digitized by Google

Miniſtrorum haereticorum contumacia 281. 419.
Miniſtrorum haereticorum diſſidium, & rixa 307.
Moguntinorum conuictorum, & Parthenſorum pietas 242. 243.
Monachi in ſpiritualibus à noſtris adiuti 30. 125. 136. 165. 193. 205. 215. 220. 223. 265. 326. 351. 377. 404.
Monachienſium ſodalium pietas 150.
Monachus profeſſus poſt quadraginta annos inceſti matrimonij redit ad monaſterium 265.
Monaſteria monachorum, noſtrorum opera adiuta, 18. 136. 178. 205. 352. 706.
Monaſteria monialium per noſtros adiuta 51. 174. 225. 266. 331. 381. 403. 706. 736. 793. 797.
Monaſterium monialium Lutheranarum 293.
Morientes iuuandi ratione perſpecta haereticus ad catholicam fidem conuertitur 229.
Mors pie à multis obita, conuictoris Graecienſis 75 *Marci Perclineſij coadiutoris* 82. P. *Rectoris Friburgenſis* 191. *Petri Brantij nouicij* 207. *conuictoris Moguntini* 243. P. *Petri Dicherij* 335. *D. Petri Frizonij Decani Rhemenſis* 353. *Parthenij cuiuſdam Teloſatis* 402. *Parthenij alterius Panormitani* 706. *alterius item Panormitani* 717. P. *Iulij Fatij* 731. P. *Emmanuelis de Sa* 756. P. *Antonij Sedennij* 1006.
Mulier quae pia videbatur ſenſim venenum haereſis infundebat 346.
Mulier ob catholicam fidem aſpera multa patitur à marito 92.
Muliercula ſubmiſſa per noctem ad Sacerdotem parochum cum ignominia repellitur. 894.

Muſicis

Digitized by Google

Muſicis ad Eccleſiae cultum exercentur neophyti 933. 1011. 1012.

Naiches Madurae Rex in India Chriſtianis fauet 868.

Neophyti ſuſcepta Chriſtiana religione liberaliorem induunt vultum & naturam 1034.

Neophyti Iulidenſes ad ſuperſtitiones inuitati recuſant 937.

Neophytorum cura vitandi occaſiones peccati, 1038.

Neophytorum pietas, & ſtudium confeſſionis obeundae 1014. 1016. *ſtatas preces perſoluendi*, 1035.

S. Nicolai reliquijs ſanatur infans 865. *illius ope inuocata aegroti conualeſcunt* 16.

P. Nicolaus Maſtrillius Guamangam mittitur, 879.

P. Nicolaus Montanus ad Cameracum interficitur ab hoſtibus 342.

Niguarae natio in Peruuio 954.

Nobilis catholicus ne ſine ſacramentis moriatur, noſtri Sacerdotis opera ſit 376.

Nouicij Landſpergenſis virtus 208. *eius monita morientis ibid. vocatio ibid. mors* 210.

Nouicij Brunenſis conſtantia aduerſus parentum contentiones 97. *Alterius aduerſus fratris Dynaſtae conatus* 96. 97.

Nouicij Pariſienſis pater, filij conſtantia victus etiam filium alterum Societati offert 422.

Nouicij Toloſani egregia virtus in magno certamine ſuperando 422. *Alterius Burdigalenſis admirabilis vocatio* 425. *Alterius Obetenſis conſtantia* 538. *Alterius Nouellarienſis cum patre congreſſus* 814. *Alterius eiuſdem tirocinij* 816.

Digitized by Google

Nouicij peregrinantes rusticorum blasphemorum licentiam castigant 213.
Nouicij Brunenses peregre hospitem ad catholicam fidem conuertunt 100.
Nouicios vult esse in precibus Cardinalis Taurusius cum exorcismis curat energumenos 398.
Nouicius Brunensis peregre diuertit in idem hospitium, quo eius pater venerat, neque agnitus est ab eo 100.
Nouicius quondam Societatis, repetita patria, vxorem duxit, & vigesimo tertio anno plenus maeroris moritur ad balneas 235.
Nouicius Tolosae materteram haereticam absentem precibus ad fidem conuertit 427.
Nuptiae magna pietate à Parthenio celebratae 93.
Obedientia Legati Pontificij creditur P. Rector Probationis Auenionensis graui febre liberatus 397.
Obsidentur triennio in arce Maslangani duo nostri Sacerdotes 652.
Oenipontanarum matronarum insignis pietas 159
Oenipontanorum sodalium pietas 157.
Olomucensis Episcopi pietas 94.
Orphani haereticis parentibus nati à catholicis alendi suscipiuntur 178.
Osornus ciuitas Chilensis in Peruuio 926.
Pacificationes magni momenti inter viros primarios 25. 194. 224. 234. 536. 540. 622. 632. 645. 647. 650. 698. 701. 726. 730. 735. 761. 767. 784. 812. 846. altera ibidem 900. 902. 938.
Paenitentium importuna contentio 977.
Palus admirabilis naturae in Peruuio 903.

Panis

Panis, ingens, numerus, à discipulis nostris distribuitur 130. 152.
Papam, & Cardinales Chiriguani sibi faciunt in Peruuio 994.
Parana, seu Paranaus flumen argenteum in Peruuio 950. 951.
Paraquarij, seu Paraquaria regio in Peruuio 950.
Paraquariorum cibaria 975.
Paraquarius flumen 952.
Pareciae tenues, dum eorum augentur vectigalia, à nostris adiuuantur 103.
Pareciam consequuturus admonetur id nunquam futurum 379
Parecias in Iuli de Societatis patres administrant 933.
cum Parentibus filij reconciliati 171. binae reconciliationes 357. 623.
Parisiensis adolescens in nostrorum calamitate magistrum suum carcere inclusum adiuuat: & voto Societatis concepto Tolosae admittitur 421.
Parisienses adolescentes quinque post nostrorum ejectionem Auenionem veniunt ad Societatem 395.
Parochi vicem aliquandiu nostri explent 155. 198.
Parochus catholicus ab haereticis fallaciter circumuentus trahitur ad illorum sectam 195.
Parochus improbe viuens ad officium reuocatur 171.
Parochus nequam matrimonia illegitima coniunxit, & legitime coniuncta dissoluit 776.
Partheniorum Agennensium pietas 413.
Partheniorum Vilnensium pietas 12.
Patriam & opes quidam relinquit ob catholicam fidem 67. alius 175.

Digitized by Google

Patribus familias persuasum, vt familiam totam catholica fide contineant 26.
Pauperes à nostris sustentantur in Iulide 934.
Pauperibus iuuandis annuum vectigal constituitur à congregatione Ingolstadiensi 13.
Paupertatis religiosae amore tres adolescentes tenentur 242.
Pecunia interuersa ad octo millia aureorum ei, qui fraudauit remissa 625.
Periurium sacro S. Antonij igne punitum, paenitentia, & aqua benedicta deletur 432.
Perturbatores duo scholarum seuere à Deo puniti, 631.
Peruuij descriptio 871. *altera* 878.
Pestilentia, & vulgati morbi varias vexant vrbes 126. 198. 126. 244. 251. 316. 533. 540. 543. 694.
Pestilentia nostros non attingit 377. 385. 695.
P. Petrus à S. Andrea ab haereticis captus biennio custoditur 361. *e custodia elabitur* 362.
P. Petrus Canisius 186.
P. Petrus Frizonius Decanus Rhemensis 353.
P. Petrus Sancius 554. 556.
Philippinae insulae 618. 999. *incolarum ingenia, & mores* 1010. 1011. *caeli salubritas* 1029.
Pintatorum insulae inter Philippinas 1009.
Pinus arbor, cuius nux edulis tota 947.
Pluuiae moram Christiani Indi impetrant à B. Virgine 867
Podolia infesta ab excursionibus Tartarorum 57. *in ea religionis magna confusio* 58.
Poenae diuinitus immissae, adolescenti relicto Sodalicio B. Virg. 131. *adolescenti à patre auocato à reli-*

Digitized by Google

à religione 550. duobus perturbatoribus scholarum 631.
Poloniae Regina collegium sex alumnorum Graecij instituit 75.
Poloniae Regis impensa templum nobis aedificatur Lublini 30. Cracouiae 52.
Pondera monetae genus octo denariorum aestimatione 1017.
Pontificij alumni, alijq. discipuli Bransbergensis Collegij in Solaua insula rem Christianam promouent 17.
Portus boni aeris in Peruuio 951.
Pragensis nobilis in rebus aduersis pietas 80.
Precandi communiter consuetudo in priuatas familias inducta 253.
Preces nostrorum discipulorum ab haereticis exposcuntur 272.
Preces quotidianae solennes, nunquam intermissae quantum prosint 743.
Praedicatores nostros quales optet esse Archiepiscopus Burgensis 530.
Praefecti carceris Confluentini pietas in vinctis iuuandis 282.
Praepositus Osnaburgensis Ecclesiae haereticus vltro ad catholicam fidem venit 291.
Praesepis Christi adspectu adolescens ethnicus studio Christianae fidei accenditur 824. alter 836.
Praetorij Landspergensis pietas 215.
Praetoris Limburgensis pietas 325.
Princeps Auriacus Philippus 297.
Princeps Illustris haereticus fabricam nostri templi Paderbornensis adiuuat 273.
Puella, cuius crus daemon impedierat, in nostro

Digitized by Google

stro templo liberatur 286.
Puer matrem ad fidem catholicam reuocat 78.
Puer aestu maris abreptus diuinae matris beneficio seruatur 651.
Puer Lutheranum ciuem suum ad catholicam fidem adducit 151.
Puer neophytus insigni pietate 604. *alter* 979.
Puer tenera adhuc aetate voto se obstringit castitatis, ac religionis 408.
Pueri adultorum fiunt magistri 884.
Pueri à nostris auelli non possunt, eosq. prosequuntur in missionibus 978.
Pueri Catechistae per domos distributi 979
Pueri Cicimecarum filij in communi domo educantur 615.
Pueri constantia in baptismo petendo 1037. *alterius in parente ad baptismum adducendo* 1040.
Pueri parentes domi catechismum docent 429. 962 1039.
Pueri nostrae disciplinae haereticorum eludunt argumenta 298.
Pueri parentes trahunt ad baptismum 1039.
Pueri, puellaeq. sacerdotes, & viros sacros reuerentur 201. *Christianam doctrinam lustationi anteponunt* 280.
Puero in templo oranti fidicula rosarij dirupta sua sponte colligatur, globulis ordine insertis, 148.
Puerorum parentes insectantur ministri haereticorum, vt filios à scholis nostris auocent 260.
Puerpera Arriana, suscepto baptismo statim parit 121.
Puerpera sacrificio Missae partus difficultate liberatur 741.

Digitized by Google

Pugna ludicra qua multi occidebantur, tollitur, 583.
in Pyrenees montes missio 445.
Quadraginta horarum supplicatio in quatuor templa & quatuor horarum decades distributa 130. *eadem eodem in templo in dies quatuor tributa* 148. *eadem quadruplicata, & in centum sexaginta horas continenter tracta,* 159. *alias singulis horis singulae habitae hortationes per horae quadrantem* 372. *ab aliquibus orandi opera in quadragesimam horam sine cibo, sine somno continuata* 372.
P. *Raimundus Pratus Viceprouincialis in Philippinis* 619.
à Rebellione nostrorum monitis populi in Peruuia continentur 968.
Religio aliqua solennis, nunquam intermissa quam sit vtilis 162. 743.
Reliquiae magna pompa exceptae in Philippinis, 1018.
Reliquiarum sacrarum virtus 71.625.
de Rhutenis ad Ecclesiam catholicam adducendis agitur 43. 57.
Rhutenorum antistites duo nostros consulunt 14.
Restitutiones alienae pecuniae insigniores 26.410. 430.
Ritus sacri multis locis restituti 103.259.267.268 269. 270. 279. 393.
Rosarij fidicula puero oranti dirupta resarta inser tis ordine globulis inuenitur 148.
Rosariorum vsus restitutus 269. 382.
Ruina cubiculi noctu collapsi sacerdos Parthenius diuinitus liberatur 629.
Ruina domus familiam vnam oppressisset, nisi in templo

Digitized by Google

templo Beatae Virginis cultui operam darent, 409.
Rustici Molshemienses laetantur cum vident antiquos Ecclesiae ritus revocari 268.
Rustici Oenipontani contendunt de sua domo catechismo commodanda 155.
Rusticus Lutheranus Lutheranorum caena offensus ad catholicam redit religionem 263.
Sabaudiae Ducis filij cum discipulis nostris partes agunt in scena 766.
Sabaudiae Dux B. Virginis eadem ad Montem Regalem inuisit 788. iterum 789. eius templo primum lapidem ponit in fundamenta ibi.
Sacellum in familia nobilium haereticorum mutatum in cubiculum, in eo parturiens parere non potest 291. restituitur in pristinam religionem, 292.
Sacerdotis nostri species cuidam per somnium obiecta, cui confiteri iuberetur 145.
Sacramentorum, & sacramentalium virtus. sacramentorum beneficio valetudinem recipiunt, mulier in castris contra Turcas 71. milites duo, ibid. nobilis Comes Graecij 73. aegrota mulier sumpto viatico contactu stolae sacerdotalis 85. aegrotus extremae vnctionis sacramento statim conualescit 102. Claudiopolitani catholici, contacti lue, sacramentis sanantur 112. femina Arriana, baptismo suscepto, partus doloribus soluitur 121. Pultouiensis nobilis aegrotus Eucharistiae sacramento in pristinum robur restituitur 24. anabaptista baptismo suscepto conualescit 50. sclopo traiectus perceptis sacramentis sanatur 53. Dolae duo desperata valetudine, sumptis sacramentis conualescunt 380. sacro agno,

Digitized by Google

agno, & globulis piacularibus admotis mulier morti proxima reualescit 572. *Alia cognosce in Agni consecrati, & aquae benedictae virtute.*
Sacras litteras ab imperitis tractari, & ipsis, & aliis pernitiosum 324.
Saliceta terra Tepeguanorum in Mexicana 602.
Saltationem, litteras, & musicen pueri Cicimecae docentur in Mexicana 616.
in Samogetiam nostri excurrunt 13.
Saxones duo viri primarij Partheniam sodalitatem ineunt 289.
in Scenam histrionis inducta concio de morte 411.
Scytha, relicta militari vita, monasterio se includit 56.
Schola priuilegiata Louanij nostrum admittit catechismum, & scholasticorum mores reformantur 214.
Scholasticorum hospitio domus constituta 49.
S. Sebastiani cranium 153.
S. Sebastiani monasterium Eberspergense Monachiensi Collegio attribuitur 152.
Secessio Zinaloensium in Mexicana 596.
Semina, antequam serantur ad Ecclesiam benedictionis caussa deferuntur 1027.
Senes extrema aetate veniunt ad baptismum 822. 827. 828. 986. 1027.
Senes octogenarij Christianam doctrinam docentur 141. 212.
Senis Christiani in India mira sanctimonia 865.
Septem Ecclesiae sanctiores multis in vrbibus trans alpinis 29. 151. 327.
ad Sepulchra mortuorum epulae 938.
Sepulchrorum religio superstitiosa 938. 945.
Sepultura Christianorum argumento est ipsos

Digitized by Google

caelum petere 829.
de Sepultura filij catholici, parentes anabaptistae altercantur 44.
Seruili ingenio populi in Peruuio 899.
Sigismundus Battoreus Transyluaniae Princeps, 68. 88. 113.
Societas in Gallia difficillimis temporibus defenditur, & laudatur 412.
de Societate magna hominum existimatio, 909. 960.
Sodales B. Virginis ob bellum in suam quisque patriam dilapsi à Virgine matre proteguntur, 379.
Sodalis vnius B. Virginis caritas erga aegrotum in hospitali domo 379.
Sodalis B. Virginis plagis & aerumnis affectus, vt fidem deserat, persistit in sententia 258. *alius ob aes alienum in carcerem coniectus pecuniam à diabolo oblatam aspernatur* 156. *alius diebus Dominicis pauperes duos mensae adhibet* 16.
Sodalitas constituta, quae carceris curam suscipiat 896.
Sodalitas feminarum instituta 888.
Sodalitas neophytorum nostros adiuuat in excolendis alijs 889. 890.
Sodalitatem B. Virginis ingredi multi e Cordubensi iuuentute ambiunt 478.
Sodalium B. Virginis pietas. Ingolstadiensium 129. *Dilinganorum* 136. *Oenipontanorum* 157. *Augustanorum* 167. *Moguntinorum* 242. *Herbipolitanorum* 245. *Agennensium* 413. *Valentinorum* 440. *Abulensium* 522. *Quitensium neophytorum* 889. 891. *Potosinorum* 898.

Digitized by Google

in Solauam insulam sacerdotes ex nostra disciplina missi rem Christianam restituunt 17.
Somnum capere nostros sacerdotes paenitentium simplex importunitas non sinit 977.
ad Spiritualem vitam quid in primis conferat P. Sedennij *sententia* 1004.
Sponsus è Congregatione Parthenia in nuptijs trecentis pauperibus conuiuium dat 93.
Stephani Battori Poloniae Regis iudicium de Societate 28.
Stephanus Rotericus à Figueroa fundator Collegij Manilani 1012. *expeditionem suscipit in Mindanaum* 1057. *occidit* 1060. *eius funus* 1061.
Studium adolescentis traducendi contubernales ad catholicam fidem 124.
Superstitio ridicula Chiriguanarum 994.
Superstitiones sublatae 883.884.891.944.
Supplicatio decem horarum 130. *duodecim horarum* 204. 206. *viginti quatuor horarum* 183.
Supplicij dirissimi exemplum 341.
Symphoniaci in vsum nostri templi 1012.
Tagala insula è Philippinis in qua est Manila vrbs regni caput 1012.
Taytayi, natio in Philippinis 1024.
Tempestas ventorum à diabolo ob idolum excitata 595.
Templa ab haereticis occupata recipiuntur 13.49.
Templa olim euersa restituuntur 393.394.
Templi nostri Manilani descriptio 1012.
Templum catholicorum in opido haeretico triginta annis clausum à nostris aperitur, & celebratur 59
Templum se sua manu in sua patria diruisse haereticus nonagenarius gloriatur 393.

Digitized by Google

Theatrum nobis à magistratu ad actiones dramaticas Tornaci exstruitur 313.
Theatrum Valencenis à ciuitate exstructum collegio nostro datur 338.
Thesaurum se indicaturum diabolus promittit, 707. 708.
Thurocìense Collegium infamis iudicij periculo liberatur 106. *equites, peditesq. ad bellum legem mittere iubetur* 107.
D. Tiburtius Himelrichius Imperatoris secretarius nobis fauet 106.
Timpana, & saltationes Herbipoli ex vrbe eiecta 248.
Tirolensis camerae erga nos liberalitas 155.
Treuirensis ciuitas sincera ab haeresi 232.
Tridentinae synodi de clandestino matrimonio Vesontione edicitur decretum 631.
Tuba liquor palmarum in Philippinis 1031.
Tucumanes in Peruuio 950. *eorum descriptio* 954.
Turdetanos nostri adeunt 642.
Tutucorinum opidum orae piscariae in India, 862.

VAlachi doctrinae Christianae explicationem auide arripiunt 109.
Valdiuia ciuitas in Peruuio 926.
D. Valentinus Agricola de societate benemeritus, 270.
Valles Pedemontanae 768.
Vallisoletani Collegii fundator Episcopus Trascalensis 519.
Veilae multa è re catholica constituuntur 249.
Venatus, & aliarum carnium magna copia, 1031.
Vera vrbs in Peruuio 984.

Digitized by Google

Verbi diuini auditio homini flagitioſe viuenti adiumento eſt 449.
Veſontionem noſtri adeunt 381.
Vicus à praedicantibus haereticis triginta annis ſollicitatus nunquam à recta fide motus eſt 258.
Vicus veneficijs infamis Chriſtiana doctrina reformatur 139.
Villarica vrbs in Peruuio 967.
Viltipocus Caciquius in Peruuio 987.
Viſum admirandum de rebus alterius vitae moribundo homini oblatum 563.
B. Virginis aedes, aut imagines vel miraculis, vel pia multorum religionae illuſtratae. in Heremo apud Heluetios 222. *Oetingae* 219. *Halae* 346. *Anicij* 389. *in vico ad Montem regalem in ſubalpinis* 787. *Rhegij Lepidi* 813.
B. Virginis cultus quamuis remiſſus homini flagitioſe viuenti tamen adiumento eſt 449.
B. Virginis ope familia vna ne tota ruina domus opprimatur, periculo eximitur 409. *ſodalis eius Congregationis maris tempeſtate liberatur*, 715. *alius latronum periculo* 628. *alius ne noctu cubiculi ruina opprimatur* 629. *alius eius opem ad rem litterariam praeſentem ſenſit* 451. *Taraſci morbis ſanantur* 571. *Virgo proci violentia liberatur* 346.
Voto facto aegroti quatuor deſperata valetudine conualeſcunt 67. *energumeni ſanantur* 259. *matrona nobilis partus difficultate liberatur* 222. *quidam periculo non leui* 157.
Virginum quarundam inſignis pietas 166. 285. *vnius praecipue* 185. *alterius, quae abiurata haereſi, tum virgines, tum matres ad catholicam fidem trahit* 91.

Digitized by Google

Viridunenſium liberalitas erga nos 356.
Vngarorum conuictorum pietas 108.
Vniuerſitas ſtudiorum aduerſus noſtrum Monaſterienſe collegium excitata 289.
à Vocatione & pietatis ſtudio deficit adoleſcens ad probationem iam admittendus 414.
Vocationes aliquorum inſignes ad ſocietatem, & egregia virtus in ipſo ſpiritalis militiae initio. Brunae natali Domini interiore inſtinctu vocatur quidam 95. *conuictor alius obiecto per quietem viſo admirando* 96. *alius contra minas furentium, & Dynaſtae nobilis voluntatem perſiſtit in ſententia* 96. *alterius iam admiſſi ad probationem aduerſus parentum contentionem fortis conſtantia* 97. *alius fratri Dynaſtae, ſe ad magnas opes vocanti egregie ſatisfacit* 99. *Lotharingius adoleſcens à patre mittebatur ſtudiorum cauſſa in ciuitatem haereticam* 207. *Petrus Brantius admirabili euentu vocatur ad ſocietatem* 207. *adoleſcens qui ſponſalia fecerat cum puella* 237. *alterius multis modis tentata vocatio, & poſt ingreſſum probata conſtantia* 422. *nouicij Burdigalenſis admirabilis à prima aetate ad ſocietatem propenſio* 425. *nouicij initio rocinio Obetenſi conſtantia* 532. *Conuictoris Romani ſeminarij virtus admiranda* 668. *Panormitani adoleſcentis in ſtudio vocationis matrit teneritudine languor* 718. *Panormitani alterius baronis qui ſponſalia fecerat conſtantia*, 718. *duorum fratrum Panormitanorum vocatio* 720. *Patris & filij in domo probationis Arouenſi* 762.
S. Volfangi digitus 185.
Voto, & eleemoſinis mariti matrona nobilis ab amentia,

mentia, & desperatione liberatur 187.
S. Vrsicini opidum, & sancti viri memoria 205.
Xauerius P. Hieronymus Xauerius ad Mogores 820.
Xerae noua vrbs in Peruuio 968.
Yaxama mons inter Peruuium prouinciam, & Ciuncas 942.
Yitae, id est nigri, populi syluestres in Philippinis 1023.
Zabania vrbs Ciuncarum in Peruuio 943.
Zacatecani natio in Peruuio. 612.
Zamorinus Calecuti Rex Christianis beneuolus, 859.
Zinaloenses natio in Mexicana 588. eorum religio 592. secessio 593.
Zebua insula Philippina 1028.
Zuinglianus haereticus venit ad fidem 195.
Zupimaris flumen intrantibus è Peruuio in Ciuncas spatio nouem leucarum plus centies traijciendus est 943.



Digitized by Google

Errata sic corrigenda.

pag.3.lin.2.vltimas:vltimus, pag.4.16.dare:dari, lin.17.faciam:facerem,lin.vlt.videor:video, p.6. lin.16.nomina:delendum est, pag.15.li.32.impuritate:impunitate,p.97.1.vulgare:iugulare,99.11 praemissis: promissis, 123.2.Germanica: Germania,129.19.expectant:expetant,163.1.consuluit: consulit,180.13.in somnia:insomnia,196.5. abiere:abire, 212.4.iniuriam:incuriam, 233.25.opponere:apponere,242.17.expansis:expassis,249.23. sententia:sententiam,256.9.persistere:perstitere, 274.6.suscipere: suspicere, 278.21.compellerent: compellarent,281.15.confiderat:confideret, 302 2.ille:esse,317.vlt.deserit:deterit,319.9.monstruoso:monstroso,347 5.iterum:interim,351.14.vt &: vt ea,366.16.turbant:turbabant, 383.4.aequum: aegrum,401.6.Exceptus:Ereptus,508.20.hic:Annus hic,517.31.securitatemq.serenitatemq. 589. 15.ditissimos: dirissimos, 590.15.furentes: furenter,595.12.vinctus: deleatur, 628.19. mercatoribus comitatus: inter mercatoribus ,& comitatus punctum interponendum;&post comitatus comma,707.6.ne obuiam: ni obuiam, 719.9.nobiliores:nobilioris,786 26.MONTIS:MONS, 789.27. nono:noueno,840.26.& vero habet:& vero hoc habet.845.3 & quid:ecquid, 859.24.à quibus:quibus,871.10. augustiorem:angustiorem, 873.13.ad rem Christianam vtilitatem procurãdam: ad rem Christianam promouendam, & animarum vtilitatem procurandam, 875.10.atque:atqui, 876.30. quibus doctrinae magnitudinem qua ille virtutibus excellebat: (perturbatus est ordo verborum) quibus ille virtutibus doctrinae magnitudinẽ,qua excellebat, 905.23.certae:certe, 949.vlt.plenio-

ra:

Digitized by Google

ra:planiora,951.2.Pararia:Paranaus,961.3.dimiſſam:demiſſam,980.penult.ſuueſſit:ſuccreſcit.

Errata alia cognitu faciliora.

p.6.18.ex his:in his,p.12.30.in incitatum:incitatum,p.13.17.ſamagetiam:Samogetiam,eadem,li.29.fui:fuit, p.14.22.perpetuo vero: perpetuo voto,li.25.Nelsbergam:Helsbergam,15.9.Pauſſiae: Pruſſiae,lin.22.effulfit:affulſit, 17.27.& à Deo: & Deo,25.14.hongrem: honorem, 27.19.omnino: omni,27.antep.Praemiſſienſis:Praemislienſis,31.25.ſociorum:ſociarum,34.22.perduta:perducta, 38.21.perculſam:percuſſam, 42.3.patribus: fratribus, 44.25.quod quod: quid quod, 57.5. fructus: fluctus,ead.p.li.17.patris:fratris,68.pen.cum tanto:in tanto, 73.17.conſueuerunt? nota interrogationis perperam adſcripta,77.27.diſſentione: diſſenſione,93.24.Nauguicius: Hauguicius, 107.21. noſtrorum:noſtrarum,114.2.calido: callido, 125. 18.exercere:exercuere, 140.1.Campidurum:Cãpidunum,143.15.commemoratio : commoratio, 144.3. Velchirochenſis: Velchirchenſis, 148.28. celebrantur:celebrabantur,149.24.gererit: gereret,153.2.ſerene:ſerenc,155.4.qui:quis,ead.pa.li. 24.magis:maius,ib.li.28.faciendas:faciendos,160. 6.afflictiones:afflictationes,p.168.21.ſalatãdum: ſalutandam, 169.17.dipoſuerunt : depoſuerant, 178.1.reportari:reportati.180.15. pater: frater, 188.29.Galltae: Gallice,189.25. delapſi: dilapſi, 191.28.moleſtima:moleſtiſſima,194.17.ſequere: ſequerere,196.5.tum verendo:tam verendo,ead. p.10.Didymumq.Didymumue, ibid.antep.quae: qua,226.6.philoſophi:philoſophiae,238.16. experiendae:experiundae,257.9.aperta:aperte,258.5. virginis:virgines,262.28.illi:illis, 271.15.ſcholas:

ſcholas

Digitized by Google

ſcholas noſtras, ibid.16. accelleretur: auelleretur, 273.8.in eos:in eas, ib.14.facta: factu, 275.26. in conuentu:in eo conuentu,280.7. reciteri:reticeri, 292.27.ardeatem: ardentem, 296.15. praecipua: praecipue,303.21.ſignisq.lignisq.305.12.Hethſius: Hetshuſius,308.8.ad ſe:à ſe, 311.4. id Leodienſi:in Leodienſi,314.29. grauius:gratius, 317.1.deſtitutis: deſtituti,320.antep.placide:placido,332.23.ageſtis:aggeſtis,342.9.ageres:aggeres, 344.20. & adiutor:coadiutor, 346.14.calida:callida, ib.finitimorum: finitimarum, 363. 7. duobus: duabus,369.12. agricolas:agricolae, 369.15.ſunt:ſint, 371.23.refectam:refertam,374.penul.euilatu:eiulatu,378.22. ita:ira,379.penult. ſi:ſit,381. 27.ciuitatis:ciuitatis patronae, 383. 26. confitendo: confitendi,384 6. eo:ea, 403.23.edomando: in edomando, 407. 8. ſenatus eos:ſenatuſcos. 408.29. certum : certam, 411.30.fragranti: flagranti, 420.19. leguleuis: leguleius,421.5.excitatur: excitetur, 426. 11. quaeque : quaque, 431.30.onera:opera, 434.10.dedi:dediti, 436.3.non ſunt: noti ſunt, 437.22. ſitit: ſint, 441. penult.poſtra: poſtea, 445. 2.rogata:rogatu, ibid. 18. delecta:deleta, 461. penult. ab admiſeris : ab admiſſis, 473.26. dicata: dicato , 475.5. profunctus: perfunctus, 477.8. in eis: in eos, 480.16. incurſare : incuſare, 481. 29. ſacrarum: ſacrarium , 484.25.operi: opere , 485. 29. Oaenae: Vaënae, 486.6.clodem: cladem, 493.13.religioni: religione, 496.10.ciuilibus: ciuibus, 502.28. totis:totos, 506.vlt.liuibus:ciuibus, 518.17. placandi: placendi, 537.15.aliorum: aliorumq. 538.1.infami aequa: infamiaeq. 548.18. ipſum: ipſam, 560.25. Auguſtianam: Auguſtinianam, 570. vlt.quae: qui, 572. 29. fragmenta: fragmento , 581.13. maxima: maxime, 591.31.effi ia: officia, 597. 2. Teuchos : Teuechos,

Digitized by Google

nechos; 598.14. ſuſcipere; ſuſcepere, 600. 27. impudentiam: imprudentiam, 610.16. ereptam: ereptum, 625.28. inſtituta: inſtituto, 634.14. ſtudium: ſtudio, 638. penult. funere: funeri, 645.25. coluiſſet: voluiſſet, 649. 3. Angrae: Angra, 659. 28. acutus: auctus, 665.15. auido: auide, 669. 24. abundat: abundabat, 675. 16. potuiſſet: patuiſſet, 677.7. mutius: mutuis, 679.2. qui: quos, ibid, 26. latus: ſatus, ibid. 31. curtum: curſum, 682.15. excuſſit: excuſit, 688.5. Amalfientium: Amalfienſium, 696.7. adegeret, adegerat, 698.18. cunctu: cuncti, ibid. 29. ſacrae: ſacra, 725.13. à quorum: equorum, 735.25. alterius: alteris, 737.2. verſiſſent: vertiſſent, 769.27. Caralbium: Carallium, 784.1. vt dedere: vt ſe dedere, 786. penult. Mondeuicum: Mondeuium, 798. 21. ſe: ſe abundat, 833.24. Auguſtianos: Auguſtinianos, 846. 1. mille: millium, ibid. 17. quaecunque: quacunque, 848.10. Aralmaure: Aralmauri, 859.24. à quibus: quibus, 860.9. Brachmanorum: Brachmanarum, 863.3, Tutuconnenſium: Tutucorinenſium, ibid. 23. longinquo: longinqui, 865. pagodos: pagodes, ibid. 14. natale: natali, 891.6, proprius: propius, 892.15. leges: ſeges, 901.1. vter: vterque, 909. MISSIO IN ARAVCANOS alios populos: alioſq. populos, 915.3. amputatos: amputatas, 917.8. quantoq. operae: quantoq. opere, ibi. 25. primis: primus, 918. 11. ſua pecunia: ſuae pecuniae, ibid, penult. Araucanum: Araucum, 933. 10. Dominis: Dominicis, 939.24. illi: ille, 940.6. ſymphonacis: ſymphoniacis, 941. 25. circumiectantur: circumuectantur, 951. 2. coguatus: cognatus, 953. 29. Gauyra: Guayra, 954. 25. proprius: propius, 956.10. Monzoius: Monroius, ibi. 16. ex: abundat, 960. 5. adiucti: adiuti, 965. 4.


Patre

Digitized by Google

Patre : Pater, 974. 19. adhito : adhibito, 980. 25. profequutus : perſequutus, 982. 20. magna : magno, 22. conferant : conferunt, 987. penult. Omoguacanum : Omoguacarum, 989. 30. acerrimae : acerrime, 993. 11. Chiriguanes : Chiriguanas, 31. barbaram, 1002. 24. in fuga : cum in fuga, 1013. 7. duobus : duabus, 1016. 23. noſtri : noſtris, 1019. 3. duae : duo, 4. impoſitæ : impoſita, 30. membranae : membranis, 1021. foras : fores, 1026. vlt. Taytays : Taytayis, 1029. 3. temperies : temperie, 1033. 11. ſtratu : ſtrato, 1041. 8. laudantur : laudentur, 1049. 30. Mindanum ; Mindanaum, 1056. vlt. non modo abhorrerent : non modo non abhorrerent.

Inconſtantiam orthographiae, erratag. alia in indicibus paginarum commiſſa, & quae litterae vnius mutatione, detractione, adiectione ſibi quiſque vel ſolis oculis corrigere poteſt, ea, vt leuioris momenti chalcographo condonauimus.





Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google